56

584

IV. ALBUM V 3-4





GEOGRAPHIA.
N. 56.2.

Jan Krasiński † 1612
zob. Boniecki XII 191

ALBUMY
V
B J
C
584
IV.

00055
28 b

Geogr. 1155. c. 2.

Exlibris Fris Joannis Fazy I.V.J. Archidiaconi Cracov. et Can. Ecclesiae Antverpiensis Legati.
2. Obyt A.J. 1636 die 21 Febr.

89



Liber tertius — Liber quartus

1588

IO. MATALII METELLI
SEQVANI, IVRISCONSVLTI, ELEGEIA
IN GEORGII BRVNI AGRIPPINENSIS THEATRVM VRBIVM.

ARDVA quam varie potuit fundare vetustas
Oppida, quotq; vrbes condere, Magna viris;
Oppida tot valuit BRVNVS concludere libro,
Vrbibus atq; Arces iungere conspicuas.
Oppida, Mortales quæ non coluere priores;
Lympha quibus potus, glans cibus, antra domus.
Sed quæ Posteritas curuis deduxit aratris,
Dum trahit ad cœtus aspera corda hominum,
Imposuitq; iugo montis, quæ vallibus imis,
Quæ nemori, aut fluuijs, veliuoloq; mari.
HÆC tibi quò pateant longe clarissima visu,
Luceat & toto corpore quidquid habent:
Ille situm, & forum, portasque, & mœnia, pontes,
Exhibet ac moles, marmora, tecta, vias:
Flumina, templa Deûm, fontes, fora, littora, portus;
Et loca; gymnasia &, signa, theatra; notat.
Narrat, quale solum quæ sint contermina rura.
Quæ ferat vrbs Bacchi munera, quæ Cereris.
Præclari quidnam quas & Natura fodinas
Condat humo tepidis balnea nata locis.
Quam late imperitet quibus & caput exerat oris.
Hanc fera Fortunæ spicula quæue petant.
Vnde genus ducat priscum quo sidere præstet,
Hæc quibus ingenuis Artibus; illa, opibus.
Ingenium vt faciat paupertas, diuite terra
Mollicies habitet, flagitiumque gerat.
Quæ cuiq; hinc merces, quæ sint cõmercia, quæue vrbs
Pauperiem fugitat per mare, perq; solum?
Doctrina illustres quinam virtute perennes
Quos dedit, ac Diuos æthere, quosq; Duces.
Describit mores quæ leges, quique Senatus,
Explicat & Populi fœdera, victa manu.
Artes quæ, Pacis ferroq; potentia quæ sit,
Auro, consilijs, sedulitate, fide.
Publica priuatis ornat, priuataq; rarís
Indagat; variæ conditor Historiæ.
Quis præsit Princeps, heres, victorne, gubernet
Almaq; quo vigeat numine Religio.
Gesserit vrbs ecquid magni quæ bella? quid inde,
Subdiderit duro libera colla iugo?
NAM dies, surgit, mutato cardine rerum
Corruit & fati est maxima causa sui.
Sed mors est saxis, tacitisq; senescitur annis.
Sic venit & claris vrbibus atra dies.
Quis Romam in media iam quæreret, en age, Roma!
Hæc vetus in nostra; tota sepulta iacet.
Nec quidquam superest: quam quas mirere ruinas;
Tempore quodq; mori, viuere Marte, queat.
Scilicet annosa vt Quercus, celsissima creuit;
Postq; cadit: victa hæc tempore Roma, ruit.
Vrbibus at certis, post funera, vita resurgit;
Sedibus aut migrant, omine forte suo.
Pax, vrbes firmat; Pacem concordia crescunt;
Iustitia, atq; armis; Religionis ope.
HO Cduce non igitur populos sic noscere pergis?
Nec vises vrbes, turribus aërias?
Nimirum: docuit; fuerant quæ muta per æuum,
Pictura, & verbis, Oppida posse loqui.
Vt quibus haud liceat, pedibus sine fine per vrbes
Currere; pro pedibus sufficiant oculi.

Alfonsy
584 IV

REVEREN-
DISS. ET ILLVSTRISSI-MO PRINCIPI AC DO-MINO, D. GEBHARDO, ELECTO ET CONFIRMATO ARCHIEPISCOPO COLONIENSI, SACRI ROMANI IMPERII PER ITALIAM ARCHICANCELLARIO, PRINCIPI ELECTORI, VVESTPHALIAE ET ANGARIAE DVCI LEGATOQVE NATO, &c. DOMINO SVO CLEMENTISS.

GEORGIVS BRVIN AGRIPPINAS, ET FRANCISCVS HOGENBERGIVS, DEDICANT CONSECRANTQ.

Bibliotheca Collegii Majoris
Universitatis Cracoviensis.

ΕΙΣ ΓΕΩΡΓΟΝ BRVIN.

IN tua meßis adeſt. Vrbes atq; Oppida ſcribens
Arua colis, laudum conſita luminibus.
Non obſcurus erit, qualem tibi nomina fingũt,
Inde color; laudis lumine clarus eris.
Scilicet hic fructus pulchro tibi naſcitur agro.
Quiſquis es, hinc fructus tu quoq; carpe tuos.

ANDREAS PAPIVS IN GEORGII BRVni ſui ſtudia.

SI quando mare veliuolum, terrasque iacentes,
Iupiter, & latos deſpiciens populos,
Conſiſtit cœli medio; tractare putamus,
Secretum, regni conſilia alta ſui,
Soli nota ſibi. Surgant vt regna, cadantque:
Stet prima his atas vrbibus, his ſenium.
At reliquis (quantum Regis ſeſe abdita cuique
Mens aperit) noſſe & voluere dulce Dijs
Quas iuſte regit ille vices, ſeu (dedita culpis)
Gens hominum neſcit proſpera ferre diu:
Seu (pœnis attrita) ſapit, cœlumque fatigans
Exorat multa lenia cuncta prece.
Nec ſuperos mage cara ipſos tenet vlla voluptas.
Tu tamen in partem nos quoque, Brune, vocas;
Inſignes quaſcumque oculis dum ſubijcis vrbes,
Et populi mores, fataque, opesque canis.
Pro quibus officijs quæ nos, quæ præmia Muſæ?
An Muſæ nil, quod dent tibi, maius habent?
At nobis, quos ſic ſimiles facis eſſe Deorum,
Ipſe etiam certè denique numen eris.

BIBLIOTHECA UNIV. IAGELL. PRAGOVIENSIS

GEORGIVS BRAVN, AGRIPPINAS, BENEVOLIS LECTORIBVS S. D.

PEREGRINATIONEM, Lectores beneuoli, quæ non lucri, cum negotiatoribus, ſed artium ac virtutum cauſa, ſuſcipitur, permagna, ad ſapientiam, ad rerum vſum & experientiam, adiumenta præbere, nemo eſt, qui vnquam negabit. Nõ etenim ſine cauſa ingenioſus Vlyſſes, à Poëtarum omnium ſummo, ob ſingulare peregrinationis ſtudium laudatur, vt, qui multorum prouidus vrbes, & varios hominũ mores inſpexerit. Quid Plato, quid Solon, quid Pythagoras, multiq; Philoſophi alij peregrinando conſequuti ſint, eruditorum cœtui cõſtat. De Diodoro etiam Siculo, hiſtoriarum monumenta confirmant, triginta ipſum annos, peregrinationis ſtudio conſecraſſe, vt veram Orbis Terrarum deſcriptionem, hiſtoriamq́, exhiberet. Quam, vt omnium certiſsimam abſolutiſsimamq́; Geographorum clariſsimus Ptolemæus ille Aegyptius, Antonini Pij Imperatoris tempore, daret, nõ ſolis Mercatorum atq; Nautarum informationibus fidẽ adhibuit, ſed & remotiſſimas nationes ipſe, vt labore & difficultate maxima, ita curioſa diligẽtia, obiuit, ac perluſtrauit, & Geographicæ picturæ beneficio, cũ ſempiterno nominis ſui elogio, à ſe perluſtrata, & obſeruata, ad poſteritatem trãſmiſit. Cæterũ, hi, & complures alij, celebritate nominis clariſsimi viri, heroico, & mitiore vſi ſunt ſæculo, q̃, in quod nos, temporũ & hominũ malignitate, incidimus. Periculoſum quippe, imo, vix Regũ ac Principum legatis, iam tutum eſt, ob latronum, ac nefariorum hominũ frequentiam, qui omnia paſſim itinera, ad cædem ac rapinas parati, occupant, diuerſas peragrare regiones, varias perluſtrare vrbes ac oppida, peregrinos populorum ac gentium ritus ac conſuetudines, oculari obſeruatione, conſpicere. Et, ſi peſtiferis etiam, ſceleratiſſimorũ conatibus, & funeſtiſsimis ſicariorũ inſidijs, optima ingenuorum hominum ſtudia non impedirentur: Non ſunt tamen omnibus eæ facultates ac opes, quas difficiles, & remotæ peregrinationes requirunt. Non omnibus id corporis robur, vt moleſtias & difficultates itinerũ dueant perferre. Quod ſi verò maximè, opes, ſi vires etiã, valetudoq́; ſuppetãt; variæ ſunt, ac piuerſæ diuerſorũ, conditiones. multi functionibus publicis, multi priuatorũ negotiorũ mole obruti, non poſſunt liberalẽ & laudabilem inclinationem ſuam, eorum locorum inſpectatione, quæ hiſtoriarũ, & famæ præconio, celebria ſunt, ſatiare. His & ſimilibus incommodis præſenti inſtituto noſtro occurrendũ, & multorum votis, quorum ego ſermonibus ac literis frequenter ſum incitatus, conſulendum eſſe putaui. Vt nimirũ, nunquam ſatis laudato, Coſmographico Abrahami Orttelij Theatro, quo iam pridẽ ipſe tam Belgis ſuis, quã exteris etiam nationibus innotuit, Topographicas Vrbium & oppidorum delineationes cõiungerẽ, eò, quod argumentũ hoc noſtrum, cum Geographia tã arcta ſit ſocietate coniunctum, vt noua quadam, & mutua eam luce perfundat. Quod. n. Geographia de vniuerſæ terræ ſitu, generatim, & ſummaria quaſi narratione, recenſet, haud ſecus, atq, præcellẽtes pictores, quos Inuentores inde vulgo nũcupamus, elegantem & venuſtam exhibituri picturã, potiora prius lineamenta, & præcipua corporis membra, per diſpoſitas, & vſitatas lineatiões generali idea, deducũt, (Qua de re Albertus ille Durer⁹ Noricus, opus perelegans cõſcripſit;) Id Topographus, ſeparata certarũ mũdi partium, puta vrbium, oppidorum, inſularũ, fluminum, lacuũ, montium, fontium, &c. enarratione, hiſtoricè explicat, & ſpectantium oculis, quaſi oppidum, aut locum ipſum coram intuerentur, proponit. Quod quidẽ, cùm tertiò hoc vrbium Tomo, vt laborioſa, ita artificioſa Frãciſci Hogenbergij manu, hiſtoricis etiam noſtris enarrationibus, optima fide, ex veterũ, & recentiorum ſcriptis, ex cõmunicatis doctiſsimorum virorũ ſermonibus & literis, ex obſeruatione demũ propria à nobis, pro virili, præſtetur, & vrbium, oppidorumq́; icones, ea forma exhibeãtur, quæ vicos omnes, plateas, ædificia, areas, ſpectatori manifeſtè ob oculos ponat: diuinare equidẽ nequeo, quidnam Geographiam, hiſtorica enarratione illuſtratam, amantes, addam etiam curioſi, vlterius, ad plenã mundi cognitionem requirere poſſint, aut debeant. Maximè quidem, ſi notum iã diuerſarũ nationum & linguarum hominibus, Orttelianum Orbis Theatrum, noſtris vrbiũ Tomis

coniungant. Id, quod clarissimus vir, omni scientiarum nitore perpolitus, Dominicus Lampsonius, singularis mihi amicus, venusto, elegantiq; carmine, & lepidissima Abrahami Ortelij, cum Brunio concertatione, quæ Præfationē immediatè subsequitur, prudentissimè etiā cōsulit. Atq; hinc cōmoda, vtilis simul, & iucundissima contēplatio, orietur. Quid etenim dici poterit, aut fingi iucundius, quàm in loco aliquo tuto, & à periculorū metu alieno, apud penates domesticos, vniuersam terræ, quā inhabitamus, formam, regionibus diuersis, flumi nibus, & aquis discretam, vrbium, & oppidorum nitore ornatam, librorū istorum præsidio intueri, illudq; inspectione picturæ, & adiunctarū enarrationum lectione cognoscere, q̄ alij longis & difficillimis itineribus vix vnquam consequi potuerūt? An ne ea ratione, maxima videmur itinera, flumina superasse, ac maria, & alium quasi mundū ingressi, dum remotarū gentium, & populorum vrbes, diuersos viuendi ritus, diuersas habituū formas, (de quibus varij, & magnorum sumptuum nunc passim libri scribuntur,) quæ nostris sunt vrbib⁹, singula ri diligentia & studio adpicta, contuemur? Et maximè, cùm citra metū vllius, vitiosorū morum, contagij, hisce in libris peregrinari liceat. Fit namq; frequēter, vt, qui lōginqua itinera, incertas, & periculosas nauigationes, mundi cognoscendi gratia, suscipiunt, earum gētium, quibus cū longa consuetudine viuunt, corruptelis ac vitijs infecti, ad suos reuertantur: sed horum librorum præsidio, totus conspicitur mundus, salutaria virtutum percipiuntur exempla, viri, eruditione, & virtutibus illustres, cognoscuntur: Nihil de vitiorum contagio, quo certæ nationes obnoxiæ, pertimescēdum periculi. Erit igitur in hoc nostro Theatro, quo se historiarum, & peregrinationū studiosi, citra discrimen, & periculum aliquod, oblectēt, dū varias diuersarum vrbium formas, constitutiones, ac situs, dū quid in ijs maximè exercetur, studiāne, &, qualia ista potisimū, vigeant, An mercatura tractetur, cognoscent. Erit, quod Pictoribus sit recreationi, qui loca aprica, amœnos fructiferosq; colles, mirabiles fluminū lapsus, mirabiles vrbium, montiū, insularum, lacuum situs, quos nō semper ad viuum delineatos habent, excerpere, suisque tabulis atque operibus ad ornatum, maxima cum voluptate spectantium, inserere poterunt; Quod à plerisque etiam factitatum, frequenter obseruaui. Erit, quod Architectos reficiat, dum magnifica diuersarum vrbiū ędificia, mœnia, muros, & propugnacula, pro diuersa temporum, & machinarū, quibus impetuntur, ratione, contra insolentes hostiū iniurias offensionesq;, excitata, in Theatro hoc nostro conspicient, quorum visendorum gratia, ad remotas regiones frequenter proficiscuntur. Erit etiam ijs, qui à grauioribus studijs liberi, otio abundant, vel, qui ob læsam afflictamq; valetudinem, sedentariā coguntur vitā amplecti, ampla suppeditata materia, qua honesta dignitate, otium & tœdium fallant. Deniq; & ij, qui ad Remp. gubernandam vocantur, vt variarū hīc vrbium icones videbunt, ita, diuersarū gentium institutā; Resp. mores, & consuetudines cognoscent, & optima, ad Remp. suam formandā, exempla inuenient. Neq; porro ijs tantū, qui exteras regiones, varias ob causas, inuisere, ac perlustrare nequeunt, vtiles erunt, & iucūdi nostri labores, verùm his etiā gratissimè accident, qui longinqua, studiorū, vel qualiscunq; rei, gratia, itinera, & profectiones, conantur suscipere. Illi namq; horum librorum inspectione exercitati, certa quadā ratione præparabuntur, vt nō ad incognita, sed quodam modo sibi perspecta loca deueniant; quod in ijs visendum, q̄ fama, & communis omniū opinio, tanquā celebri⁹ deprædicat, multo deinde commodius, cōpendiosius, & accuratius indagare poterūt. Ita nāque anno elapso accidit, vt clarissimus amplissimusq; vir, D. Franciscus Dumsdorffius, nō maiorū tantum imaginibus, sed scientiarū etiam, virtutumq; splendoribus, verè nobilis, (cuius Bibliotheca, in remotissimis mundi regionibus, incredibili diligentia ac sumptu comparata, optimi historicorum, & eruditissimorū hominum iuuantur conātus:) ad Vbiorū Metropolin Agrippinam Coloniam quam nunq̄ ante viderat, animi gratia, deueniens, ea, quę exteris ad vrbis commendationem exhiberi, & visu iucunda esse solent, iam annotata, & quasi sibi perspecta habens, designare potuerit, vt mihi non peregrinus, sed notus in patria hospes, videretur. Ea quippe, ex primo vrbium nostrarum Theatro, in quo Goloniam Agrippinam, patriam nobis charissimam expressimus, obseruarat. Ita, in Italiam, Dominā & Reginam Europæ, abituri, vt amplas in ea Respub. Vniuersitates præcellentes, totius antiquitatis vestigia, infinitā, & inexplicabilem ædificiorū, ac operum varietatem, cultissimos agros, Florentis Imperij sedē conspiciant, & admirentur, De quibus antiquæ historiarū memoriæ,

varia

varia & stupenda perhibent, Illi inq̄, vt plurimum, eam Italiæ partē, quæ Floro, req; ipsa tesstāte, toto orbe terrarū pulcherrima est plaga, Campaniam, Plinio, meritò, fœlicem, primū adire, ac perlustrare solent, vt amœnissimo in ea Liberi, Cererisque delectentur certamine; iucundissimas Fontium Baianorum contemplentur delitias: montes, sulphureas ignitasq; exhalationes eructantes: vrbes, portus, paludes famosas, cryptas, ac specus ingentes, ac infinita demū alia naturæ, & artium, quæ luxus Romanus, hoc loci, peperit, opera. Hæc autem omnia, peculiaribus Theatri nostri tabulis, tam graphicè, præstantissimi viri Georgij Hofnaglij Anuerpiani, opera (quem raræ dotes naturæ, non artificis institutio præcellentem edidêre pictorem) exhibentur, vt ea, qui studiosius inspexerit, quid in vniuersa Campania, maxima obseruatione dignum; quidnám ipsi in ea potissimū inquirendum; quænā loca, aut eui tanda, aut, ob præsentissimum, cautius perlustranda, periculum, iam ante, rudi cognitione, intelligat, quàm iter hoc ipsum ingressus fuerit.

Sed neque per se commendati operis, hīc laudationē suscipimus, quòd diuersarum linguarum editio, frequens distractio, & Eruditissimorum virorum commendant elogia, quorum aliquot saltē publica esse voluimus, alia verò, & venusta & prolixiora, ne in immensum Prolegomena excrescerent, in proximam oportunitatem reseruantes.

Sunt porrò, vt intelligo, nonnulli, qui hosce vrbium Tomos, atq; institutū hoc nostrum, genusq; argumenti, ob studia, quibus me, vocationis gratia, consecratum sciunt, malignè rodunt, & superstitiosè reprehendunt. Verùm hi grauissimorū virorum, Hieronymi, Isidori, Bedæ, Orosij, Roderici Toletani, Roderici Santij, Aeneæ Syluij, Ioannis Gerundensis Episcopi, Alberti Crantij, Osorij, & complurium aliorum meminerint, Quos à nemine hactenus reprehensos existimo, quòd, licet ecclesiastici, historicum sibi argumentum scribēdi delegerint. Varia etiam & diuersa diuersorum esse studia meminerint, natura ad picturarū & ectyporum amorem, & admirationem me rapi, non nesciant. Ferant illi amare me & sequi, quem mihi natura honestum indidit, sensum, cùm & ille à sacris studijs, non modò alienus non sit, sed lucem etiam permagnam ijsdem adferat. In quibus varia quandoq; ædificia, templum, Regia Solomonis, Sion, Vrbs Hierosolymorū, Bethleem, D. Pauli patria, non obscura Cilicum Ciuitas, & similia multa, quæ instituti nostri sunt, describuntur.

Sed, vt ab his tandem, qui neque picturis, neq; Geographicis delectantur iconibus, quibus etiam hi nostri non sunt nuncupati labores, ad beneuolos nos spectatores conuertamus; eos, vt peramanter rogemus, iam reliquum est, quò conatibus & studijs nostris benè faueant, ijsdemque fruantur: Ac demum precemur, fœlices sint, ac valeant.

COLONIAE AGRIPPINAE

ANNO M. D. LXXXI.

IN GEORGII BRAVNII THEATRVM, VRBIVM ORBIS TERRARVM.

BRVNE, tuo qui das vrbes spectare Theatro
Pictura expressas, quot, puto, terra gerit;
Aemulus Ortelij nostri, spectanda Theatro
Terrarum dederat, qui sola cuncta suo,
Litem agitatis, vter labor anteferendus, amici?
Lis minimè facilis, carus vterque mihi,
Sic ego. Sed causa se mox adcingit agenda,
Me, renuente licet, iudice, vterque sua.
Ac BRVNVS prior: Ipsa domos inuenit, & vrbes
Condere de patrio vertice nata Dea.
Expolijt que feros mores, & agrestia corda
Ciuilem ad vitam mollijt alma modum:
Munijt & muris, instruxit & artibus vrbes,
Quot quot vt hinc animum, corpus & inde beant.
Iura, magistratusque dedit, sanctumq; Senatum,
Terrorique malis, præsidioque bonis:
Vt malè pro meritis, illos sua pœna sequatur,
Hi probitate sua præmia digna ferant.
Neu, quia terrarum sola sunt magis vrbibus ampla,
Has ab eis vinci nobilitate putes.
Nonne ampli reliquis, Sol aureus, aurea Luna,
Astráq; sunt cœli nobiliora locis?
Byssina nonne sua veste excellentior ora est?
Byssina veste licet, sit minor ora sua.
Quin cælum soli, lunæq; vt debet, & astris:
Sic decus omne ora vestis & ipsa suum.
Sic adamas auro potior, quo clauditur, auri
At tamen est moles magna adamante magis.
Paruus & est cycni melior canor, ille gruum quàm
Dispersus nubes clamor in æthereas.
Quod sine sideribus cœlum, sine nauibus æquor:
Hoc sine terra suis vrbibus esset iners.
Nulla hominum inter se commercia, vita ferarum,
Non hominum, nullo more, nec arte foret.
Quàm memoranda oculis de se spectacula præbent
Vrbes, & muris oppida clausa suis?
Vrbes dant plateas recto procul agmine ductas,
Dant fora, dant varijs compita pulchra locis:
Templa peristylijs decorata: palatia, circos;
Dant Xystos: thermas, amphitheatra, tholos;
Culminibusq; polum ferientia Mausolæa,
Et præcincta suis atria porticibus,

Pyra-

Pyramidasq;, arcusq; & Niliacos obeliscos,
Quasq; procul fornix plurima ducit aquas.
Dant portas, turresq;, & propugnacula, & arces.
Dant portus, pontes, marmoreasq; domos.
Nec tua, Dinocrates, iuuat hic ars sola videntem:
Hîc & Apellea, Phidiacaq; manus.
Denique pingendis magis vrbibus Optica gaudet,
Ars delectandis Optica nata oculis.
Maior & hinc pictas vrbes spectare voluptas:
Quàm terra in tabulis, plana geographicis.
Iure igitur nostrum, cùm det pictora Theatrum,
Sint minus ampla licet, laus mea maior erit.
Et librum grauiore meum mercabitur ære
Sollertes oculi cui potiora probant.
At contra ORTELIVS. Pallas quas condidit vrbes
Vrbanasq; domos, vt libet, ipsa colat:
Rura mihi, & gelidis placeant in vallibus amnes,
Et nemora, vt quondam summe Poëta tibi:
Vrbium vbi strepitum, & populi tabularia, & auras,
Insanumq; forum, & ferrea iura fugis.
Scilicet haud vllas Bruno, rus repperit artes.
Quin & commodius quas libet vrbe colit.
Noster hic, en, Iudex, libet hanc cui fingere litem:
Quippe ea nos inter nulla nec est, nec erit:
Legiacos inter strepitus, curasq; nequibat,
Nunc Stabuletano fingere rure potest.
Ipsa adeo Pietas, Astræa, Aedosque, Fidesque
Vrbibus ejecta, vel modò rure latent,
Vltima vel posuêre in agris vestigia, & inde
Ad cœlum volucri, se retulêre fuga.
Vrbis amator erat Fuscus, tu ruris Horati.
Cætera qui Fusco, pene gemellus eras,
Musarum tibi cœtus amat nemus, & fugit vrbes,
Ipse sibi vt tota mente vacare queat.
Ignorasq; locum potiorem rure beato:
Nec tibi iam quamuis maxima Roma placet.
Rus itidem Ortelius præfert, vt Horatius, vrbi;
Vtque animi, distant nomina & ipsa parum.
Fumosas Fuscus, fumo qui concolor, vrbes
Et referens Fusci nomina Brunus ament.
Hactenus Ortelius. Sed & addere deinde parabat
Præsidio causæ plura futura suæ:
Nempe Geographicas sic laudatura tabellas,
Vt sua, Brune, tuis vtiliora probet.
Ast ego præuertens: Vestram hanc componere litem
Sic, inquam, vt vestrum vincat vterq;, volo.

(***) Debetur

Debetur toto, tabulis quem rettulit, orbe
Laus magna Ortelio, nec tibi Brune minor
Quare, vt ſuaue magis dulces ſeſe inter amicos,
Quam ſecus, eſt Brunum cernere & Ortelium:
Gratius ætherios ignes ſpectare, colore
Cæruleo liquidi ſe ſociante poli.
Byſſina & ora ſua ſpecioſior addita veſte eſt.
Nec ſat diſiuncta veſtis, & ora decent:
Atq; adamas, nudum ſi contemplère, minus quàm,
Auro ſi incluſum, quo capiaris, habet:
Deniq;, vt vrbs, & pars vicini ruris eodem
Obtutu, atq; vno tempore viſa iuuant:
Sic non inter ſe veſtros conferre labores,
O Socij (hæc ſemper res odioſa fuit)
Aut illum huic, aut hunc illi præferre, ſed illum
Aequè hunc æquali tollere laude placet.
Bibliopola igitur coniungat vtrumq; Theatrum
Cenſeo, vt ex vnus fiat vtroq; liber.
Sic duo conſtituent vnum Amphitheatrum, oculisq;
Iuncta Theatra magis grata duobus erunt.
Nec ſpectatorem, renuat niſi bulga, pigebit
Duplice opus duplex ære parare ſibi.

Dominicus Lampſonius Brugenſis canebat.

CARMEN HVGONIS FAVOLII IN TERTIVM VRBIVM THEATRVM GEORGII BRAVNII AGRIPPINATIS.

INtulit orator cænis Ortenſius olym
Stellantem Iunonis auem, g emmiſque decoram,
Pandentemq; alas, caudamq; ad terga rotantem,
Monſtrantemque vago conuiuis picta colore
Sydera, purpurea paſſim quæ luce repleta
Non vna variant proprios ratione colores.
Intulit haud aliter, ſtudijs quo conſulat almis
Ortelius, quondam vectus ſuper æthera curru
Phœbæo, varios ritus, tractuſque locorum,
Ignotamque alto penitus gentem Orbe repoſtam.
Quæ varijs prudens tabulis diſtinxit, vt eſſet
Spectanti vario Mundi ſub climate, nota

Quæ

Qualibet occultè latitans pars orbis operti.
Ingens ingenij labor, & res magna, Profundi
Cærula metiri, terram diſtinguere filis,
Et paruis totum tabulis deſcribere mundum.
Brunius, at varias vrbes, cumq; vrbibus arces,
Fluminaq; excelſos cingentia margine muros,
Deduxit quæ altis labentes alpibus amnes:
Coniunxit quæ ſoli terreni maxima regna,
Oppidaque ignoto ſecluſa ſub orbe, celebri
Extollit fama, ſeris ſpectanda ſub annis.
Cunctaq; ab interitu ſeruat, reuocatque ſub ortum
Quæ velut obſcuris iacuère obducta tenebris:
Vt non ſit regio, quocunq; ea fixa ſub axe eſt,
Siue illam ſpectes amplam, ſiue intus & extra
Egregio ornatam, priſco & fulgore micantem,
Quæ non ſit propriis ornata vel vrbibus, altis
Arcibus, aut celſis ferientibus aſtra coloſſis.
O fœlix ætate bona, ſi cuncta benigno
Sydera proſpiciant vultu, digniſſime longa
Annorum ſerie, & tranſcendere Neſtoris annos,
Bruni Caſtalidum decus immortale ſororum.
Nunc tua te prodit virtus, tua fama manebit
Per varios terræ tractus, vrbesque remotas.
Nam duce te priſcos ſeruaſſe videmus honores
Innumeras vrbes, varias cumque vrbibus arces,
Et malè ſeruato rurſum ſplendeſcere cultu.
Ergo ferent meritò in cælum tua facta nepotes,
Poſteritasque tuas extollet laudibus vrbes.
Dumque arces ſtabunt, dum cincta mœnibus vrbes,
Iura Palatinusque dabit dum ſancta ſenatus,
Iuſtitiæq; ſacras ſeruabunt mœnia leges,
Nominis alma tui creſcet cum fœnore virtus.

ECLO-

LECOGA HERMANNI ORTENBERGI NOVIOMAGI IN VRBIVM THEATRVM GEORGII BRAVNII AGRIPPIN.

Aculus Campanus.

DIC, quibus è siluis, ignotus pastor adisti,
Nulla tibi retinens insignia pristina vitæ,
Præter inane pedum, duroq; è tergore vestem?
Camp. Otia cùm tibi sint, aliena negotia curas.
Ast ego, qui patrijs è finibus exsul oberro,
Nec mihi grex reliquus, nec Di mansêre Penates,
Horreo cùm subijt vel sola doloris imago.
Acul. Nescis illoquio depellit pectore curas?
Sedibus ecce meis iam succedemus euntes,
Non procul hinc inter præcelsa cacumina, fagos,
Hic apud irriguum tibi fagina pocula fontem,
Cum pernis, botulis, & lardis pinguibus addam.
Camp. Si iuuat ergo meos referentem audire dolores,
Etsi animus refugit meminisse, hæc accipe paucis.
Est natale solum mihi, qua tacet æquor ericis,
Milia multa patens, vbi Scaldis deuehit vndas
Oceano, tollitq́ue suas Adripia turres.
Hic me grex ouium fœtu lanaq́ue beabat,
Complebat latis qui mollia pascua campis;
Vnde mihi facilem vitam, vxoriq́ue parabam
Prolifica, & natis, quos indurabat eidem
Vita, perpetuus, bissenos sub Ioue sudor.
Hic ego malebam dominusq́; pater q́; præesse
Sedibus angustis, quàm viuere molliter vrbe
Finitima, quo ferre mea de corte solebam,
Gallina sobolem, lac pressum, matribus agnos
Auulsos, & eo mihi ditior esse videbar,
Quod quæcunq; sibi Naturæ postulat vsus,
Villula præbebat, nec opes poscebat ab vrbe;
Aurea, dum, Pacis riderent numine, rura.
At post quam populatur agris, ferus, omnia, miles;
Non secus ac pauidas memini fugitare volucres,
Vulture conspecto, vel si qua rapacior ales;
Pars adière nouum, Carolo quem principe nobis
Enituisse ferunt, mundum, propiúsue profecti,
Pars Celtas, alij remis velisq́ue Britannos.
Diffugêre greges, vix ipsum me quoque ferro
Crudeli eripui, & vagor exsul, nudus inopsq́ue,
Qui vix ante solo patrio, me posse reuelli
Credideram, sed præcludunt suspiria vocem.

Aclu.

Acul. Parce p̃cor lacrymis, lacrymas pastoria virtus
Respuit, est cæli spatium, quo viuitur ingens
Siue placent siluæ, siluarum copia nobis,
Siue senex mauis ciuilem ducere vitam.
Nuper fortè mei vicini tecta Georgi,
Cùm subij, paruis spatijs lustranda per orbem
Oppida clara dedit, quibus omnibus ænea primus
Mœnia circumduxit, & æuo æterna sacrauit,
Huc primum egressos siluis, & montibus altis
Fama est pastores coijsse, vt fortius hostes
Arcerent, manibus coniunctis, vimq́; ferarum.
Idem victores parta virtute quiete,
Iustitiæ, & Pacis coluerunt protinus artes:
Hic nunc magnificis templis pia thura cremantur,
Hic gaudet domini versari gleba labore.
Cunctaq́; suppeditat pleno aurea copia cornu.
Qui mage prospiciunt, hi rerum summa tuentur,
Hos alij tanquam patres, venerantur, amantq́ue:
Sic tamen, vt primas, ius immutabile seruet.
Tali principio narrant cæpisse Quiritum
Æternam, alitibus, primum, fœlicibus, vrbem.
Sed tibi ne longè peregrina exempla petantur,
Vrbs antiqua iacet vicina Colonia nobis,
Hanc Vbij quondam nostri statuère parentes
Post habitis proprijs aruis, quæ magna tenebant,
Sed grauis vrgebat vicina iniuria gentis.
Ergo sibi nomen retinebunt vsq; Coloni.
Sed nox atra premit, tibi faxo Georgius ipse
Monstret, quæ seris monimenta nepotibus abdit,
Aurea cum nobis iterum lux crastina surget.

AD GEORGIVM BRVNIVM THEATRI VRBIVM AVCTOREM ELEGIA.

OTia Saturno traherent cùm secula rege,
Rusticus & nullo verteret arua boue,
Massica sed toti ruerent in pocula fontes,
Ruraque complerent auia mille faui;
Non muri, non mœnia erant, nec peruia tellus
Sollicitas hominum senserat alma vias,
Nec labor externos vlli cognoscere mores,
Qualem te memorat Chius, Vlysse, senex
Multorum ignotas docilem venisse per vrbes,
Quà maris extremis terra tenetur aquis.
Sed pia cura Deûm, regno meliore, veternum
Exuit, & stimulos addidit ingenijs.
Tunc artes venêre sacræ, tunc cultior ætas,
Atque animi quamuis tunc abière rudes,
Oppida cùm, legesq; datæ, et commercia terris,
Et faciles alnis præbuit vnda vias.
Ipsaq; conspectus non dedignata viriles
Natarum Vraniæ maxima Mnemosynes
Terrarum, caliq; modos, & liquida regna
Edocuit, rapidis non sine sideribus;
Quæ tellus sit lenta gelu, quæ frugibus apta,
Quà grauis arentes æstus hiulcet agros.
His ego non gemmas, nõ pondera diuitis auri,
Mutarim aut totis putria signa toris,
Nec tu docte sinas, Musarum cura Georgi,
Nec soror hoc Phœbi, nec Deus ipse probet.
Illa tui mihi sint cordi monumenta laboris,
Quæ facili solers duxit in ære manus,
Lustrandásq; dedit totas cũ mœnibus vrbes,
Æquora prospectat quà sua cumq; Ceres.
Queis tibi non vllo quæsitum nomen ab æuo
Excidit. ingenijs stat sine morte decus.

Ioannes Liuineius.

FRON-

FRONTISPICII EXPLICATIO.

GRandæuus Scythici moderatus sceptra Scylurus
Imperij natos decies susceperat octo.
Hos, vbi conspiceret, supremam fata minari
Horam, iamq; suæ metam describere vitæ,
Conuocat, atque dato iaculorum fasce cuiuis,
Hunc iubet vt rumpant. Robur, quo rumpere possit,
Quilibet esse sibi constans negat. Eximit inde
Singula tela parens, & nullo singula nisu
Confringit. Natos hinc talibus admonet orsus:
Colliget vnanimis vestras Concordia mentes.
Viuite pacifici, longum iusisque valere
Litibus & rixis, regni coniungite neruos.
Robora, diuitiæ, milesque parabitur, hostem
Qui patrijs possit depellere fortiter oris,
Absque pauore frui partis, & plura licebit
Quærere: vos multi, nullumq; timebitis ipsi.
Ast vbi dissidijs aditus patefactus, & iræ
Pectoribus fixæ, tum seditione diremti
Ac scissi fuerint animi: iam nulla medela
Morborum, iam nulla datur reparare vigorem
Amissum ratio. Periit, quodcunque tuendi
Robore, dissidijs Regnum se reddidit orbum.
Contemplare libri frontem. Depingit idipsum,
Quod Scytha monstrauit Scythicis, HOGEBERGVS ad artis
Præscriptum digito sculptis solerte figuris.
Pluribus intuitu nexum de cordibus offert
Fasciculum primò CONCORDIA, parte locatam
Oppositam monstrans PACEM, quæ turture gaudet
Verticibus recubante suis: tum fœmina rerum
Cernitur omnigenum manibus SECVRA plicatis,
Diuite dein quiduis promens OPVLENTIA cornu.
Tum quippe aspicias, vrbes & regna potiri
Pace, nec externo lacerari à milite, nulla
Seditione quati: si ciuica pectora lites
Non dirimant, si blanda liget Concordia plebis,
Et procerum mentes, Princeps cum principe iungat
Fœdera, verus amor deuinciat vndique corda.
Pace coluntur agri: complentur diuite fructu
Horrea, Mercator peregrinas vadit in oras,
Fertq; refertq;, quibus se gens humana carere
Posse negat: faciunt operas, gnauumque laborant

Artifi-

Artifices: Phœbus Musas Heliconis alumnas
Vrbibus inducit: populusque Prophetica discit,
Et docet absque metu venerandus scripta sacerdos:
Denique securam nummi ponuntur in arcam,
Quando libido feret, quandoque necesse putabis,
Promendi. Cruciat Mars sollicitudine ciuem
Perpetua, deuastat agros, vineta quę perdit.
Diripit insanus, quę conspicit obuia, miles,
Oppida consumit flammis, transfigit honestos
Ense viros, nulli parcit, rabiéque ferina
Insanit. Facies narrabit Belgica, Græcum
Consule, cum Gallo confer. Discordia, dicent,
Bella parit: bellis querimur, florentia quondam
Oppida nunc deserta viris, rebusque iacere
Orba necessarijs. Traiecti insanit Iberus,
Machliniam Germanus habet, vastauit Athenas
Turcus: Dissidijs casus debemus iniquos.
Efficiat Deus omnipotens, ne iurgia Gentis
Germanę componat Arabs, Oriente remoto
Qui semel egressus non patria rura reuiset,
Donec eas etiam, quę sole cadente tepescunt,
Finibus Assyrij imperij coniunxerit oras.
Illi, quę cruciat se sollicitudine nulla,
Subdita diua IVGI patiens: & RVSTICA dextra
Instrumenta gerens, illi, quę diuite quiduis
Depromit cornu, dominantem sede suprema
IVSTITIAM generāt. Huius fert dextera strictū
Ensem, læua libram. Gnauo dum namq; labore
Vertit agrum, plantat vineta colonus, & hortos
Excolit, ac natos diuino munere fructus
Non retinet sibi, sed diuendit in vrbibus, omnes
Diuitiasq; soli largè communicat illi,
Longinquis varias qui merces portat ab oris,
Emtaq; mercator pretio dat aromata iusto,
Dat pannum, corium, confectum è lacte butyrum,
Artifices q; suis commune laboribus augent
Amplificantq; bonum: queritur sibi nemo deesse,
Queis eget, & prudenter opes iustę quę locantur.
Sed nec opes sceleri, pacata nec otia frænos
Nequitiæ laxare decet, nec vincula legum
Rumpere, securam tum deniq; viuere vitam
Verè contigerit, formata timore Iehouæ
Pectora si iustas legis patiantur habenas.
Diuinæ, cultuq; Deum, quo poscit, honorent.
Et proceres simul, & ciues: ac subdita iustis
Pareat imperijs dominorum turba suorum.

En

En igitur Pacem peperit Concordia: pacem
Otia diuitiasq; dedisse videmus: & illa
Obsequio legum munita, sed hasce benigna
Instructas dextra terris retulisse supremo
Prognatam Ioue Iustitiam, quæ munit & ornat
Oppida, conseruat florentia, perdita rursus
Erigit, omnigenûm constans medicina malorum,
Queis Thebæ perière, quibus periêre Colossi.
Verùm vbi flagitijs nullus finisue modusue
Ponitur, & scelerum numerúsq; gradusq; subinde
Incrementa capit, iustus nec stringitur ensis
In scelerum authores, imò scelerata piorum
Innocuum gaudet potare caterua cruorem:
Exscindunt vrbes bellumque, famesq; luesque.
Fœda Venus Sodomã, scelerata libido Gomorrham,
Raptus adulterio connexus perdidit vrbem
Troianam, periit ponto vicina Corinthus
Spurca libidinibus. Solymæ vix rudera cernis,
Quæ Dominum mundi crucifixit, viuere poscens
Turpem flagitijs & seditione latronem.
Suggerit ista libri facies: tu lector amice,
Inspice prodiens, HOGEBERGICA dextera quales
Sculpserit ideas: artem mirabere, claudi
Grandia qua possint tantillis oppida chartis.
Tum lege, quæ veterum promens monumenta librorum
BRVNO refert, BRVNO longè doctissimus autor,
Oppida describens, vt sint sita, quôue fruantur
Iure, quibus sint principibus subiecta, Deumque
Qua ratione colant, & cætera digna relatu
Commemorans. Tandem votis ardentibus opta,
Omnipotens digitos Hogebergi viuere mille
Annos vt iubeat, sculpturos oppida mille:
Brunoq; vt excedat viuacis secula corui,
Ipsius vt toto prudentia clareat orbe:
Denique cælestes recipi sit dignus in vrbes,
In quibus æternum cum sanctis gaudeat, Amen.

Casparus Trogus
Decumas.

MAXIMILIANVS Secundus, diuina fauente clementia, electus Romanorũ Imperator, ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Boiemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgũdiæ, Stiriæ, Carinthiæ. Carniolæ & VVittenbergæ, &c. Comes Tyrolis, &c. Recognoſcimus & notum facimus, tenore preſentium, vniuerſis. Rempub. bene & rectè conſtitutam, non tam armis, mœnijs, & propugnaculis, quàm litterarum ſtudijs, & viris rebus agendis aptis & idoneis munitam eſſe decet. Animaduertentes aũt ad conſeruandas & propagandas bonas artes, ac ſeminarium quaſi virtutis conſtituendum & retinendum, operas typographicas plurimũ adiumenti conferre: Ideo non eos ſolùm, qui Reipub. domi aut foris prodeſſe, vel hoſtium iniurijs propulſandis, vel pro Tribunali Ius, & iuſtitiã adminiſtrando, quietem & tranquillitatem publicam tueri ſolent; ſed etiam in primis exiſtimauimus fouendos, qui rei litterariæ curam ſuſcipientes, non de noſtra ſolùm ætate, ſed de poſteris etiam bene mereri nituntur. Cùm igitur nobis tam humiliter expoſuerit noſter & Imperij Sacri fidelis dilectus, Franciſcus Hogenbergius. Quod cùm ſuperioribus annis (præter alia opuſcula) vtrumque theatrum de Ciuitatibus Orbis Terrarum edidiſſet, accidiſſe, vt quidã ciuitatum, regionum, aliarumq; pulcherrimarum rerum deſcriptiones magno ſuo labore & ſumptu depictas imitarentur, ſuoq; nomine in lucem emitterent. Hacq; ratione factum eſſe, vt ſuo labore partum decus ſibi vendicarent, & omne lucrum atq; emolumentum quod ipſi Hogenbergio authori & inuentori debebatur, ad ſe tranſtulerint: Demiſsè nobis ſupplicando, vt quia nunc nouas variarum regionum & nunquam antea viſas deſcriptiones, tertium de vrbibus tomum, venuſtas Bibliorum icones & multa alia prę manibus habeat, quæ in lucem edita non parum lucis Geographiæ & hiſtoriarum ſtudijs ſint allatura, ne (quod antea accidit) huiuſmodi laborum ſuorum fructus rurſus ab alijs intercipiantur, vt priuilegium generale ad omnia ea, quæ in hoc genere editurus ſit, ipſi concedere benignè dignaremur: Nos ſanè eiuſcemodi precibus gratioſè admiſſis, præſentium vigore, ſcienter, animoque bene deliberato, & Cæſarea auctoritate noſtra ſeriò decernimus & ſtatuimus, quod nemo pictorum, ſculptorum, cælatorum, typographorum, bibliopolarum, & aliorum, qui vendendis, vel imprimendis libris, ſeu quacunque alia ratione librariam negotiationem exercent, æmuliſq; opus illud imitaturis, pingendis, ſculpendisúe aut alio quouis modo exornandis, atque illuſtrandis imaginibus & tabulis vſui vel auxilio eſſe poſſunt, memoratum tertium de vrbibus tomum, Bibliorum Icones & quæcunq; alia in hoc genere præfatus Hogenbergius editurus eſt, intra decennium ab editionis abſolutæ die numerandum, coniunctim, vel diuiſim, ipſo inſcio vel inuito, nec typis, nec ſculptura, ſeu quocunq; alio modo, aut charactere, æmulari, aut imitari, vel alicunde allata, intra Sacri Romani Imperij fines vendere, ac diſtrahere publicè, vel occultè poſſit aut debeat. Si quis autẽ præſens edictum noſtrũ tranſgredi aut violare, memoratumq; opus recudere, & in fraudem auctoris ſpargere conatus fuerit, eum non ſolùm huiuſmodi libris, tanquam commiſſis & prædicto Franciſco Hogenbergio, vel hæredibus, aut mandatũ habentibus, auxilio Magiſtratus eius loci, vbi deprehẽſi fuerint, vendicandis priuari, ſed inſuper etiam pœna decem marcarum auri puri fiſco noſtro Imperiali, fraudis vindici, & parti læſæ ex æquo ſoluenda & numeranda mulctari volumus. Ita tamen, vt ex ſingulis editionibus aliquot exemplaria quàm primùm ad Imperialem Cancellariam noſtram tranſmittantur. Quod ſi negligetur, hac noſtra gratia & priuilegio neutiquam vti aut gaudere poſſint, ſed eo priuati & exũti cenſeantur. Mandantes proinde vniuerſis & ſingulis noſtris, & Sacri Romani Imperij ſubditis & fidelibus dilectis tam eccleſiaſticis quàm ſæcularibus cuiuſcunque ſtatus, gradus, ordinis & conditionis exſtiterint, præſertim verò ijs, qui in Magiſtratu conſtituti ſunt, ac vel ſuo, vel ſuperiorum ſuorum loco & nomine, Iuris & Iuſtitiæ adminiſtrationem exercent, ne quemquam hoc Priuilegium, ſeu interdictum noſtrum impunè violare, ſpernere aut negligere patiantur. Sed, ſi quos contumaces compererint, præſcripta pœna plecti, & quibuſcunq; rectè fieri poteſt, modis coërceri curent, quatenus & ipſi grauiſſimam indignationem noſtram cuitare voluerint. Id quod teſtamur præſentibus litteris, manu propria ſubſcriptis, & Cæſarei ſigilli noſtri impreſſione munitis. Datum in ciuitate noſtra Imperiali Ratiſpona, die vigeſima quarta menſis Iulij, Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo Septuageſimo ſexto, Regnorum noſtrorum, Romani, decimo quarto, Hungarici, decimo tertio, Boiemiæ verò viceſimo octauo.

Maximilianus.

V. Io. Bap. VVeber, &c.

Ad Mandatum Sacræ Cæſareæ
Maieſtatis proprium.

Obernburger.

COLONIAE AGRIPPINAE,
TYPIS GODEFRIDI
KEMPENSIS.

ANNO REPARATÆ SALVTIS
HVMANAE. M. D. LXXXVIII.

NORVVICVS.

NORDOVICVM, vel, vt alij, NORVVICVS, populosa Angliæ ciuitas, & vna inter multas celeberrima, ad Orientis Insulæ extremum latus sita, quam veteres, Ordouicum, deprauatè quidem illi, recentiores verò, Nordouicũ multo certè deprauatius cognominauére. De nominis namq; ratione atq; origine variæ sunt, & multiplices diuersorum hominum opiniones. Siquidem qui ea de re scripserunt (scripserunt autem plurimi) in dubias, & ancipites sententias distrahuntur. Quidam enim à regulo quodã seu duce; Noro (nam id in primis traditur) nomen ciuitati impositum putant. Nonnulli, à Norico, antiqui sanè nominis fluuio. Cæterum & fluuius, & fluuij nomen vetustate iam penitùs exaruit. Alij, de piscinis quibusdam, nescio quid, non minus fabulosè quam perridiculè, & insulsè cõminiscuntur. Sunt, qui ex his duobus saxonicis vocabulis: Nort, &, VViche, simul iunctis, ac si dicas, Aquilonarem vicum, talis enim Latino, si exprimantur, sermone, istorum verborum vis est, vrbem, Norvvicum, nuncupatã existiment. Hos vt sequar potissimum, inclinat animus. Est autem Norvvicus, si ad ea tempora respicias, quando illic ab Anglosaxonibus primùm habitari cœptum est, vrbs sanè perantiqua; sin autem ad vetustiora sęcula, & Gurguntum ac Guthelinum Britannos (haud dubio eius, quod hodie visitur, Castelli auctores) antiquissima. Forma eadem ferè, quæ arcui vehementius intento; positaq; est in leni montis deiectu, longe, lateque spatiosa. Etenim in longitudinem ab austro in septentrionem, mille, quingenta passuum, & amplius protenditur. Latitudo autẽ ab ortu in occasum, hoc est, à montis radice, quam flumen alluit, ad summum verticem, passus fere mille; vbi sensim crescendo, in maiorem semper amplitudinẽ diffunditur. Ciuitatem mœnibus cinxerũt, vt fama est, vrbis eius ciues duo, Spinchius quidã & Sparuchius, Anno recuperatæ salutis, M.CCC.LXXIV. Porrò, eodem vtuntur iure, & ijsdem penè ritibus atque institutis in ciuitate gubernanda ciues Norvvicenses, quibus hodie vtuntur Londonienses; Prætoremq; (Maiorem ipsi nuncupant) Regis permissu, quotannis deligunt, cui quemadmodum Londonensi, vsitato more, atq; solenni, gladius prefertur. Diu tamen, sicuti quondam Londinum quoque, cæteræq; huius insulæ ciuitates, Prefectos habuerunt suos, seu vrbis submagistros, quos alibi Balliuos adpellitant. Anno verò M.CCCC.III. qui fuit Regis Edouardi, eius nominis Quarti, is administrandæ ciuitatis ordo primum immutatus est, isque, quem nunc retinent, institutus. Cæterum sedes eius Prouinciæ episcopalis, primum Dunuici fuit: (peruetus est id oppidulum, iuxta Mare situm, hodieq; Filchstovv, dicitur) deinceps, nam duo tũ vni, atq; eidem Prouinciæ Præsules præsidebant, & Dunuici, & Elmhami; nec ita multo post, regnante Eduino, vbi ad vnum denuò Presulem pontificia dignitas deuenit, vsque ad Gulielmi Nortmanni tempora, Elmhami, permansit. Demum, Gulielmo regnante, Arfastus quidam Elmhamo Thetfordiam transtulit; Thetfordia Norvvicum Herebertus, atq; vt illic perpetuò consisteret, proprijs ibidem sumptibus ecclesiam cathedralem, Anno salutis M.LXXXVII. construxit. Ad Norvvicensem hanc vrbem, quemadmodum & in reliquas Britanniæ præcipuas, Daniel Rogerius, Albimontius Anglus, poẽta nostri æui elegantissimus, omniq; artium, & variarum disciplinarum nitore vehementer politus, hoc, quod subijcio epigramma, superiore anno lusit, in procinctu aulico, cùm Serenissima Angliæ Regina, magnifico isthic apparatu, varijs comitata legatis, exciperetur.

Londino assurgit Norduicum iure, priori
Dein Eboraci vrbem, quòd mage prisca, colit.
Bristolio, dubitat, num cedere debeat æque:
Vtraq; Pontificis claret honore pij.
Mœnibus illa valet, cincta hæc quoq; mœnibus altis.
Arce potens hæc est, nec minus illa potens.
Nobilis emporio viget vtraq;. Bristolin amnis
Sabrinæ refluens: hanc sed Hierus adit.
Vtraq; fœcundæ circundatur vbere glebæ,
Vtraq; culta opibus, ciue decora suo est.

Norduicum populi nũmero, spatioq; per amplo:
Nauibus vrbs præstat Bristoliana vagis.
Hospitibus Belgis simul hæc, simul illa benignæ est:
Vnde simul laudem, commodaq; ampla ferunt.
Ambæ quid possent, Dacæ sensere cohortes:
Nortmannas ambæ sustinuére manus.
Ite pares igitur, memores, quòd tempore prisco
Vtraq; Venta vnâ voce vocata fuit.
Tu sed Iseni orum Norduicum Venta fuisti:
Venta vbi Belgarum Bristolis ante fuit.

NORDOVICVM, ANGLIAE CIVITAS.

HONI SOIT QVY MAL Y PENSE

Thorpe Woode

S. Leonardes

S. Michaell

Lakenam Wo de

1 The place where men are customa
2 Bisshoppes Gate. [ble burnt
3 The Cathedrall church, called Christes
4 S Martins at the Pallis Gate. [Churche.
5 Poke thorpe Gates
6 Magdalene gates
7 S. Butholdes
8 S. Clementes
9 S. Augustines
10 S. Augustines Gates
11 S. Martines Gates
12 S. Martines at th Oake
13 The new milles
14 Hell gates, the Suburbs
tayning toit called Holst
15 S. Benets Gates
16 S. Gyes Gates
17 S. Stephens Gates
18 Brasen dore
19 S. Thons gates
20 Lakenam Woode
21 Chappell in the fielde

BRISTOLIA.

BRISTOLIA, Venta Auiloniæ, nunc Briſtovve, olim autem Britannis, Caer Oder yn nant Badon. Id eſt, ciuitas Oderæ, in valle Badonico, famoſiſſimũ Angliæ Emporium, primum poſt Londinum obtinens locum, ſitum eſt V. M. P. ab Oceano, in vtraque editiore ripa Auonij fluminis (Auon Britannica veteri lingua, fluuium ſignificat. caret itaque proprio nomine hic annis) ponte autem lapideo coniungitur, ſed domibus vtrinq; adeò cõſtructo, vt tranſgredientibus pons minimè percipiatur. Permagnus hic Oceani æſtus. eius enim fluxu, & refluxu, ita creſcit, decreſcitque, vt naues, eo decreſcente, in vado hærentes, eius inundatione, ad nouem vel decem, interim ad vndecim vlnas, in altum deuehantur, idq; ſingulis diebus. Littora, quæ hunc fluuium in Oceanum, profundo admodum alueo deferunt, ex rupibus, cautibusque ferè conſtant, quorum ſummitas, qua ſe in planitiem campeſtrem explanat adamantum adeò eſt fertilis, vt nauem quis onerariam, ijs implere poſſit. A dextra fluminis parte, hę ripæ à S. Vincentio cognominantur, cuius domicilium, ſiue cryptam, in ipſa littoris decliui crepidine exciſam, vſque hodie oſtendunt. Hicq; hæ gemmæ ſingulares omnes è terra eruuntur. A ſiniſtra autem, quæ D. Georgij nomen refert, non item. vbi namq; conglobatæ, & orbicularibus ſilicibus incluſæ, effodiuntur. Hi rufum colorem referunt, fragiles ſunt, & intro caui, quos ſi ruperis, ſtatim ſe adamantes pellucidi, concauo horum circumcirca adfixi, oculis offerunt, matrices vel adamantum oua, hos ſilices, nõ ineptè diceres. Solum, quod æque, vt hi ſilices, rufeſcit, & laterem coctilem, in tenuiſſimum puluerem redactum quis putaret, frumenti, frugumque valdè ferax eſt. Sed naturæ luſitantis miraculum, ſtudioſus hic lector conſideret. Reperiuntur namque interdum, ab ipſa rerum parente, tam affabre adamantes in mucronem turbinati, interdum ſuperficie plana, figuraq; quadrangulari cęlati, vt ab artificioſiſſimo gẽmario, ad normam non poſſint dexterius ſecari. Duritie ab Indicis, ſiue (vt vulgus loquitur) ab Orientalibus, vincuntur, tanta tamen præditi, vt vitrum ſcalpant. Inuenias peritos gemmarios, qui nulla in re hos ab illis differre iudicẽt, quam vulgi opinione. Et hęc quidem hactenus, nunc ad vrbem redeamus. Hæc priuatis ciuium domibus, & publicis ædibus, faniſq; Diuorum, luculenter ornata, atque incolis admodum frequens. Præſtat hoc mercatorum omnigenum hic confluxus. Cum exteris enim, in primis Hiſpanis, Gallis & Hibernicis, quotidie negociantur. Bis quoque in anno, ad Americam orbis partem Septentrionalem, quam terram nouam appellant, piſcandi gratia, nauigant. Omnium itaque hic rerum affluentia & copia, atque annonæ, vt plurimum, grata, exoptataque vilitas. Inter alia rarioris notæ, primum occurrit templum inſigne D. Mariæ, quam Radcle, vulgò cognominant, cõſecratum. Hoc in ripa dicti fluminis, haud procul è mœnibus eſt, pulcherrimi ſanè operis, cum turri ſuſpiciendæ ex marmore altitudinis, intus vndique ſaxo teſtudine cõcameratum, cum lacunari ſculptili, artificioſè variegato. Huic alia teſtudo lignea ſupernè imminet, quæ plumbo tegitur, inter quas duas vacuum, quod erectum hominem continere poteſt, remanet. Incolæ tradunt, hoc fanũ à ciue, (quem Guilielmum Canynges nominant) mercatore, & huius vrbis Maiore (Magiſtratus ſic appellatur ſupremus, & annuus) proprijs impenſis ædificatum. Cuius Canyngi in hac ipſa æde ſepulchrum honorarium, ex lapide magnificum, quod eius, & vxoris ſuæ imagines integras marmoreas, ea forma, & veſtitu, quo mercator incedere ſolebat, ad viuum refert. Hoc adiecto Epitaphio:

Hic inferius tumulatur corpus nobilis & circunſpecti, magnæq; induſtriæ viri, VVilhelmi Canynges, dudum valentis Mercatoris, & quinquies Maioris iſtius villæ, & poſtea in ordine ſacerdotali per ſeptennium conſtituti, ac Decani de VVeſtburi, qui in iſta Eccleſia duas cantarias perpetuas, duorum Cappellanorum, videlicet, vnum in honorem S. Georgij, & alterum in honorem S. Catharinæ, ac etiam vnum clericum ſtabilem fecit, & iuxta eum requieſcit vxor ſua Ioanna, quorum animabus propicietur Deus.

Alio in loco, ſed eodem in templo, idem aliud habet monumentum, ex eiuſdem generis lapide, cum eius imagine ſacerdotali, quod iuxta Sarcophagus eſt, qui oſſa continet. Aliud inſuper hic templum viſitur, quod S. Crucis nomen habet: hoc lanæ impoſitum credunt ciues. quod etſi videatur abſurdum, tantæ molis nempe fundamentum, tam molli conſtare poſſe materia, non nemini tamen ex ijs, quæ ſequuntur, perſuaderi, fortaſſe facilè erit. Præcelſam habet, & elegantem turrim, quam craſſitie & altitudine cum ea Colonienſi, quæ ſancti Martini minoris nomine innoteſcit, æquiparare auſim. Hæc, ſonante, quæ in ea ſeruatur, campana, hac illac, adeò commouetur, vt tandem hac nimia, & frequentiore agitatione, ſe à cætero templi corpore abruperit, rimamq; à ſummo tecti culmine, ad imum vſque egerit fundamentum, ita hiantem, vt tranſuerſos tres caperet digitos. Scribit ad me Abrahamus Ortelius, ſummus vt antiquitatum admirator, ita, dum Coſmographiam remotiſsimis in locis rara diligentia excolit, ſumptibusque & impenſis permagnis exornat, rerum mirabilium, & ſtupendorum naturæ, artiumque miraculorum, indagator acerrimus, Huic rimæ lapillum oui anſerini magnitudinis, ſe impoſuiſſe, quem ſenſim viderit deorſum, prout ea ſe arctaret, dilataretque, deuoluit, atque ex crebra colliſione, in fruſtula demum conquaſſari. Dorſum cum turri ſubieciſſet, ruina eius oppreſſum ſe iri, reformidaſſe. Aedituum etiam (quem Gubernatorem ibi nuncupant,) aliosque non minoris auctoritatis viros retuliſſe, totius huius templi molem, olim, priuſquam hiatus iſte factus eſſet, titubaſſe, idque ea vehementia, vt lampades inde extinguerentur, oleumque effunderetur. Eſſeque huius rei adhuc in eadem diœceſi, teſtes viuentes. Templum autem nunc, quia campanarum ſonitu minime tangatur, immotum ſubſiſtere.

BRIGHTSTOWE.

BRIGHTSTOVVE, vulgo; quondam venta, florentissimum Anoliae Emporium.

1. S. Peter.
2. S. Mary port.
3. Christchurch.
4. S. Laurence.
5. S. Tones.
6. S. Leonard.
7. S. Warbors.
8. S. Alphius
9. S. Alhalowes.
10. S. Nycholas.
11. S. Stephen.
12. S. Michael.
13. S. Thomas.
14. The Temple.
15. S. James.

Great S. Augustin

Lytle S. Augustin

The marshe

The Key

Ship St.

Hw St.

Shamb St.

Neugate

Chatelle

S. Phillippe

Y. Bacchee

Ratcliffe

S. Thomas St.

Temple St.

Temple gate

CESTRIA.

CESTRIA, Deua, Antonino, vrbs Angliæ, Comitatus Ceſtrenſis ſuper Deam fluuium, Romanorum monumentis celeberrima, de qua Iohannes Lelandus comment. in Cygneam cantionem, ita ſcribit: Deua, Britan, Cair Leon ar dour Devv. id eſt, Caſtrum Legionis ſuper Deuam flu. Ar Devv, à Britannis conſulte additum, vt flu. titulo diſtinguerent à Cair Leon ar vviske, quam vrbem Romani, Iſcam appellabant, & Iſcelegiam. Antoninius ſcriptor Latinus hanc vrbem Deuam à flu. appellat. Beda ſecundo capite, ſecundi libr. hiſtoriæ Anglicanæ, vrbem Cairlegion appellat, ſecutus Britannos. At Saxones, aliud indidêre nomen, videlicet Legeceſter, à Legionum caſtro, vt appareat ex Rogeri Houedeni hiſtoria. Admiror interim, quæ auctoritas eò deduxerit Gulielmum à Maildulphi curia, vt libro de epiſcopis Angliæ quarto, ſcriberet, Legionum vrbem inde dictã, quòd emeriti milites Iulianarum Legionum, illic conſederint. Ego verò palam pronuncio, nec legiones Iulij; nec ipſum Iulium eo peruenisſe. De Decia flu. fuſius hìc ſcriberem, niſi nuper in libello, cui titulus Genethliacon, in gratiam Eadueardi Principis edito, accuratè pinxiſſem Tegeum lacum, Penliniæ ornamentũ magnum à quo defluit, ac prætereà curſum illius omnem ad ipſa vſque oſtia. De antiquitate & magnificentia huius vrbis ſcripſêre quidem multi; at fuſiſsimè Ranulphus Hygedenus, & Henricus Bradeshauus, monachi Ceſtrẽſes: Ille, in hiſtoria, cui titulus Polychronion: hic in vita D. V Verburgę virginis. Sentijt magnam hæc ciuitas cladem, tyrannide Ethelfredi Nortabrinorum Regis, at maiorem longè perſequutione Danica, qua tantum non funditus concidit. Ethelfleda filia Ealfridi Magni, & Coniunx Ethelredi Comitis Merciorum, quam Henricus Huntendunẽſis, eleganti carmine vel ad ſydera tollit, vrbem & reparauit, & exauxit. Leofricus Merciorum Comes, vir, tum nobiliſsimus, tum optimus, Deuę gloriam inſigniter promouebat. Idem fecit & Lupus Comes, gente Nortmannus. Tandem Petrus quidam, coronidem magnificentiæ addidit, eò transferens Lichefelda ſedem Epiſcopatus, Gulielmo Magno Anglis imperante. Atque hæc quidem ex Lelandi commentarijs hactenus. Ranulphus autem Ceſtrenſis monachus, quem Lelandus allegat, Polychronij ſui lib. 1. cap. 18. Ciuitas, ſcribit, Legionis, videlicet Ceſtrenſis, ſituatur in Marcheis Anglię, ſuper riuulum Dea, & Latine nuncupatur Ceſtria, vel Legiceſtria, & ciuitas Legionis etiam, eò, quòd ibidem hyemabat militum auratorum legio vna, quam Iulius Cæſar miſerat, Hiberniã ſuperandam. Et poſtea Claudius Cæſar, ab inde Legiones miſit ad Orcades inſulas expugnandas. Huius ciuitatis ædificatoris nomen non conſtat. Nam quicunque viderint concaua ædificia ibidem magnis lapidibus conſtructa, opera Gigantum, vel Romanorum potius, quam Britannorum eſſe, iudicarẽt. Antiqua ibidem hominum nomina characteribus veteratis inſcribũtur. Iulij quoq; Cæſaris nomen ibidẽ mirabiliter inſculptum eſt. Hæc quoq; ciuitas, tempore Britannorum prima erat Venedotiæ, videlicet Borealis V Valliæ partis. Iſta quoq; ciuitas magnum numerum mercimoniorum tam recipit, quàm emittit: pecoribus, frumentis, & piſcibus, prȩcipuè ſalmonibus, abũdat. Huc vſq; Polychronion. Ceſtria igitur Epiſcopalis, magnifica, & celeberrima Angliæ vrbs, amplitudine, ſuperbo ædificiorum nitore, & cultiſſimorum hortorum elegantia commendata, duo paſſuum millia, in circuitu colligit. Eccleſias parochiales nouem, & cathedralem elegantem exhibet, præter loca alia ſacra, vt hoſpitalia, & Noſocomia, religioni nuncupata. Suburbia habet elegantiſſima, & ſpacioſa, platcas patentes, & domus eum in modum conſtructas, vt per vniuerſam propemodum vrbem ambulare quis poſſit, & in plateis tamen nunquam conſpiciatur, ſed in periſtilijs, & mœnianis, ab vtraque platcarum parte, conſtructis, quas vulgò (le Roes) nuncupant. Quæ quidem ambulacra, plurimas vtrinq; officinas, & multos, varijs in locis, gradus habent.

Hæc quæ ſequuntur, Londino cum vrbis Ceſtrenſis icone, operi noſtro inſerenda, accepimus.

Anno ante Chriſti incarnationem 917. Rex Leyll incepit ædificare ciuitatem de Cairlehon, quam hodie Ceſtriam nuncupamus, ex incepto opere Lehon Gauer, magni Gigantis, qui circundedit ciuitatẽ muro, & hodie Britannica lingua, Cairlehon dicitur.

Anno ſalutis 126. Marius Rex Britanniæ, hanc ciuitatem ædificijs ſubleuabat, qui ibidem inhumatus manet.

Anno 901. Elfleda, Ducisſa Marchiæ, hanc vrbem ædificijs reſtaurauit, poſt ruinam per Danos factã, & muros magis ſpacioſos erexit, adeò, quòd Caſtellum muro incluſit, quod prius extra vrbem erat poſitũ.

Anno Domini 959. Rex Edgar, Ceſtriæ, aulam ſuam fouit, Riuum Dea introibat lintre, vbi octo Reges, remis in eo laborare coegit, ad Eccleſiam S. Ioannis appulit, & inde ad ſuum Palatium reuertebatur, vt appareret eum fuiſſe dominum & Regem tantarum Prouinciarum. Nomina aũt regũ hęc ſunt. Rynoch, Rex Scotorum. Malcolin, Rex Cambriæ. Macon, Rex Monæ inſulæ. Dufral, Rex Auſtralis Vvalliæ. Syfrith & Hovvel, Reges Borealis Vvalliæ. Iacobus, Rex Gallovvay; &, Lukil, Rex Vveſtmerlandiæ.

Anno reparatæ ſalutis 1078. Rex Vvilhelmus Conqueſtator, Licheſildia epiſcopatũ, in Ceſtrenſem commutauit.

Anno Domini, 1301. Rex Eduardus primus, filium ſuum maiorem natu, nomine Eduardum, in Principem Vvalliæ creauit, eidemq; Principatui, Cornubiæ, & Ceſtriæ comitatum adiecit.

Anno Domini 1335. Rex Eduardus Tertius, Cornubiæ comitatum, in Ducatum erexit, cumque filio ſuo natu maximo Eduardo, dedit, vnà cum comitatu Ceſtrenſi.

Ioannes cognomento Scotus, filius Comitis Angutię, vltimus fuit Ceſtrię comes, à cuius tempore, comitatus ille, vnà cum Ducatu Cornubiæ, ad Primogenitum Regis Angliæ ſpectat.

CESTRIA (VVLGO) CHESTER, ANGLIÆ Civitas.

ARMA EPISCOPATVS.

ARMA CIVITATIS.

thedrall
1. S Warbor ecclesia ca
2. Aula Ciuitatis.
3. Domus Episcopi
4. Domus Diaconi.
5 Forū frumentarium
6. Porta Septentrionalis
7. S. Thomas
8. S. Petrus ad crucē alba
9. S. Trinitas
10. Porta ad Orientem
11. S Iohanna
12. Porta ad aquam
13 Rumosa fratrum ecclesia
14 S. Martinus
15 S. Brigetta
16 S. Michael
17 S Maria super montem
18 S Olauus
19 Porta ad pontem
20 Castrum apellatu
21 Suburbia Honbridge
22 Porta noua
23 Pons
24 Turris noua

Hoc flumen Dea diuidit Angliam et Walliā. Oritur in Wallia Septentrionali & cursū suū tendit in lacū Tegæum proprie vocatum. Quo in lacu quoddā piscis est genus quod haud vnquam flumen enatat neq; Salmones quibus flumen abundat, veniunt in Lacum prædictum.

Ranulphus comes obijt anno 1232

Iohannes cognomento Scotus Cestriæ Comes vltimus

Dea f vulgo dee

Boughton

The barrs

Forjat platea

Watergate streate

Estgate streate

Northgate streate

Bridge Street

Castle Street

Roufe

Via ad Tarvuri

Iter ad Wicuin malbanc

Bassus pedc

EDENBVRGVM.

EDENBVRGVM, Regia & metropolitica in Scotia vrbs, Alata castra vocant, à Cruthneo Scotorũ Rege condita,& primęua institutione Agneda, posteriore autem ætate ab Etho,Pictorum Rege, Ethinburgum cognominata,in Landonia,præcipua Scotiæ Prouincia sita. Forthea amne alluitur, excipitq; ab eiusdẽ nominis æstuario nauigia ob orientali Oceano, in frequentissimum portum, vix mille passibus ab vrbe distantem,vbi Hœmonia est insula, hodie columba dicta,vltra Fortheam,in cuius ostio Castellũ Dunbar conspicitur. Habet autem vrbs ipsa Edenburgum duos montes ad Orientem,Austral ior, Cathedra Arthmi,&, qui Aquilonem respicit,Collis apri nuncupatur. Ager vndique fertilissimus est,amœna prata,sylualæ,lacus,riuuli,arces vltra centum per circuitum vrbis,intra vnum miliare Germanicum. Ad Septentrionem interuallo Italici miliarij,est brachium maris,iuxta quod situm est oppidum Letha,in cuius medio constructa est porticus,in qua simul videre licet centum magnas onerarias naues. Habet brachium maris,ibi ad aquilonem in latitudine septem milliaria.Porrò Edenburgum in monte, instar Pragæ sita, habet in longitudine miliare Italicum,in latitudine dimidium.Longitudo accipitur ab Occidente in Orientem.Ab Occidente vrbis,assurgit mons,& alta rupes, atque arx in rupe, natura loci munitissima,sub qua,vndique est profunda vallis,nisi ea parte, qua respicit vrbem. quare arx omninò est inexpugnabilis,cum aditu sit omnium difficillimo,(licet quandoque, sed mirabili prorsus stratagemate, sit expugnata,vti Index latius commemorabit)nec quisquam ad eam scandere posset,qualibuscunque etiam scalis;tam præceps,& dura est petra,in qua vultures nidificant. Quarũ auium nidos deprædantur iuuenes audaciores, ex arce in sportis demissi. Hęc arx, occidentalem vrbis partẽ claudens, Puellarum castrum vocatur,quòd illic Regiæ, Pictorumque virgines insigniores, manuarijs artibus discendis,ad nubilem vsque ætatem,vt tum fiebat,addictæ,arcta custodia seruabantur. Cæterum ad Orientẽ vrbis est augustissimum monasterium S. Crucis,habens annexum palatium Regis, & amœnissimos hortos,quos claudit lacus ad fundum montis,Cathedræ Arthmi. In hoc monte inueniuntur pretiosi lapides,clara die radiantes,adamantes præcipuè.In vrbe sunt duæ magnæ viæ,ab arce puellarum, vsque ad monasterium,& regium palatium,lapidibus quadris stratæ, præsertim regia via. Est suburbiũ ad Occidentem,dimidio miliari longum,vocaturque via S.Cuthberti. Sunt in vrbe multa Monasteria,& templa,præsertim Franciscani,Dominicani,Ecclesia Mariæ de Campo, Collegiũ Sacerdotum: & aliud Collegiũ Trinitatis,Hospitale D.Thomæ.Vrbs ipsa,non est constructa ex coctis,sed naturalibus & quadris lapidibus,vt etiam singulæ ædes possint magnis palatijs comparari. In medio vrbis est Capitolium,& Ecclesia collegiata sancti Egidij. Habent Episcopi,Duces,Comites,Barones & Proceres totius regni, in ipsa vrbe sua palatia, quando ad Comitia vocantur. Est Palatium Regis, positum supra Monasterium amplissimum & superbissimum,à quo, vsque ad arcem puellarũ extenditur perpetua quædam platea,vicus Regius, dicta,sed, quæ prope arcem puellarum latior, prope Monasteriũ autem angustior est; atque hæc regia via insignes habet ex vtraque parte ædes, potioresque polito ex lapide constructas. Porrò,alia oblonga via, quæ vicus Canonicorum vocatur, angustior est, seiungiturque à Regio vico,muro,porta,ac turribus,atque pro suburbio reputatur. A regia via inter austrum & boream,infiniti extenduntur viculi,qui omnes excelsis ædibus sunt ornati, quemadmodum & vaccarum via, in qua patritiorum, & senatorum vrbis, habitationes; principũ ac regni palatia, vbi nihil humile, sed cuncta videntur magnifica. Inter maiores Edenburgi Ecclesias, post insignẽ Monasterij Basilicam, Collegiata sancti Egidij Ecclesia, primũ sibi vendicat meritò locũ, in medio Regiæ viæ constructa. Deinde in vico, qui Edenburgum à via Canonicorum & suburbio diuidit, Ecclesia est celeberrima, Collegium reginæ intra muros. Item inter Monasteria Franciscanorum & Prædicatorum,sita est Ecclesia Marię de Campo,vbi sacerdotum etiam est Collegium. Et sub rupe demùm arcis puellarum,noua S.Cuthberti Parochia est sita.

EDENBVRG.

Castrum puellarum

EDENBURGVM,
SCOTIAE
METROPOLIS.

NEBRISSA.

NEBRISSA, Bęticæ, fertiliſsimæ Hiſpanicæ Regionis oppidum, à Baccho, aliâs Iaccho, Libero patre conditũ, qui Romi, Regis tempore, agmine magno comitatus, in Hiſpaniam venit, non tam dominationis cupiditate, vt inquit Antonius Nebriſſenſis in præfatione Hiſtoriæ ſuæ, quàm vt parem gloriam reportaret ei, quam ex domita India conſequutus erat. Demum victor, nullum aliud Hiſpanis aduentus ſui monumentum reliquit, quàm quòd Nebriſſam in Bætica cõdiderit propè æſtuaria Hiſpaniæ, quam Silius, à Satyris cultam dicit, propter ipſum nomẽ. Nebris enim pellem hinnuli, id eſt, pulli ceruini ſignificat, qua bacchantes Bacchi ſacerdotes induti, ſacrificare ſolebant, vnde ſcribit:

Ac Nebriſſa Dionyſeis conſcia thyrſis,
Quam Satyri coluêre leues.

Hæc vrbs olim inter æſtuaria erat Bætis fluuij, qui in ſaltu Tygenſi ortus, non longè à Caſtaone, fluit in occaſum, dextra læuaq; oliuiferis colitur Oppidis, atq; ab Andugaro Bæticã mediam ſecat, & Prouinciæ nomen imponens, eius vrbes nobiliſsimas, Cordubam, Italicam, Romuleamq;, nunc, Seuillam, præterlabitur, tandemque per vnum oſtium, magno cum impetu, exit in mare Atlanticum, iuxta municipium, quod Luciferi templum ab antiquis dicebatur. Olim autem duo habuit oſtia, quorum alterum, quod Meridionalius, oblimatum eſt, cum alueo eodem, pertendente ab hac Ciuitate Nebriſſa per Aſtam Coloniam ad turrim Capionis. Ex quibus facilè (inquit Antonius Nebriſſenſis) ſoluitur illa dubitatio, quæ ſolet harum rerum curioſos mouere, & meipſum plerunque ambiguum reddidit. Cum Strabone, Ptolemæo, Mela, Plinio, omnibus Coſmographis auctoribus, Nebriſſa & Aſta colonia, inter æſtuaria Bætis poſitæ ſint, quî potuit fieri, vt hodiè non paucioribus, quàm octonis paſſuum millibus à flumine diſtent? Nimirum, quia alueus illę, qui Nebriſſam & Aſtam præterfluebat, oblimatus eſt, ſic tamen, vt illius veſtigia hodie viſantur cum æſtuarijs, atque diorygibus manu factis, vt inquit Strabo, ad exportandas ſcaphis, & lintribus fruges ex agris in vicinas vrbes. Oppidum eſt autem peramœnum & pulchrum, cum arce perueteri, agro vndiq; beatiſsimo cinctum. Nam etſi vniuerſa Bætica Prouincia frugibus, & cunctis rebus neceſſarijs ſit admodum fœlix, hoc tamen pręcipuè tractu, non ſolum lætiſsimas fruges, vina, mella, delicatus arborum fructus, oliuas, ſed & immenſam omnium rerum copiam producit. Quocunque nanque oppidum Nebriſſenſe egreſſus, te vertas, patentes te campi excipiunt, prata viriditate & florib. læta, vineta, & maxime, frequentia oliueta. Quare Nebriſſenſis ager, ab olei non vbertate ſolum, ſed & bonitate pręcipua commendatur, quod hinc in Indiam exportatur. In quem vſum, varij generis fictilia, & vaſa lutea hîc conficiuntur, magnæ capacitatis, quæ ipſi Tenagias, & minora, quæ Botigias, vulgo nuncupant, quibus oleum ad remotiſsimas mundi partes tranſmittunt. Eſt denique hæc vrbs eo multo celebrior, non, quia Bacchum habuerit conditorem, Deum ebrioſum, ac male ſanum, ſed, quòd ciuem ediderit Aelium Antonium Nebriſſenſem, magnum decus & ornamentum Hiſpaniæ, Qui ex Grammatico & Rhetore Regius Hiſtoriographus factus, rerum à Ferdinando, & Eliſabe, Hiſpaniarum feliciſsimis Regibus geſtarũ, decades binas, magna cum laude conſcripſit.

SEPTENILIVM.

SEPTENILIVM, vulgo, Settenil; Hiſpaniæ oppidum in monte, poſitione prorſus mirabili, itinere, quo ex Xeres de la Frontera, Malagam verſus tenditur, plura incolarũ ſubterranea habet domicilia cauernoſa, in rupibus exciſa, quàm quæ foris, ſtructura videntur erecta. Solum, quale in montibus frequens, aſperum & lapidoſum, vt aratri culturam non ferat, ſed pecoris, varij generis, diues. Nam montes hîc paſsim gregibus, & armentis boum, ouium, atque caprarum, pleni. Poſteriore Granatenſi bello, quonam pacto à Ferdinando Hiſpaniarum Rege expugnatum, & Mauris ereptum fuerit, Indicis ex Antonij Nebriſſenſis hiſtoria docebit narratio.

LE BRIXA.

Oliuares.

Oliuares.

Depingeb: Georgius Hoefnagle

SETTENIL.

Deping. Georgius Hoefnagle

AVRELIA.

AVRELIA, vel vt alij Aurelianum, in Gallia ciuitas est, quondam Genabum dicta, sita ad Ligerim fluuium. Quis eam cõdiderit, certò adfirmari non potest. A multis creditum est ab Aureliano Imperatore fundatam esse, atque inde nomen sortitam: sed, cum constet eam multò antè, quàm Aurelianus esset, extitisse Genabi nomine; fieri non potest, vt ab eo fundata sit. Genabum verò, de quo Cęsar meminit commentariorum suorum libro 7. ipsam Aureliam esse, cùm ex ipsa Cæsaris & Strabonis lib. 4. eius descriptione colligi facilè, tum ex Aimonis historia, & aliorum scriptis apertè demõstrari potest. Quapropter Franciscus Belleforestius, celeberrimus nostro tempore historicus, in noua sua Galliæ descriptione, ait, verisimile videri, ab Aureliano Imperatore ei nomen inditum, qui vel auxerit eam, tametsi Vopiscus & Aurelius Victor eius rei nullam mentionem faciant, vel Genabenses à se Aurelienses vocari voluerit, quòd apud eos per Druides de imperio suo prædictum fuerit: explodi autem omninò eorum opinionem, qui ab Aurelia Cæsaris matre sic vocatam autumant, cùm multò pòst etiam Genabum adhuc dicta sit. Minimè quoq; Sabellici sententiam probari, qui à Gallico auri vocabulo: Or, denominatum, quo ob loci, in quo sita est, fertilitatem, & ciuium singularẽ industriam, mirè abundet. Ligeris fluuius tota Gallia notissimus hanc prætęrlabens, magnam illi commoditatem ad mercaturam faciendam, præstat. Vnde non sine causa etiam olim vnicum quasi Carnutum forum fuit. Agrũ circumquaq; fertilissimum habet, omniumq; abundantissimum, vt non minus pro horreo totius Gallię habeatur, quàm quondam Sicilia Romæ. Vina eius territorium præstat nobilissima, quæ inde & in Galliæ, & in alias Europæ partes magna copia exportantur, nomen ab vrbe consecuta. Quapropter mirum non est, ciues ei magno numero opulentissimos, & ditissimos esse, cùm & merces naturæ benignitate habeant, & ad eas aliò exportari curandas egregiam commoditatem. Loco est paulò editiore ædificata, ea maximè parte, qua Lutetiam Parisiorũ respicit, atque vnde se templum S. Crucis, quod non ita pridem per sectarios dirutum fuit, ostentat. Aẽre gaudet puro atque salubri. Peropportunus certè ac maximè idoneus vniuersitati locus, quæ istic, inter cæteras Galliæ academias clarissima, Anno M.CCC.XII. post natum Christum, à Philippo pulchro Galliæ Rege erecta est. Iurisprudentiæ imprimis alumna & cõseruatrix. Nam cum Philippus Rex in animo haberet, hoc loco totius prouinciæ summo senatui sedem figere, qui etiamnum ibi est, necessitatem postulare facilè iudicauit, esse oportere, vnde veluti ex equo Troiano, prudentes ad ius populo dicendum atque administrandum rem omni mortalium societati vti maximè necessariam, ita dignissimam, euocari haberiq́ue possent. Quam ad rem nihil erat Academia tali commodatius. Ex hac vniuersitate quot egregij viri non Galliæ solùm, verũ etiã vniuersæ Europæ communicati, & quasi dati sint, non est facile hoc loco referre. Plures enim sunt, quàm hic locus patiatur enumerari. Hoc tamen prætereundum non est, Bertrandum Burdegalensem Archiepiscopum, qui posteà Pontif. Maxim. creatus, Clemens Quintus dictus est, hinc quoque egressum esse. Lingua hic vtuntur vernacula adeò pura, vt Gallis Aurelianismum esse adfirment, quod Græcis quondam fuit Atticismus. Quare profectò multæ sunt causæ, cur externi homines frequentes huc confluant. Alij enim mercandi causa, alij studendi, alij linguæ discendæ gratia, multi procul dubio vtranque ob causam, vt videlicet & studia prosequantur, & simul linguam purè discant. Vnde imprimis Germanis moris esse aiunt, huc filios suos domo paterna ablegare. Qua ratione inde ab origine gubernata sit, cum nemo scriptorum, quod sciam, posteritati mandarit, non est facile dictu. Colligere tamen licet ad leges Druidum, ab initio sub indigena principe istic Rempub. administratam: Posteà Romanis, rerum potitis, eorum imperio, vti præscriptum fuit, haud dubiè paruisse. Ijs inde vel eiectis, vel conuentione facta, in Italiam reuersis, tandem ad regni titulum euecta est, eo scilicet tempore, quo Clodoici filij Galliam inter se partirentur, primusq́ue Rex eius Clodimirus fuit. Hoc & prole sua mortuis, Clotanus frater in regum successit, qui idem etiam Galliæ vniuersæ monarchiam, fratribus omnibus absque prole extinctis, adeptus est. Posteà Galliæ coronæ restituta, ab ea vsque ad Valesiorum imperij initium, non est diuulsa. Ioannes enim Valesius, Rex, vt erat à Philippo patre iussus, eam ducatus titulo, ac perpetuo quasi regni feudo, cum omni ditione ei adhærente, fratri Philippo, tũ Comiti Valesio, contulit. Vnde deinde ducatus nomen retinuit. Eo iterum sine mascula prole Anno M.CCC.XCI. vita defuncto, secundò ad Gallorum regnũ redijt. Nec enim in huiusmodi feudum, præter mares, quisquam succedit, non magis, quàm in ipsum Galliæ regnum. Postremò Carolus eius nominis Quintus, Galliæ Rex, qui sapiens cognominatus fuit, perpetua lege sanxisse videtur, vt semper Aurelianensis Ducatus secundo Regis filio, quemadmodum primo Delphinatus, cedat. Quondam ab Attila, qui se Dei flagellum appellabat, obsessa legitur, verùm inde strenua ciuium defensione repulsum, inito conatu referre pedem oportuisse.

AVRELIA FRANCIÆ CIVI-TAS AD LIGERĪ FLV: SITA.

S. Pierre en Sentelee.
Martroy
Cordeliers
Eſtappe
S. Sauſſin
Hoſtel Dieu
Grand Carmes
Le martyre
S. Croix, grande Egliſe
S. Pierre Ronde
S. Pierre en pont
Pillory
Vieil marché
Marché aux poullailles
Chaſtellets
Tour neufue
Poterne Chaſteau
S. Aignan
Nostre Dame
Rue S. Laurens
La grand rue
Carmes
Rue d'Illiers
Le pont
Mot
Tourelles
Portereau
LA
LOYRE

RHOTOMAGVS.

RHOTOMAGVS, ciuitas antiquissima, quam Ptolemæus & Rhotomagum appellat, & in Celtogallatia ponit: Ammianus autem Marcellinus, caput facit secundæ Lugdunensis Galliæ, duos habet ad Orientem fluuios, à quibus perluitur, Rubecum & Aubettam. Ad Meridiem, magnum & celebre flumen Sequanam; Ad Septentriones, latissimos pratorum campos, & montes præcelsos complures, vestitos olim densissimis syluis, quæ postea, partim, vt magis conspicua esset regio, partim, vt vrbis aër liberior, atque salubrior; partim, vt bello, minus esset insidijs obnoxia, cęsę, ac deiectæ fuerunt. Quod ad mercatum attinet, fluuij commoditas, eiusq; alueus maximarum nauium capax, tum maris propinquitas, eũ ita facilẽ & copiosum reddiderunt, vt nulla hodiè Europæ vrbs, frequentiorem habeat mercatorum numerũ, nec ciues negotiationis vel terra, vel mari magis peritos, nõ etiam longius mercimoniorum gratia proficiscentes, siue in occidentem, siue vltra æquatorem ad ipsos vsque Indos. Non alibi optimorum gubernatorum & nautarum maior copia. Et certè artes marinas Gallonormanni, propemodum habent naturales, tum ob maris vicinitatem, tum ob diutinam eius rei exercitationem, quam veluti hæreditariam à Noruegis & Normannis è Scandinauia egressis, acceperunt. Sunt, qui dicant, vrbem hanc olim sudibus tantum, & palis conclusam fuisse, sed, cum Cęsar eam videret Romanorum conatib. oportunam, cinxisse muris, præsidioq; muniuisse, propugnaculum autem deiecisse in mõte, cui modò D. Catharinæ nomen est, collocatum. Quod, an verum, in medio examinandum relinquitur. Eius certè neque Dionis, neq; Cæsaris scripta meminerunt. Id tamen verisimile, vrbem hanc, Romanorum tempore non tantam fuisse, quantam hodie videmus. Nunquam enim Cæsar eius amplitudinem, potestatem, splendorem, silentio præterijsset, vt æquè huius vrbis expugnationem laudi sibi duceret, atque aliarum Galliæ vrbium, quarum tum erat fama insignis. Creuit autem huius vrbis amplitudo & dignitas, posteaquam & sub Regum Franciæ potestate fuit, & Nortmanniæ Duces in ea sedem posuerũt, compluribus aucta splendidis ædificijs, quorum Archiepiscopi domus, & S. Ouentij Cœnobium, loco totius vrbis pulcherrimo, situm, in quo & pulcherrimus sit Orientis prospectus, & horti, mirum in modum amœni. Itaq; Reges ferè Galliæ, quoties Rhotomagum adeunt, illic excipiuntur. Est autem hoc cœnobium, à Clotario Rege conditum, cum anteà non aliud esset, quàm Ecclesia, sub Apostolorum Petri & Pauli nominibus extra vrbis muros consecrata. Inter substructiones, quas Rhotomagi splendore, atq; maiestate videas excellentes, est pons ille in Sequana, eo artificio cõstructus, vt vno hoc opere artifex, ingenij sui atq; artis præstantiam vel maximè omnibus probet, cùm alioqui res factu difficillima fuerit, ob maris fluxum, & refluxum, bis die quoque accidentem. Est tamen huius pontis substructio, ex lapide quadrato, maximis, crassissimisque columnis, & arcubus pulcherrimis firmata, altitudine prorsus, & latitudine insigni. Alterum huius vrbis admiratione dignum opus est, Ecclesia Cathedralis, virginis Dei matris nomine, dicata, in qua nihil omninò desiderari potest, quod ad architectonicæ artis absolutissimam rationem exigi queat. Ea tribus veluti armata est amplissimis turribus, quarum, quæ antiquissima, sancti Romani, Rhotomagensium Archiepiscopi turris vocatur; Secunda, nomen habet butyraceæ, quòd ædificata fuerit stipibus corrogatis à populo, ad obtinendum quadragenarij ieiunij tempore, butyri vsum: Tertia, constructa est ad ipsum Ecclesiæ vestibulum, eleganti, atque admirando artificio, quemadmodum & reliquum Ecclesiæ corpus. Historia Ecclesiastica Nortmanniæ, primum Euangelij nuncium atque Apostolum, sanctum Nicasium agnoscit, non illum Romanensem, sed alium, qui duobus sæculis, & amplius antecesserit, missus à D. Clemente in Galliam, & deinde plantato Rhotomagi, alijsque locis, Euangelio, Gagnij ab ethnicis cæsus. Hunc, ob Euangelij persequutiones, aliquot sæculis nemo Rhotomagi sequutus est episcopus. interiectis centum circiter, & triginta annis, Successit Melo, à Xisto, primo eius nominis Pontifice, missus, quo tempore Valerianus imperabat, & Carthagine, Cyprianus Ecclesiæ præerat. Multi horum præsulum impetrarunt suæ Ecclesiæ à Franciæ Regibus multa, eaq; insignia priuilegia, inter quæ illud primum, quòd à Dagoberto Rege eius Ecclesiæ canonicis concessum, ab alijs etiam regibus ordine succedentibus confirmatum fuit, vt quotannis, Ascensionis Christi die, Canonici liberare possint captiuorum vnum aliquem damnationi proximum, & quidem eum, quem ex omnibus talem deligere voluerint. Est autem hæc eius liberationis series; Denunciatione à Canonicis Senatui facta, vt quem petunt captiuum ipsis tradat, eum acceptum, Canonici deducunt in D. Romani Sacellum, vbi peccatorum exomologesin facit. Pòst capsulam prædiuitem, qua D. Romani ossa continentur, à quindecim, aut sedecim hominibus adiutus, in humeros gestandam suscipit, atq; in pompa solenni totius ordinis Ecclesiastici, qua simul omnes proferuntur sacræ vrbis reliquiæ, ad Ecclesiam defert D. Mariæ titulo sacram. Absoluto sacro, deducitur idem ad D. Romani præfectum, qui optimè ipsum habens, eo etiam vesperi in cœnam adhibet, eique lectum ad quietem præbet commodissimum. Eo, postridie ad Canonicorum Collegium deducto, ipsorum quispiam ei recensет, quàm turpiter anteà, & sceleratè vitam egerit, atque vt eam melius deinceps instituat, hortatur. Eo facto, liberatur facinorosus ille, &, si qui etiam cum ipso in eiusdem facinoris partem aut societatem venerunt. Illud interim verum, si quis facinore læsus sit, oportere illi primùm satisfieri. Est autem huius priuilegij cõcessi caussa, quòd D. Romani tempore in sylua ad alteram Sequanę ripam, immani magnitudine serpens, damna vrbis ciuibus plurima inferret, aquam tranans, & pecora cuiusque generis deuorans, quin & homines frequenter, quoties non aliud ad explendam ingluuiem inueniret. D. Romanus, Dei numine confisus, ciues adit, promittitque, si qui velint se adiungere socios, liberaturum se regionem ab hoc monstro. Cum nemo omnium auderet sequi, petijt duos sibi dari facinorosos homines in vincula coniectos; his facilè impetratis, cum eis serpenti obuiam pergit, vno latrone, altero fure. Fur, in fugam se coniecit, Latro Deo confidens, & Episcopi virtute & sanctimonia fretus, vnà cum eo perstitit. Ibi D. Romanus eam, qua indutus erat, sacram stolam, in serpentis collum implicuit, ita verò ligatum serpentem, latroni tradidit pertrahendum, & cum ad areæ medium peruenisset, iussit confixum in terram monstrum exuri, & exusti cineres, in confluentem proijci. Facinorosus ille, qui cum Episcopo perseuerârat, à Senatu absolutus fuit. Post D. Romani autem mortem, cum Ouentius ei successisset, opera Dei admiratus, ne tam insignis facti memoriam intercidere pateretur, impetrauit à Dagoberto Rege, cui rem totam exposuerat, quod superius enarratum est, priuilegium, quod certè vel solum, rei gestæ veritatem satis ostendit, cum etiam ipsum Senatus iudicium ei cedat, & rei à tot iam sæculis gestæ recordatione, iustitiæ seueritatem remittat, & neq; Rex, neq; Dux ab eo tempore successerit, qui non & priuilegium, & natam ex priuilegio consuetudinem approbarit.

RHOTOMA'GVS, Galliae Lugdunensis ad Sequanam flu. Opp. vulgo Rouen.

Porte beauvoisine
Porte Bouvreuil
Porte Renouard
Chemin S. Hilar.
Porte cauchoise
Fauxbourg de cauchoise
Fort S. Catherine.
Forts S. Hilaire
Rolle. Tour
Porte Martin Ville
Saint Paul.
Chemin de Paris.
Les Cais.
Le Pont.
RIVIERE DE SEINE.
Fauxbourg S. Sever.

A. Nôstre Dame.	N. Les Carmes.	c. Rue S. Denis.
B. Palais du Roy.	O. S. Martin sur Renelle.	f. Rue de la grosse boutaille.
C. Le Chasteau.	P. Vieux marché.	
D. Le Vieux Palais.	Q. Neuf marché.	g. Canterie.
E. L'horloge.	R. Marché aux Veaux.	h. Rue S. Vitte.
F. S. Marlou.	S. Nôstre Dame de la Ronde.	i. Les cosmates.
G. S. Lo.	T. Vielle tour grild marché.	k. Rue S. Godart.
H. S. Ouen.	X. Pont de Robec.	l. Rue d'Escosse.
I. La Court d'Ouen.	a. Grand'rue du pont.	m. Rouge marre.
K. S. Croix.	b. Rue cauchoise.	n. La mare querie.
L. S. Mare.	c. Rue Martin-Ville.	o. Croix de pierre.
M. Les Cordeliers.	d. Rue de la Magdelaine.	p. Rue S. Nicolle.

CHARTRES.

QVAE regio Parisijs ad occidentem proximior est, Gallorum olim Philosophis inhabitata dicitur, ijs, qui Druydes adpellantur; Carnutum inquam Regio, mirũ in modum ampla, multos vicos, vrbes multas, copiosas, & diuites complexa, quarum Autricum Cæsari ea est, quam hodie Chartres, Latini Carnutum vocant, à Græco nomine κάρυον, quod nucem significat, ob ingentem nucum copiam, quam ea regio producit. Perinde, vt Gallorum sophi eam incolentes regionem, Druides, vel Dryides, à nomine δρὺς nuncupabantur, quercum significante, propter ingentes eiusmodi arborũ syluas, quarum hodieq; insignis in ea regione copia sit. Hæc autem vrbs à Gallorum sapientibus condita, conuentibus agendis vsui erat. Nam omne paulò maioris momenti negocium, à Druidibus transigebatur, in ea vrbe atq; regione sedes habentibus, neque recte quicquam, nisi eorum auctoritate factum, habebatur. Quæ res, nonnullis occasionem dedit, vt existimarent Chartres, Gallico vocabulo, dictam vrbem, quòd illic carceribus atq; supplicijs coercerentur, qui leges transgressi essent, quasi à nomine carcer, Gallici vocabuli origo deducta fuerit. Verum hanc sententiam multi non sine causa reijciunt. Ager huius oppidi, quemadmodum & vniuersum Carnuticum solum, nulli reliquę Galliæ parti, fertilitate vel amœnitate cedit, vt, quod omni genere frumenti, pecoris, & fructuum abundans, vitibus etiam & vino minimè destituatur, hortorum autem fertilitate & pulchritudine, mirum in modum excellat. Vicino oppido, agri perluuntur exiguo fluuio, qui à Perchijs ortus, in ipsam vrbem se infundit, & ad extremum apud Luparias, maioribus Sequanæ vndis permiscetur. Præcipua vrbis Ecclesia B. Virgini Mariæ est nuncupata, quæ ex superstitioso gentilium ritu, in sacrum & castum veræ religionis vsum est conuersa (de quo plura in Indice) Episcopus tum primus vrbis Aduentinus est institutus, cuius pædagogia Carnotenses, militię Christianæ primùm nomina dederunt. Nec multo post, eius loci Christiani persequutionem passi sunt, à Quirino Galliæ proconsule, qui ad Cornutos veniens, magnum Christianorum numerum in puteum quendam profundissimum præcipitari iussit, qui hodie Sanctorum fortium puteus, dicitur, & in Ecclesiæ crypta visitur. Hac autem persequutione sedata, S. Lubinus, decimus sextus Episcopus, diœcesis episcopæi Carnutensis limites constituit: Quo etiam tempore, ad instar 72. discipulorum Christi, instituti fuerunt ad Aedem B. Mariæ pari numero canonici, atq; eorum alimoniæ, præter id, quod antea possidebant, totidẽ pagi, seu vici attributi. Horum census annui, à quatuor præfectis, seu, vt vocant, Præpolitis curabantur, sed eo iam cessante numero canonicorum, quisq; suas habet villas, & census attributos, manẽte nihilominus in ea Ecclesia Præpositorum dignitate. Gancellino deinde, quadragesimo septimo episcopo, cum hæc ciuitas restituta esset (à Nortmannis namq; grauiter afflicta deformataq; fuerat) & Carolus simplex in Gallia regnaret, Nortmanni Rollono Duce, obsessos in hac vrbe eo redegerunt, vt neminem omninò haberent, ad quem confugerent, præter Deum & Virginem matrem, cuius cultui tot iam seculis addicta ciuitas esset. Itaq; Gancellinus, B. Virginis subuculam, quæ præcipuâ illic pietate adseruaretur, acceptam, de lancea suspendit, & cum ea, militum cateruis stipatus, contra Rollonum egressus est. Ille, vi numinis perculsus, relicta obsidione, in fugam se coniecit, persequentibus Christianis, ad illud vsque pratum, cui ab eo euentu nomen est, iuxta Gallicum idioma, Prati retrocessionum. Itaque Rollonus ille, factus deinde Christianus, cum à Galliæ Rege, ducatus titulo, Neustriam, (quæ postea Normandia dicta fuit) accepisset, Ecclesiam Cornutensem, multis ornauit, auxitq; beneficijs. Anno partę salutis M. D. LXVII. Carnotum à patriæ perturbatoribus obsessum, & virtute Lignerij fortiter defensum, dies, quo ab obsidione repulsi hostes, inter festos consecratus. Ad mœniorum partem, hostium machinis prostratam, ac deinde restauratam, hoc carmẽ in lapide incisum visitur.

Dum noua Relligio studia in contraria cæcas
Gallorum mentes agit; & bello omnia miscet,
Carnutum premitur magna obsidione, globiq;
Machina sulphureis oppugnat mœnia, quæ nunc
Sarta & tecta vides, salua incolumiq; remansit
Vrbs, duce Lignerio, populi curaq; fidelis,
Atq; manu parua numerosum reppulit agmen.
Quam pro Rege suo, patriaq;, ariq;, focisq;
Sit pulchrum pugnare, atq; hosti cedere nunquam,
Exemplo hoc discant nati, seriq; nepotes.

CHASTEAVDVNVM.

REgionis Dunensium in Gallia, Chasteaudunum, siue Castrodunum, caput est, dictum olim Gallorum, sed corrupto vocabulo, Rubeclara, quasi vrbem claram dicas. Litterarum enim Metathesi à Gallis facta, id nominis habuit, quòd vrbs longe conspicua esset, condita in rupe multùm eminente, ad quam non sanè facilis patet accessus, ne à Septentrionibus quidem, qua parte regio latissimè se oculis ostendit. Dicta itaque fuit hæc vrbs castrum, hoc est, propugnaculum Dunensium, quòd scilicet bellorum temporibus eò confugerent, nec hostibus locus ille, nisi qua parte ad Beausiorum, (vt dicuntur) regionem vergit, accessum relinquat. Est autem Dunum priscæ Gallorum linguæ vocabulum, collem, aut rupem sonans. Et vrbes, quarum nominibus huius vocabuli accessio facta est, ipsa statim adpellatione situm indicabant montosum & asperum, accessuque difficilem. Vrbs igitur hæc in rupe veluti pensilis est, eo planè artificio condita, vt dicas hirundinei nidi ad modum in sublimi fixam, munita insuper atq; ornata turri amplissima, quo propugnaculo vtuntur ciues & vrbis accolæ, quoties bello vrgentur. Hanc vrbem longe olim, quàm modò ampliorem fuisse, testantur, quæ hodie in suburbijs adparent, templorum ruinę, ijs factæ bellis, quæ Dunenses cum finitimis gesserunt, vt in antiquioribus Galliæ annalibus videre est, à primis statim Francici regni temporibus. Vtcunq; autem multas bello clades acceperit, plurimæ in ea, eiusq; suburbijs extant augustissimæ Ecclesiarum Basilicæ. Imprimis, quæ D. Magdalenæ dicitur, à Carolo Magno condita: Ad quam & cœnobium est, & curialis Parœcia. Diui rursum Andreæ, vbi Canonicorum cœtus, amplo admodum censu: Diuorum Petri & Lubini Parœciæ. Prætereà, cui S. Sacelli nomen, &, quæ D. Rochi titulo consecrata est, vtraq; à Dunensium Comitibus conditę, cum Pręposito, Cantore, & Canonicorum cœtu amplissimo. Est illic & domus, quæ Dei Pandocheium vocari potest, à ciuibus condita, receptandis morbo affectis, puerisq; expositis, & à genitoribus desertis. Suburbia verò quater ipsa vrbe maiora, duodecim habent Ecclesiarum Basilicas magnifice constructas, atq; in his & mercatus, ad magnam, eò venientium commoditatem, celebrantur, & ædes sunt multo, quàm in vrbe splendidiores, maiorq; incolarum frequentia. Peringentes autem in suburbijs hisce ruinæ, vrbem hanc multo olim ampliorem fuisse, satis manifestè declarant. Id ciuibus causam dedit, vt magna ruinarum parte restaurata, pro vrbis insignibus, tres semilunulas acceperint, addita inscriptione, EXTINCTA REVIVISCO. Quo significatum volunt, se vrbem restituisse, quæ olim vastata, indies maius capiat rerum incrementum.

Autricum, Ptolemeo in Gallia Lugdunensi vrbs; vulgo, cum Villa nouano, CHARTRES.

Chartres.

Chasteaudun.

SUB SOLE, SUB UMBRA VIRENS

CHASTEAVDVNVM, Comitatus vulgo Dunoys in Gallia Oppidum primarium.

GRATIANOPOLIS.

GRATIANOPOLIS, inter Galliæ Narbonensis vrbes antiquissimas, Et Allobrogũ populis, nulla non ætate adscripta, non semper id nominis habuit, quippe, olim Accusio, vel; Accusiorum Colonia, vocata, Caballoniorum in Prouincia Colonia fuit. Nam & ita Ptolemæo in sua Geographia dicitur, & eodem ei permanente nomine, vsque ad Diocletiani, & Maximini tempora. quamobrem Cularona exinde vocata fuerit, nullam rationem accepi. Post autem imperante Gratiano, cùm ampliore murorum circuitu eius pomœria nonnihil prolata essent, à Gratiano eius rei auctore, Romanis primùm Gratianopolis, Gallis deinde corrupto vocabulo, Grenoble, appellata fuit. Itaque, non ipse Gratianus, (vt aliqui falso existimant,) hanc vrbem condidit, sed quam restauratam amplıasset, nomen ab sese habere voluit, Gallicæ quidem Gentis, apud quam Ambiani Romanorum Imperator factus esset, studiosus. Post autem Anno Christi CCC. LXXXVII. Lugduni, à Maximino Tyranno, cæsus. Cæterum, ante Gratianum Maximinianus à Diocletiano in Galliam missus, vt subortos illic tumultus componeret, hanc vrbem ita communierat, vt Romanorum veluti propugnaculum quoddam aduersus Gallorum vim esset. Portas autem exstruxerat duas ex lapide quadrato insignes, opere scalptorio per quàm subtili, coagmentatione tam solida, vt ne hodie quidem illarum pulchritudinem, vlla in parte, vetustatis iniuria læsam appareat. Harum altera, quòd ad viam spectaret, quæ Romam ducit, appellabatur Romana Iouia. Altera, per quam milites in Prouinciam grassatum prodibant, Viennensis Herculanæ nomen habebat. Hæc Maximiano, qui sibi pari cum Hercule felicitate blandiens, Hercules dici vellet, Illa, Diocletiano, qui rebus gestis, parem se Ioui crederet, dicata. Id hodieque scalptæ illæ inscriptiones docent, quas non Viennæ, (vt somniauit Pomponius Letus) sed Gratianopoli videas: Alteram quidem in porta, quæ ad Meridiem pertinet, & Romana dicitur:

> DD. NN. IMPP. CAES. GAIVS AVREL. VALERIVS DIOCLETIANVS PP. INVICTVS, *Augustus, & Imp. Cæsar. M. Aurel. Valerius Maximianus, pius, felix, inuictus, Augustus. muris Cularonensibus, cum interioribus ædificijs prouidentia sua institutis atque perfectis, portam Romanam Iouiam vocari iusserunt.*

Alteram verò in porta, qua Viennam itur, quæque ad Septentriones vergit.

> DD. NN. IMPP. CAES. CAIVS AVREL. VALERIVS DIOCLETIANVS PP. INVICTVS *Augustus. & Imp. Cæsar Marc. Aurel. Valerius, Maximianus, pius, felix, inuictus, Augustus. muris Cularonensibus, cum interioribus ædificijs prouidentia sua institutis atque perfectis, portam Viennensem Herculeam vocari iusserunt.*

Sed nulla Maximiani tanti momenti Cularonæ fuit substructio, quin ei vrbi Gratianus, ampliori ab se factæ, veteri abolito nomine, suum dare voluerit. Cumque is orthodoxæ religionis Princeps, Gallis etiam charus esset, facilè in ea vrbe nominis ac virtutis æternam memoriam assequutus est. Antiqua eius forma longior est, quam rotundior, in angulum desinens acutum, ac tantummodo oualis. Planicie occupat, quæ paulatim à montium radicibus ad Orientem extensa, ita pingue habet solum, aut nulla omninò regio, fertilitate ipsam vincat. Sed neque tantum ab hac parte regio fructuosa est. Quocunque enim oculos vertas, amœnitas, deliciæ, & rerum omnium copia sese offert. Isara, ex altis Alpium iugis ab Oriente lapsus, hanc perluit, qui magno impetu, per Centrones & Viconcios (Tarentasios hodie, & Moriennos vocant) delatus, irrigata Delphinatium regione, in Rhodanum se, intra Tinum, & Valenciam confundit, quo loco Fabius olim Maximus, Allobrogas memorabili prelio superauit. Ad Septentrionem in Isara, pons stratus, omnium, quos vsquam videas, pulcherrimus, ad suburbia, quæ D. Laurentij dicuntur, pertinens. Nec longè, fodinæ lapideæ, ex quibus lapides ad omnẽ ciuitatis vsum eruuntur. Ad Meridiem præterlabens Dracus, torrens ita morosus, & vehemens, vt non raro, limosis inundationibus vicinos agros deformet, nec vllo aggere coërceri possit, nõ longe à Ciuitate in Rhodanum excipitur. Qui ab hoc torrente longius absunt agri, latissimis extenduntur campis, omni fructuum genere onustis, & aspectui perpetuò quodam virore, fontium que, ac riuorum scaturigine, mirum in modum blandientibus. Franciscus, eius nominis Rex Gallorum primus, Gratiani sequutus exemplum, constituerat hanc Ciuitatem maiore murorum ambitu concludere, & iam fundamenta, quæ hodie quoque videre liceat, iacta erant, sed pendet opus interruptum, nullam ciuibus inuenientibus rationem, qua tanti momenti rem cœptam, absoluant. Gratianopolis sedem habet Episcopalem, Viennensi Archiepiscopo subditam. Habet & Curiam iudicialem primariam, ad explicandas maioris momenti causas, quæ apud inferiores Iudices decidi non possunt: In qua viri semper sunt cum scientia præstantissimi, tum iustitia & vitæ integritate summi, qui & patriæ iura conseruent, & libertatem tueantur. Deniq;, ad cætera huius ciuitatis ornamenta accedit, rationum ærarij cognitio.

ROMANVM OPP.

ROMANVM Oppidum, ad ipsum Isaram situm habet, eorum, quæ in decliuiore Delphinatium regione posita, ob pulchritudinem celebrantur, non minimum: Inter ea etiam, quæ diuitiarum splendore præcellunt, adscriptum. Cuius nomen testatur, vel à Romanis conditum, vel ab ijs, qui abs vrbe Romana nomen eidare voluerunt.

Grenoble

Romans

LA RIVIERE DE L'ISERE.

LA RIVIERE DE LIZERE.

PRESLE FLV.

GRATIANOPOLIS, ACVSIANORV COLONIA, Galliæ Narbonensis, ad Isaram flu. vrbs munitissima, nunc vulgo, vti Joannes Poldus phibet, Grenoble.

ROMANS DELFINATVS VVLGO DAVFINE IN GALLIA OPPIDV.

AVGVSTODVNVM.

AVGVSTODVNVM, ſi, vt in Indice, ex aliorum diſputatur ſententia, vetus Heduorum Bibracte, id cum Cæſare populoſum, & magnitudine præcipuum adpellabimus, ſitum ad radices montium, quibus perinde vt ijs, qui apud Salaſsios, nomen Cenijs, oppidum in Burgundia admodum ædificijs vacuum, præter quam eo loci, vbi arx, & D. Lazari templum, cui etiamnum, quòd illic Martis eſſet campus, à Marte, lingua vernacula nomen. Complures magnificas habet baſilicas, quarum quæ præcipua, S. Nazarij nomen habet: Is, à Pontifice Romano ſub annum Chriſti ſeptuageſimum ſecundum baptizatus, venit in Galliam, ibique Celſum baptizauit, & cum eo deinde Mediolani palmam martyrij tulit. Auguſtodunenſes non immemores, quod is primus ſalutis doctrinam ipſis annunciaſſet, Auguſtalem eius nomine Baſilicam dedicarunt, quæ nunc in D. Lazari conuerſa Eccleſiam, reliquis in ea vrbe templis, ſplendore ac maieſtate præcellit. Eſt autem hic Lazarus B. Magdalenæ frater, qui à Chriſto ſuſcitatus ad vitam, poſt Chriſti ad cœlos aſcenſionem, in Galliam, Euangelij propagator, venit. In ea Baſilica corporis eius reliquiæ poſitæ, per quàm religioſè adſeruantur. Apud hanc, & alia, Canonicorum cœtu inſignis, virginis Deiparę nomine dicata, quam Raulinus Burgundiæ Cancellarius condidit. Habent quoque in hac vrbe mendicitatem profeſsi Aſcetæ ſuas eccleſias. Et præter hæc, duo ſunt monaſteria, quorum alterum ad D. Symphoriani memoriam, ab Euphronio Auguſtodunenſi Epiſcopo conditum in eo cœmiterio, cuius meminit Turonenſis Gregorius, qui & D. Symphoriani vitam narrat. In eo monaſterio, quod & ordinis Auguſtiniani prioratum habet, recondita ſunt corpora Symphoriani, Fauſtæ, & Auguſtæ, Symphoriani parentum, qui perinde omnes Chriſti Euangelium, fuſo ſanguine, fortiter aſſeruerunt. Alterum autem Monaſterium, Abbatiam habens D. Martini nomine, à Brunichilde olim regina conditum, ipſius etiam adſeruat corpus. Sanctimonialium prætereà virginum duo Aſceteria, vnum ad S. Andocheum, quod nonnulli exiſtimant auctorem habuiſſe Carolum Magnum, Petro ſancto Iuliano, quòd nuſquam id veteres codicilli, vel vltimarum voluntatum inſtrumenta indicent, negante. Alterum à S. Ioanne, cui vulgo Magni cognomen, adpellatum, exiſtimatur id eſſe, quod à Brunichilde regina extructum, Dei Seruarum dictum fuerit, vel certe à Cabilloni Principib. conditum, Sanctimonialium pijs exercitijs dicatum fuiſſe. Parochiales eccleſias, breuitatis cauſa omitto. Epiſcopus Auguſtodunenſis primus eſt epiſcoporum, qui Lugdunenſi Epiſcopo ſubordinatam poteſtatem habent. Quod ad ciuilem Reipub. ſtatum attinet, vnus olim fuit, qui de cauſis tum ciuilibus, tum criminalibus cognoſcens, ab officio, vt lingua tum gentis erat, Virgius diceretur. Huic magiſtratui ſucceſſerunt, qui vulgo Ballifij adpellantur, ſeu diœcetas, ſeu nomarchas adpellare malis, in comitum vetus officium, quorum iudiciaria tantum poteſtas fuit, ſubrogati. Olim Auguſtoduni Senatus quidam erat Druydum, atque hodie locus ei Senatui dicatus, ab ipſis Druydibus, vulgato ſermone, à Latina adpellatione nonnihil deflexo, Mons Druide vocatur. Apud ipſum quoque Auguſtodunum viſitur & alius locus, Latinorum adpellatione Mons Iouis dictus, vbi vſque in hanc diem, familia illuſtris eſt Montijouiorum. Quæ autem vrbis pars, à reliqua ſecluſa, Gallica voce, ſed corrupta, Marchault, modo vocatur, Martis campus olim erat, locus videlicet Martis cultui ſacer. Et, quod hodie Genotoie eius vrbis incolis dicitur, quod eo loco Iani templum eſſet, Iani tectum adpellari debuit. Denique Auguſtodunum olim & ſuum habebat Capitolium, & varia Diuorum templa, quæ poſt ruinas illas Bibractenſes reſtaurata, Barbarorum deinde impreſsionibus vaſtata ſunt, & abolita.

NOVIODVNVM.

NOVIODVNVM, Ducatus Niuerniæ oppidum præcipuum, ad Ligerim flumen, nomen conſequutum ex ſitu. Dunum namque, antiqua Gallorum lingua, montem, aut locum editiorem ſignificat. Monticulum namque occupat, in faucibus, quibus Niuernis flumen in Ligerim ſeſe exonerat. Vnde Nouioduni videtur adpellatio nata. Eſt autem oppidum omni ex parte mœnibus cinctum firmiſsimis, & cùm ampliſsimis turribus, tum foſsis profundiſsimis egregie munitum, Ad meridiem, Ligeris mœnia ſubluit. In quo flumine pons eſt, pulcerrimè quadrato lapide conſtructus, viginti habens arcus. Niuernis ab Oriente circumfluit: Ab alijs partibus frequẽtes ſunt fontes, ex quibus etiam in foſſas aquæ deduci poſſunt. Vt autem oppidum ipſum munitius ſit, minusque inſidijs obnoxium, nulla ipſi ſuburbia adiacent, omnesque ſubſtructiones, mœniorũ ambitu continentur. Ager, paſcuis ſyluiſque abundat. Itaque populus non aliud fere, quam pecudum alturam curat, &, quòd nec vites colat, nec agros, tenuis eſt, parumque laute viuit. Alioqui regio fodinis abundat, argenti quidem ad D. Leonardi, quę hocce tempore vſui eſſe deſierunt, ferri aũt, quod lingna illic è ſyluis large ſuppetũt, quodque lapis quidam ad fouendum ignem idoneus, non longè ab vrbe effoditur. Ad hæc lapis ad ſtructuras idoneus, quo non alius in tota ditione Francica nobilior, duobus à Nouioduno milliaribus, inuenitur, & facilè per Ligerim, Aureliam, atq; alias Galliæ vrbes deportatur. Sed ipſum nunc oppidum ingrediamur, in quo arx eſt, & Prætorium Principum Niuernenſiũ, olim Comitum, hodie Ducum, iuxta primariam Eccleſiam. Quod ad ſtatum autem Eccleſiaſticum attinet, Nouiodunum modo ciuitas eſt, (vt Pontificij iuris interpretes ciuitates appellant vrbes Epiſcopæo decoratas) Senonenſium Archiepiſcopo, tanquam Metropolitano ſubdita. Quanquam autem epiſcopęis antiquioribus nõ adnumeretur in catalogum redactis, in eam tamen dignitatem ſubuecta fuit, ſub annum reddite à Chriſto ſalutis, ſexcenteſimum, quo tempore Gregorius cognomento Magnus, Pontificatum Romæ gerebat, primusque huius vrbis Epiſcopus fuit D. Aregius, & Epiſcopęi diœceſis partim ex Auguſtodunenſi, partim ex Biturigum Epiſcopæo confecta. Primarium vrbis templum, initio D. Geruaſij nomine dicatum, poſteà, quo affectu erat Carolus Caluus ergà D. Cyrum martyrem, cum eius reliquias ibi condidiſſet, ex Regis voluntate D. Cyri nomen tulit. Eſt etiam in hac ciuitate monachorum Auguſtiniani ordinis cœnobium, nomine Diui Martini, & aliud virginum, D. Mariæ titulo conſecratum, Duo itidem, vt vocant, Prioratus, vnum D. Stephani, alterum Saluatoris nomine. Fratrum item Dominicani & Franciſcani ordinis cœnobia. Ad hæc ſacrorum vndecim curiæ ſeu Paroeciæ, vt hinc facilè intelligi queat. Nouiodunum elegantem & copioſam eſſe vrbem, eiuſq; ciues atque Patricios, qui tam multas ædes ſacras condiderint atq, dotarint, religionis fuiſſe comprimis amantes, & ſtudioſos.

AVGVSTODVNVM,
Flauia Heduorum, quę et Hedua, ab Hedorum augurio, qui in aëre visi feruntur infestis cerucibus concurrere, vulgo Autun, Burgundiæ Opp.

MERIDIES.

Authum

Neuers.

Riuier de Loyre

NOVIODVNVM, AEduorum Oppidum apud Cæsarem lib. de bello Gallico VII. Vigeneras, NEVERS indigetat.

LOVANIVM.

LOVANIVM, Brabanticarum vrbium caput, celebre litterarũ ac artium emporium, à Ioanne Brabantiæ Duce fundatũ, circa annum Christi M. CCCC. XXII. Ciuitas est amplitudine tam spatiosa, vt in circuitu habere dicatur intra mœnia milliaria Italica quatuor, Cœli & aëris benignitate, nulli aliarum cædens. Hic inter muros libera prata, vineæ, horti spatiosi, agri, pomaria, campi, dumi, saltus, pascua, paruæ syluulæ, parua nemuscula. Nomen habet, non à laudando, vt quidam prodiderunt: nó à Leuacis, vt alij sunt suspicati, eò, quòd hi Neruiorum, nõ Eburonum fuerint clientes, sed, à situ vrbis, qui talis est, vt mœnia vetusta, quę illa tulit ętas, fuerũtq; firmissima, ex albo nimirum lapide, ad normam constructa, ex alto descendant ad loca humilia, & aquis obnoxia, quas Tila fluuius maior, & Vorta, riuulus, siue torrens, extra ripas suas euomere quàm frequentissimè solent, & longè lateq; omnes campos & intra muros, & extra, in stagna, & paludes permutarunt. Altum autem illud, è quo descendunt, Lo vocatur; è quo mons ascendit syluosus, à Lo cognominatus, Lobtech, id est, altioris loci mons. Iam stagna omnia, & loca aquis exundantia, Brabantico sermone, Ven, dicuntur. Hinc igitur vox composita, Louen, id est, altum locum, & stagnantem complectitur. Nec citra causam de hoc situ nomen fabricârunt, eò, quòd nihil amœnius sit, quàm vtranq; faciem, terram habere. Louaniũ certè, & intra vrbem, & in suburbanis, vbiq; campos habet aquis obnoxios, & ijs altiora loca incumbentia, è quibus & colles assurgunt, alij vitibus cõsiti, alij Syluis horridi, alij pomarijs vberes, alij per decliuia segetibus læti. Sunt hæc quidem, scribit Becanus, primo Auaticorum libro, Louanio & Romæ cõmunia, sed sic, vt, si meo iudicio sententia ferenda sit, longe lateq; loci amœnitate Roma superetur, atque vincatur à Louanio. Nusquam, ita me Phœbus amet, terrarum locus est, qui magis videatur mereri, vt sit sacrũ Musarum domicilium. Conferantur omnia, quotquot sunt litterarum Gymnasia, vel in Italia, vel in Hispania, vel in Gallia, vel in Germania, nullum inuenietur, quod huic par dici queat. Vixi Parisijs, Aureliæ, Pictauij, Lugduni, Burdegalæ, & in loco Galliæ amœnissimo, Andegaui, vidi Ticinum, Bononiam, Patauiam, Mantuã, Florẽtiam, Romam & Neapolim, Germaniam partim vidi, partim de auditu cognoui, sed, quæ equidem vidi oppida, nulla sunt Louanio comparanda situs iucunditate, cum tamen viderim præcipua, & inter cætera, Monachum, Augustam, Vlmam, & Coloniam Agrippinam, vt taceam inferiora. In Salamanca, Scholarum magnificentia longe omnibus in Europa præstat Gymnasijs, sed situ, & locorum facie à Louanio superatur. Vallis Olitana extra vrbem non est inamœna, præsertim in Visurgis ripis, & habet duo Collegia, quibusuis ædibus regijs conferenda, sed omnibus inter se comparatis, nihil ad Louanij amœnitatem. Multa, inquit Barlandus, sunt passim toto orbe Christiano Gymnasia, sed in alijs alia videas desiderari. Aureliæ in Gallijs, solæ leges ciuiles, Parisijs Theologia, Ius Canonicum, & sophistica traduntur. Sunt aliæ quædam scholæ, vbi sola in pretio est Medicina, Louanij omnes scientiæ docentur. Habet hæc vrbs sacras ædes plurimas. Vnam Diui Petri, structura tam eleganti, vt architectorum iudicio, nullam pluribus locis inuenias pari politia. E conspectu templi Apostolici, visitur domus Ciuica operosissima, & quæ non vna re testetur, olim florentissimam vrbem fuisse Louanium. Hanc artificij plenam structuram mirantur Galli, Germani, Britanni, & Itali. Schola Louanensis vnum habet caput, vnũ principem, cui omnes pareant, hunc Rectorem vocant. Cuius officium est ius dicere, priuilegia tueri, & maleficij reos scholasticos pœnis afficere. Cum in publicum prodit, ante eum it Accensus, quem Bedellum, recepto illic vocabulo, appellant; ponè sequuntur famuli. Quantum autem honoris huic dignitati habeatur, hinc apparet, quòd Consules, Magistratus, & Clarissimi quique viri, deniq; omnium dignitatum gradus, academiæ principi assurgant, & decedant è via. Exeunti ad Comitia, quæ certis anni temporibus indici solent, plures accensi anteambulant, singuli manu auratum gestantes baculum, insignia honoris amplissimi. Est hæc semestris dignitas, quemadmodum apud Romanos olim dictatura fuit, sex duntaxat mẽsium. Sunt & alia quædam Louanij non indigna spectatu loca. Xenodochium amplissimum, vbi nunquã non assistunt ægrotis mulierculæ, solatijs refouentes singulos, atq; adferentes, quod cuiq; è valetudine esse constiterit. Est alio loco digna diuis, digna principe domus, quam extruendam curauit summus Pontifex Hadrianus sextus, cum adhuc in minoribus ageret. Intra mœnia visitur & Cœnobium Carthusianorum, loco, ab omni tumultu, ab omni frequentia semoto, ita, vt nec eremi solitudinem in vrbe magnopere desiderent monachi. Hoc ædificio nil ex ea familia vidisse se quicquam splendidius, ingenuè fatentur quiuis exteri. Ad muros vrbis, qua Mechliniam itur, arx est insigni vetustate, & ad otium rerumq; vrbanarum vacationem principibus accommodata. Eodem loco in monte templũ est Baptistæ sacrũ. E regione arcis, cuius modo cõmemini, turris est in ipso muro ex candido lapide, eaq; altitudine, vt inde videri sereno cælo Antuerpia possit, octo magnis miliaribus Louanio disitũ oppidum: vulgò Impensa Perdita vocatur hæc turris, quam annis aliquot superioribus fatiscentem Consules magno reficiendam curauerunt. Ager Louanienſis præter frumentũ, legumina, triticũ, poma, pira, persica, cæteraq; ad corporũ alimoniam pertinentia, dat & vinũ, cuius ea natura, vt non facilè inebriet, non facilè ad arma protrudat, & luctam Veneream. Bibant hoc vinum initiati, quos diuinæ litteræ perpetuò sobrios & continentes esse volunt.

LOVANIVM, *Brabanticarum vrbium caput, vnica Musarum ac præstantißimarum artium sedes, optatißimumque domicilium*



MACHLINIA.

MACHLINIAM, peruetterem ac præclaram vrbem, excusis tum antiquis, tum nouis auctoribus comperimus priscum nomen adhuc dum seruare. Ea, nō malè, naturę beneficio, sita, salubri aëre imprimis vtitur, cęteris omnibus affluit rebus, quę ad hominum consuetudinem sunt necessariæ. Mediā secat, perluitq; flumen Delia. Hanc non ineptè meditullium vocaueris Brabātiæ, Louanio, Bruxella, Antuerpiaq;, tot clarissimis simul vrbibus intercluſum, & vndiq; quatuor miliaribus distās, quam tetrapolim, qui circunspexerit, is iustissimam trianguli formā efficiet. Interim Machlinia, singulari iurisdictione valet, suisq;, & proprijs legibus vtitur; quo loci, ante alia notandum hoc est, Grauidæ matres, dū pariendi instat tempus, relicta vrbe, in interioris Brabantię municipium quodpiā se auferunt, inibi onerosæ alui pondus deposituræ, eo consilio, vt liberi in partem immunitatum Brabantinarū, itidem veniant. Vrbs alioqui per se, non tantùm ædificiorum tā priuatorum, quàm publicorum descriptione, nobilis, verum etiam operibus molibusq; firmissima existit, eoq; magis, quòd, dum supra caput est hostis, patefactis ostijs, viciniam omnē diffusis aquis, instar vasti lacus, ciues complere soleant, atq; hoc pacto hostem intercludant. Cunctis autem vrbanis operib, splēdore, artificio, structuraq; antecellit Basilica D. Rumberto dicata, cui vasta, & prælta imminet turris, qua in speculæ loco, ad remotissimarum cum ciuitatum, tum amœnissimarum circunstantium possessionum prospectum, vtuntur. Secundum autē cum dignitatis, tum magnificentiæ locum illic obtinēt Septa Pizemburgica, in quibus commorantur Teutonico ex illo ordine procreati religiosi milites. Sed huic vrbi dies ille septimus ante idus Sextiles, exeunte anno M.D. XLVI. funestus extitit, hoc ferè initio. Cum horrenda tempestas cęli esset orta, ecce vasta turris, portæ Arenariæ vicina, qua maxima puluēris illius nitrati vis asseruabatur, fulminis iactu non modò conflagrauit, verū etiam à fundamentis frustulatim disiecta, lacerata, reuulsaq; est, vt ne vestigium quidem vllum prioris fabricæ superesset: quodq; magis admirêre, subitum istud, & inopinatum incendium, vrbanam fossam, aquæ plenam, altam, & sexcentis amplius passibus latam, ex ea parte, non tantum siccauit, sed etiam arefecit, piscibus partim coctis, partim verò tostis, quaq; versus, remotissimè sparsis. Quinetiam mœnia, flamma deflagrata, ac eo vlterius. Circunstantium domorum parietes, ter centenum amplius passuū interuallo, labefactati, aut deformati, vacillare; simulq; vno & eodem temporis puncto, malum insolens, manare non solùm per vrbē, verumetiam suburbanā viciniam transcendere. At ne dum modus infortunio positus. quantopere enim lapidum iactus, quo instar tonitru, cęlum contremuit, totam ciuitatem permiscuerit, quantumq; ruinarum passim ediderit, nisi ipse præsensq; viderit, nō facilè credat vnusquisq;, & multi etiamnum superant oculati testes. Huc accedit hominum magna clades, quorum amplius ducētos perijsse, ac triplo plures vulneratos, accepimus à fide dignis ciuibus. Fulgurum, ac tonitruū tanta vis fuit, vt vsq; ab Antuerpia Bruxellaq; sonus iste miserabilis, multis credentibus terræmotum in vicinitate factum, audiretur. Indigenæ verò ipsi, vsq; aliquo videre videbantur cælum ruere, ac vniuersum mundum inuerti, quippe, cum inter cæteros quidam in hypogęo concamerato, sed labefactato, triduo inediam ferens, semisepultus iaceret, ruderibusq; fortè latitans, à circunstantibus extraheretur, attonito consternatoq; homini, animo similis, sciscitatus est, Num qua vniuersi supereſt species? Quòd igitur Machlinia, de cœlo tacta, incredibilem suarum rerum iacturā fecerit, id infelicitatis eius fuit: quòd verò deinceps non ex ea tantū parte instaurata, sed multis præterea locis ornata, honoris est hoc eiusdem. Vbi septemdecim opificum collegia, exceptis cohærarijs, ad Senatū admittuntur, quoties de re aliqua graui deliberatio suscipitur, quorū præcise sex, tantum apud suos gratia & auctoritate valent, (Hi sunt Pictores, Ichthyopolæ, Infectores, Coriarij, Ceruisiarij, ac Lanij) vt ex ijs quotannis singuli legantur Senatores. Itaq; summus magistratus vniuersę duodecim, sex patricijs, ac totidem plebæis constat Senatorib. Lanificij laus, id quod pace cæterorū Belgarum dictum sit, Machlinienſibus, in quantum diligentissima perquisitione didicimus, prima tribuitur, quod tamen illic olim, sine comparatione, multo fuit huberius, & copiosius exercitium. Intra eius enim territoriū, supra ter mille ducenas textrinas extitisse, cōpertissimum habemus; Quippe, legimus, quemadmodū olim textores, tribus multitudine freti, vsq; adeò insolescere, animis efferri, neq; se continere, vt coorto de repente tumultu, & correptis armis, cæteros ciues inuaderēt, sed tumultuario isto prælio inferiores, multos suorum amiserunt, itaq; temeritatis, & superbiæ pœnam, iure merito luerūt, nec eo contentus Senatus, immunitatum, munerumq; prærogatiua, huiusmodi auctores turbarum priuauit, à quo vsq; tempore, & numero opificum, & existimatione sunt diminuti, licet ad hunc diem textorum collegium audiat, nunc amplum, nunc omnium reliquorum primum. Hæc vrbs vti telarum, & quidem optimarum, ita cortinarum multiplicium plena est. Tormēta, tintinnabula, denique instrumenta, & vasa quæuis, ambigam, an vsque terrarum maiore artificio, dexterius, faciliusq; ære cōflentur. Reperias hîc itidem, omnis generis nauium architectos, & fabricatores. Instructissimum in ea vrbe, ad quos suis casus, rerum dominus conseruat armamentarium, tot tormentis æreis, ac ferreis, tot machinis, bellicisq; instrumentis, puta, nauibus, pontibus, carris, deniq; tanta re castrensi, & militari supellectile affluens, ac postremo tot operarijs, fabrisq; plenum semper, vt spectatoribus admirationem copia pariat. Hæc vrbs, alma nutrix, altrixq; fuit Philippi I. Caroliq; illius ter Max. Imper. Philippi illius Belgarum heri, cum patris, tum aui, quòd illic tum temporis, vt plurimum Curia hærebat, cuius amplissimæ Prouinciæ vsuram, dum iam modo dictus Carolus auiæ Margaritæ Austriadi, quoad vita frueretur, daret, sedem Machliniæ fixit illa ipsa Herois, quæ etiam in ea vrbe, sui semper cupida, & gratiosa, Anno M.D.XXX. obijt. Beneficiorum verò omniū, quibus olim aliquando ab Hero ornati sunt Machlinienſes, par pulcherrimum hoc est: Primum omnium, portatoriorum, quæ in singulas merces iustis locis exiguntur, sunt immunes. Secundò, bona eorum firma, fixaq;, Belgicæ territorio circumscripta, per se libera existunt, nec obligatione sunt obligata (vti cæteræ popularium res) opt. iure prædijs comparanda. Quam immunitatem ex Caroli illius omnium nouissimi Aeduorum Reguli, Belgarumq; domini, gratia ac liberalitate, officijs, studio, opera sunt demeriti. Quod enim eum summa virtute ac fortitudine bello laborantem semper subleuassent, vix vlli alij clientum, aut magis fidere, aut plus tribuere solebat, ac ea propter amplissimum illum Senatum (vulgò Concilium Regium) illic Anno M.CCCC.LXXIII. instituit, cuius ipse princeps esset, cæteroqui triginta quatuor viralem, puta, Cancellario, cohærario, binis præsidibus, quatuor equitibus, sex supplicum libellorum magistris, initiatis cōsiliarijs octo, profanis verò duodecim, partim doctoribus, partim prolytis constantem. Hic Senatus, primò rerum Dominum, quocūq; is isset, comitabatur, assequebaturq;: absente verò Principe aut hero, Archigrammateus cunctis præerat. Eò autem ab omnis penè Belgicę tribunalibus, ius erat receptitium. Porrò cum vxoris Ioannę beneficio Philippus I. ad amplissimam Hispanienſium, & annexorū regnorum possessionem vocatus, necessariò transmitteret, eius iussu nouissimè, Anno M.D.III. ad eam vrbem, in medio propè Belgio sitā, itaq; apprimè oportunā, sedeis fixit ille ipse Senatus, eius tamen forma & auctoritate, nec non consiliariorū numero, anteà nonnihil immutato, qui vti nunc est, vno Præside, sedecim cōsiliarijs, duob. scribis, ab epistolis, siue à secretis octo, & cætera munusculorū turba. Huc generatim post ciues & tribules, Flādris. Atrebatib. Hollandinis, Middelburgenſib. Namurtibus, Luceburgenſib. Valencinenſib. postremò illis, qui litigiosa illa prædia colunt, in Flandriæ, Hannoniæq; confinijs colocata (de quorū iurisdictione ac iudicatu Flādri & Hānonienſes valdè pertinaciter inter se cōtendunt) ex domestico foro prouocare, appellaréue licet. Frisij itē, occidentem Solē versus qui spectant, ac Vltraiectini, paucis ab hinc annis, hūc ipsum agnoscunt Senatū recognitorē ciuilium causarū, quas ipsi antè iudicassent. Hîc ex formula prętoria thiasus Torquatorum itē sistitur, lites, cōtrouersiasq; oēs, tam ciuiles, quā criminosas, semel iudex definit, nulla prouocationis prorogatione aut gratia, stāte interim semper sua curiæ Bruxellanæ in causar um recognitione, prærogatiua auctoritate. Illo ipso in foro, in gratiam maximè peregrinorum, etiam Gallicè litigatur.

12


MECHELEN
NITIDISSIMÆ CIVITATIS MECHLINEENSIS, IN MEDIT VLLI O BRABANTIÆ SITÆ, EXACTIS: DELINEATIO.

THENAE.

THENAE, copiosa, & ampla Brabantiæ vrbs, sita ad fluuium Getam, qui non longe ortum habens, per eam delapsus, vrbem Halenum influit, seseq; in Demeram fluuium exonerat. Louanio, & S. Trudone pari abest miliarium triũ interuallo. Agro tam commodo gaudet, vt rei frumentariæ horreum semper hactenus fuisse, origo, & etymologia nominis, manifestè conuincat. Horreum scribit Becanus, voco ipsas Thenas, nomen inde nactas, quòd decimæ principibus, iure Herculano dandæ, illic conderentur; quas lingua nostra, **Theinden/** vocamus, vnde oppidũ, exempto Delta, de more nobis frequẽtissimo, **Theinen/** nominamus. hinc & fluuius nomen accepit, ab alimentis submini strandis, quæ per ipsum deuehuntur. Nam **Getas/** nullius elementi mutatione, idem significat, quod Latinis, Dat alimentum: quod nomen vulgus, vti cætera pleraque omnia, **Get/** adempta posteriore syllaba, pronũtiat. Ad huius autem fluminis vtranq; ripã, Diabelinteres consedisse, quos Iulius Cæsar, inter Menapios, & Morinos interijcit, idẽ Becanus, ingeniosè admodùm confirmat. Cuius quidem periucundam narrationem, quia Thenarum quoq; ãgrum & territorium dilucide exprimit atq; describit, paulò prolixius recensere hîc libet. Et infra oppidũ, inquit, Thenas, geminus pagus, locorum vbertate nobilis, nomen, vt videtur, Diabelinterum hactenus conseruãs. Ex Diabelinter enim, voce integra, **Lynter/** retinemus, quod nomen, duobus pagis ad Getam, infra Thenas sitis, commune ita est, vt cum adiectione superioris, & inferioris, accipiant distinctionem. Nomen certe, loci naturã imitatur, si de sermone nostro vernaculo, pro eo, ac debet, exponatur, cum **Diabelinters/** nullius literę immutatione, eos significet, qui elegantes sunt in arte inserendi, vti quiuis, linguæ nostræ non imperitus, agnoscet. Hactenus is genius, cum locorum, tũ hominum est, vt pomorum non alia regio ditior inueniatur, adeò, vt nõ porcos modo, & vaccas ijs per hyemem sustentet, sed maximam etiam copiam Antvverpiam transmittat. Pertinet ea à **Lynter/** sursum secundum Getæ ripas vltra Hogardum, cuius nomẽ vernacula lingua, altum pomarium significat, ad Diabelinterum institutum, & locorum naturam optimè alludens. Nec ager hic pomorum tantum feracissimus est, sed copioso etiam tritici prouentu, nulli secundus habendus; qua in dote ita excellit, vt Prisci illi Principes, qui limiti huic sub Regibus Francorum præsidebant, horreum suum hoc loco habuerint, è quo, cum opus esset, annonam subleuarent, & vicinis eam copia sua redderent laxiorem; decimis omnibus, cum è locis proximis, tum è tota Asbania, huc cõuectis, quæ cum lætissimis, & fertilissimis totius Europæ aruis, vbertate certans, nomen Asbaniæ adepta est, quo significatur via regia ad alimentum. Et est profecto illuc eundum ijs, qui volunt breui compendio, rei frumentarię Atuaticorum ad Scaldim sedes suas habentium, prouidere, ad quod magnum præstat Getas fluuius adiumentum, ad ipsum vsq; horreum, dorso suo naues benè magnas subuehens, quibus frumentũ Machlineam, atq; inde Antvverpiam, portatur. Horreum autem, quare ipsas Thenas vocitet, iam ante dictum. Ad Getæ igitur fluminis ripas, si Diabelinteres habitasse dicamus, nihil sit absurdi, quos non pomaria tantum, sed vinum etiam Hogardicum, & caseus, hoc tempore nobiles reddit. Si itaq; Cæsar, de his, apud Thenas olim commoratis, quantum eius de nomine, lociq; natura conijci potest, intelligatur, rectè eos inter Morinos, & Menapios interiecit; cum Morini omnes illi olim vocarentur, qui post Iccium Promontorium, ad Scaldin vsq; **Moeren/** id est, paludes tenerent, quamuis sigillatim alijs quoque nominibus dicerentur. Est sane digna hæc, quæ ad Getam iacet, regio, vt antiquo nomine celebretur, tametsi daretur, nunquam eam à Cæsare cognitam fuisse, propterea, quod nusquam putem plus pomorum prouenire. Sed diutius nos iucundissimi Diabelinterum agri tenuerunt, restat, vt ad ipsas Thenas iam redeamus. Magnam vrbem, & magnæ olim potentiæ, multisq; negociationibus frequentem fuisse, & historiæ, & quæ illic hodie visuntur monumenta declarant, quippe, ter nouis aucta mœnibus, & antequam Sylua Ducis, eius casu, ad hoc fastigium peruenisset, quarta Brabantiæ Metropolis, sed ferocissimis, inter Brabantos, Francos, & Eburones, bellis vexata, capta, euersa nõ semel fuit, vt hodieq; magna ex parte sit deserta. Quod reliquum est, domus habet mediocres, & ciuiũ numerum non aspernandum. Canonicorum præterea cœtum insignem, ad D. Germani, qui Episcopus olim fuit Parisiensis, Aedem. Trium Brabantiæ ciuitatum, quæ inter minores principem locum habeant, prima hæc est, amplis omninò priuilegijs, & quidem ijs, quæ maiorum sunt ciuitatum, ornata.

TIENEN.

TIENA, Brabantiæ Opp: ad amnem Geta, vnde caſei, qui inde nomen habent, magnus prouentus, Eſtque hic templum S. Germani, Canonicorum Collegio, ornatum.

BERGA AD ZOOMAM.

BRABANTIA, Regio verè nobilis, & amœna, præter ducatus, comitatus, frequentes Baronatus, & præstantia, quibus distinguitur, dominia, Marchionatum etiam S. Romani Imperij continet, cuius Anuerpia Metropolis: & Marchionatum Bergensem, cuius BERGA AD ZOOMAM, caput est, oppidum valde elegans, & nitidissimè cultum. Quod, quia ad fluuiolum Zoomam, non longè hinc ortum, eleganti, & peroportuno situ collocatum est, ad Zoomam dicitur Berga. Cæterùm, quánam de caussa Berga, Goropius Becanus, dum in Ambiauaritis eam collocat, & ad vernaculam Cymbrorũ linguam, plurimas origines refert, hanc eius, sicuti & omniũ in vniuersum Bergarum, appellationis caussam recenset. Propius, inquit, Ambiauaritos, Mosa lambebat, vt è nominib. Bergarum is intelliget, qui linguæ nostræ non sit imperitus. **Barg**/ vnum de illis, quę conuersa, cõtrarium notant, primo suo significatu, montem indicaret; verum in illis locis, quibus hæc vox antiquitus est tributa, nulli montes videntur. Ex translatitia igitur significatione deducta sunt nomina horum, de quibus agimus, oppidorũ. A **Barg** enim, siue **Berg** (nam vtrunq; dicitur) fit **Bargen** siue **Bergen**/ quod est abscondere, & occultare. Et, quia, quæ conseruata volumus, maximè occultamus, transfertur vox ad cõseruationẽ. Hinc dicimus, **Scepen bergen**/ pro eo, quod est naues in tuta statione collocare, atq; ex eo nomen **Berg**/ ad portũ stationemq; nauiũ significandam, transiuit. Primi enim parentes, à diluuio in montibus se seruarũt ab vndis: ad cuius rei memoriam sempiternam, omne genus conseruationis, occultationisq;, qua nos à periculis tuemur, à montis nomine appellârunt; non ob id tantum, vti videtur, quò commemoratio gratum animũ in nobis excitaret, verùm etiam, quò in omni vitæ, fortunarumq; discrimine, in mentem veniret, Deo fidendũ esse, qui in extremis malis, suos nouit conseruare. Hac itaque ratione, **Bergen op Zoom**/ **Seuenbergen**/ **Steenbergen**/ Sanctę Gertrudis **Bergen**/ nomina sortiuntur à nauiũ statione. Qua de re videre licet, Mosam ad Ambiuaritorũ has oras, propius olim euolutũ fuisse; siquidem tot nauium stationes hactenus nomina seruarũt, tametsi plurimum perdiderint altitudinis & profunditatis, aquis nullo certo alueo constrictis. Hæc igitur Berga, initiò non alio, quàm dominij titulo insignis, à Carolo V. Anno M.D.XXXIII. ad Marchionatus dignitatem euecta, eleganter in exiguo quodam monte in occidua Brabantiæ parte, ita mari vicina est, vt non immerito vrbis maritimæ nomen habeat; ab Anuerpia, itinere quidẽ terrestri, senis dissita milliaribus, nauigio aũt à Middelburgo, circiter octonis, vrbs etiamnum copiosa, multo & ditior, & rebus omnibus abundantior olim fuit, cum mercatus illi Panegyrici, quibus tantum concessum est prærogatiui, apud eam frequentarentur. Itaq; nunc quidẽ, quòd Anuerpię vicinitas & amplitudo, omnia circunquaq; loca (vt sic dicam) inumbrarit, exigua illic negociatio est: quanquã nullus est totius Belgij municipalis mercatus, qui nõ ab illo solenni, & Panegyrico Anuerpiensi vincatur, ita, vt negotiatores huc malint ad solennem, quàm aliò ad municipalem proficisci. Ac, tametsi Bergensis Marchio, Britannorũ etiam, magni ad id momẽti, gentis fauore adiutus, cũ ante hac, multam in eo posuerit operam, tũ hodie quoq; plurimũ laboret, non potest tamen (ita difficile est, res semel delapsas reuocare) hanc vrbem in pristinũ splendoris ac fœlicitatis statũ reducere. Ea tamen regionẽ habet municipalẽ valde amplam, in qua & vici complures, & in ipso illic Scaldi parua quædã insula, fertilis & amœna. Eius Principes ex familia sunt Bergensi, antiqua, & illustri; quę cum alios tulerit viros præstantes non paucos, tũ etiam habuit Ioannem Bergensem Marchionẽ, & antea Carolo V. virtutis merito longè charissimũ, & postea apud eius filium Regem Catholicũ, gratia, & auctoritate plurimum valentem, Velleris aurei Equitem, Hannonię Prætorem, Venationũ Brabantiæ, quæ prima illic dignitas est, Præfectum, census annuos habentem peramplos. Robertus eius frater, vir doctus, amplissimus quondam Leodiensium Antistes, Patruelis autem, Maximilianus Bergensis, Dux & Archiepiscopus Cameracensis. Ioannis etiam Latomi, Bergense hoc oppidum patria est, qui ad S. Trudonis, propè vicum Grobbedunck, nec longè à Lira, Prior, magna vir dignitate præditus, poëta etiam elegantissimus, & alioqui omni prorsus humanitate excultus fuit.

BERGEN OP ZOOM

BERGA, ad Somam, Brabantiæ Opp: à fluuiolo sic dicto, qui eam irrigat, cognominatũ, nundinis aliquando foelix, nunc verò ob Antuerpiæ vicinitatẽ minus ab exteris Mercatorib. frequentatum.

Verlorenkoss poort

Koren marckt)

Goltsteeg straet

Stroobossche poort

S. Laeds capelle

Vismarckt)

Wouwsche straet

Wouwsche poort

Die Voorstraet

Die halle

Grote Marckt

Lombaertstraet

Lange nieuwe straet

Schouwburg straet

Hoogstraetsche poort

Oude Vest

Oude Dam

Oude Dam poort

S. Laeds poort

Den hauen kant

Den Houwer

TRAIECTVM AD MOSAM.

TRAIECTVM, vrbs in finibus Eburonum amplissima, ad vtranq; fluminis Mosæ ripam sita, & lapideo ponte iuncta, fornicibus aliquot, accuratissima structura confecto, à traijciendo flumine, nomen habere, constanti historicorum sententia perhibetur. eius incolas Bethasios, Tacito dictos, Marlianus existimat. Quanquam nescio, vnde Ammianus Marcellinus acceperit Obtrincense Mosę oppidum, quo Traiectum super Mosa situm intelligere videtur, nisi fortè id à Tungris sit mutuatus, qui Traiectum in **Tricht** mutârunt. Et, quia Traiecti nomine, duo oppida vocabantur: Alterum inferius, apud Batauos, alterum superius in Tungris, hoc **Oppertricht**/ id est, Superius Traiectum, Et syncoptos, **Opptricht** vocarunt, è quo Obtrincense oppidum, Marcellinus fecit: Illud **Vtterßtricht**, id est, Exterius Traiectum, & concisè, **Vtricht** nominârunt. Quæ verò pars Traiecti ad Mosam, Orientali littori adiacet, **Wick**/ vulgari idiomate, dicitur. De vtriusque origine, antiquitate, nomine, ac tutelari diuo, hunc in modum Matthias Herbinus, Scholæ Traiectensis Rector, à Ioanne Tuthemio Abbate Spanheimensi commendatus, libello de Traiecto instaurato, scribit. **Wick**/ Ex vico, Latino nomine, tractum, & vsurpatum esse videtur. Hanc autem interpretationem inde coniecturâ colligo, quòd ille locus, antequam ciuitas ad tantam amplitudinem, in qua nunc est, veniret, fortè vicus paganus erat. constat enim ex antiquis historijs, Ciuitatem hanc post aduentum S. Seruatij, maximè auctam, & ampliatam hominibus, muris & ædificijs. Ita, quæ tunc vicus paganus erat, nunc est referta viris vrbanis, & tamen antiquum nomen retiner, quod ex appellatiuo, longo vsu, proprium factum est, quod frequēter apud priscos accidisse, comperimus. Nam & tota ciuitas nostra, apud illos, via Regia appellabatur, quia per illam Romani Reges, qui ijdem Imperatores, vel eorū Legati, Tungrim, nobilissimam tunc Galliarum Metropolim, iter facientes, transibāt: cumq; ad Mosam peruenissent, qui ponte carebat, traiectione opus erat. à traijciendo ergo, Traiectum est nuncupatum, quo vocabulo, Iulius Cæsar, tam eloquens, quàm bellicosus, in Commentarijs suis, vtitur sæpè. Et, quoniam Cæsaris mentio facta est, libet hîc de Cæsare aliquid interponere, quod ad rem nostram attinet. Quoniam ex claris fundatoribus, vrbes nonnihil sibi gloriæ solent vendicare, vt Constantinopolis à Constantino, à Romulo Roma: Primordium itaq; Ciuitatis nostræ condendæ, Iulius Cæsar fuit, qui cùm multis ac magnis prælijs Galliam, Germaniamq; oppressisset, Traiectum, conuenientissimum locum hybernandi copijs suis delegit. Conspexerat enim prudētissimus Imperator, quòd is locus seipsum facilè muniebat, & nihilominus alimenta viuentibns abundè suppeditabat. Habet enim ad Austrum saltus apricos amœnissimos, pabulationibus iumentorum aptissimos. Ad Occidentem & septentrionem, patentes campos, satorum fertilissimos. Nam ad Orientem, Mosa est, infinitis vsibus accommodus. Cui in modum semicirculi adiunctum Vallum, omnia castra girando tuebatur, super cuius aggeribus, positi sunt posteà muri antiqui ciuitatis, qui vsque in hodiernum diem apparent, & nonnihil fortitudinis afferunt. Hæc hactenus deducta, eò spectant, vt, si nobis gloriandum sit de antiquitate, antequam Saluator noster carnem humanam assumeret, anno circiter octauo & septuagesimo initiati sumus: si de fundatore, à Iulio Cæsare originem traximus: si de nomine, à traijciendo flumen Mosæ dictum est Traiectum, quum aliquando, via Regia appellaretur. Si de præsidente Patrono atque Ampliatore, B. Seruatio plurimū obligati sumus, qui Pontificalem sedem, primus huic vrbi intulit, in qua viginti Episcopi resederunt. Paucæ igitur Ciuitates in procinctu nostro sunt, quæ de his æque possunt gloriari. Nam, aut non tam antiquæ, aut à minus nobili conditore fundatę, aut non tam digno Præsidente atque ampliatore memorabiles. Cum Cæsar oppidum construxerat aggeribus, impleuit Romanis. nam lingua Latina vsi sunt, per multa tempora, vt ex certissimis indicijs adhuc apparet. Et præcipuè omnia, coram Scabinis, & Consulibus negotia, Latinè acta sunt, vt constat ex diuersis adhuc Actis, ac litteris hæreditatuum, transactionum, infra ducentos adhuc annos Latinè scriptis. Hucusque Herbinus. Ciuium pars episcopo Leodiensi, pars Duci Brabantiæ (qui nunc est Inuictissimus Philippus Hispaniarum Rex Catholicus) paret. Qui vtrique, suos ibi habent Præfectos, ædilesq;. Senatus, Romanorum more, quotannis nouus creari solebat: Bini videlicet Cos̄. cum XII. Procoss. ac Quæstore ex vtriusq; Principis plebe. Sed propter turbas, quæ nō solùm huius oppidi Rempub. sed totius Belgij statum, paucos ante annos, susque deque miserrimè agitarunt, is Senatus constituendi mos, interruptus est, Senatu iam per Principum deputatos ordinato, vsque ad eorum reuocationem perdurante. Primaria Traiecti Ecclesia, supra crypta exigua, in qua S. Seruatij corpus, miraculis clarum, sepultum erat, opere, reliquijs sacris, Canonicorum societate, & ampliss̄imis reditibus nobile, S. Seruatio nuncupata est, religione ac pietate ciuium (vt Vsuardus Martyrologio suo, iussu Caroli Magni cōscripto) vel à Monulpho Tungrēsi episcopo, vt Beda testatur. In qua etiamnū eius ossa, quemadmodum & sex, ex ordine successorum, cum multis alijs præstantissimis reliquijs, religiosè asseruātur, quæ ex Octauiensi Galliæ vrbe, S. Seruatius, Hunnorum deuitans tyrannidem, huc transtulit. quarum gratia, ex remotissimis orbis partibus, vtputa, ex Styria, Croatia, Slauonia, Hungaria, Bohemia, Elsatia, tota Francia, alijsq; innumeris regionibus, & maximè singulis septennijs, dum sacræ reliquiæ potissimum ostenduntur, turmatim homines aduolare consueuerunt. Episcopalem Tungrensem sedem B. Seruatius Traiectum transtulit. Cui ibidem XX. ex ordine, sanctitate vitæ clarissimi, successerunt Antistites. Quorum penultimus fuit gloriosus & inclytus martyr D. Lambertus, qui Leodij, pro Christi nomine, sanguinem suum profudit. Cuius discipulus, atque successor, Hūpertus, loci, sanguine Magistri, ac Prædecessoris sui consecrati, tactus affectu, Episcopalem sedem eo transtulit. Cui hoc tempore, Reuerendiss̄imus Illustriss̄imusq; Princeps, ac D. Dominus Gerardus à Grosbeck, S. R. E. Cardinalis, summa cum laude præst. Traiecto plurimum vtilitatis, decora præbet, fluuius exiguus quidem, sed subinde niuibus resolutis, aut immodicis imbribus, ita exundans, vt pagis, ædibusq; vicinis, non parum detrimenti inferat. Prosilit non procul à Centronibus, Tungrosq; alluens, Traiectum, sinuosus, se confert: in cuius suburbio in duos diuisus alueos, totidem etiam locis, vrbem intrat. ibique rursum, altero alueo in plures se pandente, maximam molitoribus, fullonibus, tinctoribus, coriarijs, alijsq; opificibus, ciuiumq; domibus, commoditatem adfert. Demùm, Franciscanos præterluens, omnes suos alueos in vnū cogit, sicq; oppidum effluens, in Mosam se exonerat. Quin & illud memorabile, quòd passim in vicinis Traiecto locis, potissimum verò in Gronsfeldt, fabulosi è terrę visceribus eruantur lapides, præstantissimi autem in pago Tichen, vtputa, duriores, ac diuturniores. At, deterrimi, in Hunnorum monte, in quibus præter conchiliorum species, in lapidem induratas, animalium quoque ossa reperiuntur. vnde conijcere quidam volunt, eos montes, ex diluuij æstibus aggregatos. Qua de re accuratius disseritur in Veronæ descriptione, in operis istius Indice.


MAESTRICHT.
Hoochter port
Die hout marckt
Die halle
S. Seruaes
Lemmerse port
S. Peters port
Crauel hoochter port
FLV.
MAESE
TRAIECTVM
AD MOSAM.



LVTZENBVRGVM.

LVTZENBVRGVM, vel, vt plerique, absque certo tamen Orthographiæ delectu, Lucenburgum: Et, vt Meierus, Luceburgum, vrbs eiusdem nominis Ducatus præcipua, Regioni vniuersæ, quod cum pluribus alijs cõmune habet, appellationem præbet: Quam & ipsa à prætercurrente fluuio Elza sortiri putatur, (Antonino fortasse Alizontia) quasi Elsenburg, & corruptè Lelzenburg, vnde Euphoniæ deinde gratia, Lutzenburg, deriuatum sit. Petrus Appianus, Ptolemei Augustam Romandiorũ huic Belgicæ vrbi attribuit. Sed Volaterranus Constance, vrbem Normanniæ designare scribit, Et ipsos Romandios, Normannos esse: quod tamen cum situ non conuenire, Villanouanus obseruauit. Alij, eam ad anilem Melusinæ præstigiatricis historiam referunt. Sed diuersarum appellationum ratio, fides & defensio penes ipsos auctores esto. Vrbs ipsa est satis munita, sed inæquali situ. partim enim in monte, partim in infima, ac præcipiti valle exstructa, disparili admodum forma sese spectandam præbet. In ea supremi Consilij Tribunal, in quo & Præses, & Senatores, causarum Iudices, alijq; nonnulli, ei magistratui veluti subseruientes. Gens ipsa, etsi potiore ex parte Germanica, Iuris tamen disceptationes, partim Germanicè, partim Gallicè fiunt, prout Regionis vrbes ac vici alterutra vtuntur lingua. Cùm etenim finitimarum ditionum, partim Germanicis, partim Gallicis cingantur limitibus, quam regionem potissimum, & magis vicinam spectant, eius quoque potissimum moribus, & lingua vtũtur. Ex quo necesse est, Iudices, & eorum tabelliones, aut qui aliâs Iudicio quomodocunq; suffragantur, vtramq; tenere linguam. Ab hac deinde Curia prouocatur Mechlineam, vbi, quæ scripta sunt Germanicè, bona fide Gallicè redduntur. Hæc vrbs, iam tum à primordio Comitatus titulo insignis, postea in Ducatus dignitatem, qua hodiè adhuc vtitur, euecta fuit. Hoc aliqui VVēceslao Romanorum Regi, alij Carolo quarto tribuunt. Conradus autem Vercerius, Henrico septimo adscribit, primo, ex ea familia Romanorum Imperatori. Aedem primariam, numini dicatam, sub D. Nicolai tutela, exhibet, priuatas ciuium ædes mediocres, pleraſque bellorum iniuria, non optimè restauratas, complures etiam desolatas. Non enim existimo, multo plures inueniri vrbes, in quas tam hostili mente, bellorum furoribus, offensa fortuna desæuierit, atque in hanc Luceburgici ducatus Metropolim. Quæ non ab externo tantum milite, potissimum verò à Gallo, quem offensum, insultantemque sibi frequenter, magno cum detrimento sentijt, sed domesticis etiam dissidijs attrita, fracta, & mille calamitatibus exposita fuit. Quales certè maximas, anno M.CCCC. XLII. perpessa. Quas hunc in modum Meierus Annalium Flandricarum libro XVI. describit. Elizabeth dux Lutzeburgen. quæ primùm Ioanni Brabanto, inde nupta Ioanni Bauaro, per hæc tempora multis iniurijs afficitur à suis popularibus; qui consuetos census & redditus pendere illi detrectant. Hanc rebellionem ipsa Regio Luceburgẽsis, & Theonis villa in primis inceptabant, suamque dominam portis excludebant. Vidua misera ac desolata, nisi ad Philippum quò confugeret, non habebat. Hunc igitur multis precibus solicitat, vt pro honore patrui sui, simul & auunculi, quos ambos deinceps habuerat maritos, auxilium præbere dignetur, alioqui viuendum sibi fore in inopia & miseria. Philippus, certus sibi perire, quicquid periret amitæ, & materteræ viduæ, mox concilio suorum coacto, auditisque sententijs, monet hortaturque Luceburgenses, iniurijs desistãt, debitosuam dominam honore colant, nihil nouarum rerum moliantur, debitum, consuetumque censum pendant, pacem cum illa custodiant, alioqui contra tantam iniuriam, omni se ope illi auxiliaturum. se esse ex pactis, eius vnicum, & verum hęredem, se Principem Ducem futurum Luceburgensium, non passurum se, vt damni quidpiam Ducatui inferatur. His Philippi monitis minimè parendum Luceburgij existimant: sed ad Guilhelmum Saxoniæ Ducem, qui se eius Ducatus dicebat hæredem, confugiunt. Habebat enim Guilhelmus in matrimonio neptem ex filia Elizabetha Sigismundi Imper. Elizabetha nempe filia illa Sigismundi ex Alberto Imp. viro suo liberos reliquit Ladislaum Regem Vngarię sine liberis immaturè defunctum, & duas filias; maiorem Guilhelmo isti Saxoniæ Duci, minorem verò, nuptam Cazimiro Regi Poloniæ. Octingentos circiter pugnatores ab Guilhelmo accipiunt Luceburgij, qui ductore quodam Comite de Clito, aduenientes, bellum facere cœperũt vniuersis Castellis, quæ adhuc in Elizabethæ persistebant fide. His Philippus cognitis rebus, Ioannem Comitem Stampanum, cum forti manu pugnatorum, quos ex Ambianis, Atrebatibus, & Morinis conscripserat, ad se accersit in Burgundiam, præmittitque Simonem Lalanum, cum quadringentis pugnatoribus, vt cum Comite Varnenburgensi, cũ domino Salucensi, & Henrico à Turre, qui fideles adhuc erant suæ dominæ, se coniungat, bellumque facere, ac resistere hostibus incipiat, ipse statim, cum nobilitate Burgundica, alijsque nobilibus, & bellicosis viris, subsequitur. Lalanus apud Harlonem, Philippus statim aduenies, ad Iuodium oppidum, castrametatur: Et Villiacum, prædonum receptaculum, vnde Iacobus Bellomontanus vicinos infestabat, cepit. Promouit inde copias ad Luceburgum, scalisque de nocte, muris admotis, haud magno negotio, per fortissimos exercitatissimosq; milites suos, cepit. Primus Gauarus Quieretus murum cum suis superauit, in oppidum euasit, portamque effregit, per quam plerosque ductores cum militibus circiter ducentis, intromisit, forumque occupauit. Ad clamorem oppidi capti, Germani in arcem confugerunt, incensis perpulchris circa illam ædificijs, cum grandi ciuium damno. Stampanus oppidum ingressus, arcem obsidet. Ciues, amisso oppido, trepidi fugiunt ad Theonis villam, desertis omnibus fortunis suis. Philippus oppidum plenum inuenit diuitiarum: Direptum ac deprædatum totum. Rixa inter nobiles, ac militem orta, de præda ex æquo diuidunda, vt erat promissum: sed nobilitas vbique superior, longè meliorem tulit partem; militi, quanquam grauiter quiritanti, non nisi viliora, cesserunt. Comes Clitanus, de nocte se ex arce proripuit, fugitque Theonis villam. Obsidio arcis tenuit circiter ternas hebdomadas. Tandem Clitanus suorum pactus duntaxat vitam, arcem Philippo dedidit. Ita Dux breui tempore, nulloque magno suorum damno, toto ducatu potitur, Elizabethamque amitam dotum restituit, vt omnibus emolumentis & fructibus, vti antea, in vita frueretur, accepturus ab illa, quinque circiter milia ducatorum. Ita assertur Luceburgicus Ducatus, quem etiam nunc Philippus Hispaniarum Rex, Ducatus titulo possidet.

LVXEMBOVRG

ALSAT. FLV.

LVTZENBVRGVM,
Ducatus eiusdem nomini, vetus et primaria Vrbs, in superiorem & inferiorem situ mirabili, vallibus, et præcipitijs secatur. Castro quondam, et Benedictorum coenobio Ducum oratorio, et sepulturæ nuncupato præstans.

ARNHEMIVM.

ARNHEMIVM, Tacito, vt Diuæus, & B. Rhenanus asserunt, Areuacum Geldriæ oppidum, in dextri Rheni ostij, dextra ripa, medium milliare ab eo loco, vbi altera fit Rheni sectio, cuius dextrum brachium Issula, ac ibidem fossa Drusiana, dici incipit, Asciburgium, id est, Dousburgum vsq; Issulę verò nomen ei ostio manet, vsq; dum mari Australi, vulgo **Süderzee**, excipiatur. Oppidum est florens vtcunq;, ac primaria Velauniæ insulæ, quæ & Vcenauia, id est, Paludũ Insula, vulgo **Die Velaw**/ appellatur. Inferior insulæ pars Hollandia nuncupatur, & Vltraiectensis tractus, circa Batauodurum, id est, **Wick te Duerstede**/ vbi Rheni medius alueus nomen mutat in Leciam. Est autem eius insulæ territorium paludosum, ac vliginosum, syluisq; consitum, vtpote quæ ferinarum affatim præbent venatum; eius latera clauduntur ab ortu Issula, à Septentrione eo mari, quod **Züderzee** vocant, ab occidente, **Vicht** flu. à meridie Rheno, seu Lecio fluuio, vnde abunde piscium ipsis suppeditatur. Supremum Geldriæ ius & Cancellaria, Arnhemium obtinet, subditas habens vrbes, earumq; præfecturas, VVageningũ, Hattemum, Harderouicum, Elburgum, sitas omnes in ea Geldriæ parte, quæ Velauia vulgo nuncupatur. Complures etiam continet vicos, suos habentes magistratus, omnes tamen summo Velauuiæ Præfecto subiectos. Arnhemi jautem Geldriæ Dux sedem olim, ac Prætorium habebat. Ibidem nunc & Prouincię Præfectus degit, & Curiæ Iudicialis Geldriæ atq; Zutphaniæ Senatus, quem magistratum instituit Carolus V. posteaquam eam Prouinciam armis Anno M. D. XLIII. recepisset. In eum Magistratum adlegit vnum Cancellarium, & Senatores decem; eorum quatuor ex nobilissimis, quatuor Geldriæ Regionum viris, sex reliquos ex Iuris & legum consultis. Hi magna prorsus auctoritate ius dicunt, nec ab eorum sententia concessa est appellatio. Est hac ipsa quoq; in vrbe Ratiocinarium à Philippo Catholico Rege institutum Anno M. D. LIX. ad quod omnes Geldriæ, Zutphaniæq; Magistratus, siue iuris dicendi, & rerum criminalium Præfecti, siue pecuniæ publicæ, atque ærarij Quæstores, suas administrati muneris rationes referre iubentur.

VENLONVM.

VENLONVM, opp. Geldriæ, arte & natura munitum, in dextra fluminis Mosæ ripa conditum, & dimidio disitum à Strala milliari, mercimonijs pollet. Vbi anno M. D. XLIII. Cliuiæ Dux Carolo V. Cęsari sese dedidit, concordia inter vtrunq; Principem deinde cõsequuta. Hinc Guilielmus Veldius, homo doctissimus prodijt.

GELDRIA.



GELDRIA, paruis duobus milliaribus Strala dissita, vrbs ipsa est, abs qua tota Regio nomen, idque hac occasione acceperit: Sunt, qui constanti narratione perhibent, tempore Caroli Calui Imperatoris, circa locum illum, in quo est Geldria oppidum, horrendam quandam, ac venenosam beluã, ijsque locis ante id tempus nunquam visam cognitamque, sub arbore esculo delituisse, magnitudinis immensæ, fœuitiæque incomparabilis. hæc agros, camposque deuastans, nec pecoribus, nec iumentis parcens, ipsis etiam hominibus, à quibus non abstinuit, vsque adeò formidabilis ob inexplebilem voracitatem, ac atrocitatem euasit, vt finibus suis cedere complures, sesecq; solitudinibus abdere coëgerit. Duo verò cuiusdam à Ponthe filij, partim, vt sibi ipsis, partim etiam, vt publico vicinorum commodo prodessent, miris technis, audaciaque incredibili beluam aggressi, post dubium, varium certamen ac luctam, tandem superiores belua euasere, eaque interfecta, haud ita procul à Mosa fluuio, ad Nersæ ripam, in memoriam rei arcem extruxêre, cui Geldre nomen fecêre, voce ex continuo & miserabili, ac identidem repetito mugitu eius beluæ, quem, dum cęderetur, edebat, mutuata.

RVREMVNDA.

RVREMVNDA, Præcipuum post Nouiomagum Geldriæ Ducatus oppidum, ad Ruræ fluuij ostium situm, vbi Mosæ miscetur, habitatore frequens, situ, natura, arteque munitum, tribus Venlono milliaribus distans. Episcopali nostris temporibus dignitate ornatum, cui D. VVilhelmus Damasi Lindanus, varijs in re Theologica æditis libris clarus, primus episcopus præest. Nobilium ingeniorum Ruremunda ferax quouis tempore fuit. Hinc namque editi Bartholomęus ille, Cœnobij Bethleemitici Prior, multorum auctor operum, Et Dionysius Rickel, eiusdem Cœnobij Monachus, vir eximiè doctus ac celebris, multorum librorum tanta cum laude Scriptor, vt præter D. Augustinum apud Latinos parem habuerit neminem. Sub Ruremunda, & vrbes & Magistratuum sunt præfecturæ: Vrbes quidem, Venlonum, Geldria, Stralena, VVachtendonchum, & Herculis vrbecula, vulgo **Erckelens**, in Ducatu Iuliacensi; Præfecturę autem harum ipsarum vrbium, & magistratuum Kessełij, Monsfortis, Melderij, Crickenbekij, Echtij. Sub Otthone III. Geldrici Ducatus Comite, maxima Ruremunda incrementa sumpsit. eam namque tunc temporis vil- lam, muris cinxit, & ciuilibus priui- legijs consecrauit.

ARNHEMIVM,
GELRIAE IN
RIPA RHENI OPP.

RHYN

FLV.

VENLONVM, opp:
arte et natura munitũ,
Mosae ripa illus tre.

MAESE FLV.

GELRIA opp: vniuersae
eiusdem adpellationis Re
gioni nomen suppeditans.

MAESE FLV.

RVREMVNDA
GELRIAE OPP.

NOVIOMAGVS.

NOVIOMAGVM, vrbem ſuam indigenæ, nunc regnum, nunc baſim imperij, appellant, quòd vna ſit trium earum, quas Carolus Magnus, quõdam ſibi ſedes delegerat. Primam aiunt Aquiſgranum fuiſſe, ſecundam Nouiomagũ, tertiam Theonis Villam. De origine eius, Gelden Aurius ciuis, in hiſtoria Batauica, à Mago potentiſsimo Gallorum Rege, Ditis filio, conditam, & de eius nomine Magam appellatam fuiſſe, tradit. Pòſt temporis progreſſu, à Batone Cattorum Regulo, iſtuc tranſmittente, loci amœnitate capto, tum etiam antiquæ nobilitati iſtic gratificaturo, inſtauratam atque auctam, triplici mœniorum ambitu cinctam, ac inde Nouiomagum vocatam. Addit idem, Batonis filium Heſsium patriã ſuam ſummoperè ornaſſe, vnde procliuior eius pars, etiamnũ ab eo, Mons Heſsij dicatur. Poſtremò adiungit, omnium ordinum conſenſione, à Batauis regiam, ac prouinciæ caput conſtitutam eſſe. Vtcunque eſt, liquet, perantiquam eſſe vrbem, ad eam Rheni partem collocatam, quæ Vahalis vulgo vocatur, flumen inibi & latiſsimum, & altiſsimum. duobus milliaribus ab arce Rauenſtenia diſtat. Aedificiorum ſtructura nobilis profectò eſt, & firma: populoſa & diues. Nam poſtquam nouiſsimè ad Auſtriacam domum redijt, ciues cùm mercaturis faciendis, tum litteris operam dederunt, antea ferè nulli rei intenti nec aſſueti, quàm bello, & armis. Habuit tamen diuerſos viros olim litterarum doctrina illuſtres, qui varia opera, & ſe, & Repub. digna, ediderunt: vt Theodoricum Borguuim, Ioannem Henricum, Henricum Bronchorſtium, & D. Franciſcum Craneueldium, Mechlinienſis Regij concilij Senatorem, virum vti doctum, ita ſingularem, virtutis & ſtudiorum patronum. Gerardo quoq; Falckopyrgico patria eſt, ſingularis eruditionis viro. Sunt etiam iſtic innumeri alij, bonis literis dediti. Inter alia quoque gymnaſium erectum, in quo à ſeptem magiſtris vtraq; lingua, Latina & Græca, ſingulari Reipub. vtilitate & laude docetur. Templorum, quæ ibi ornatiſsima arte ſunt, omnium excellentiſsima eſt baſilica D. Stephano dicata. Inter rerum porrò miracula, perantiqua eſt arx illa, in colle ſita, vrbi imminens, quam à Iulio Cæſare ædificatam, aut ſaltem inſtauratam aiunt, quaſi dominatricem, atque exploratricem ſubiectæ atque circumiacentis viciniæ. Ambigi profectò poſsit, an vlla alia totius Belgicæ ſpecula amœniorem, regionum, fluuiorum, agrorum, terrarumque proſpectum habeat. Hic iuxta atque in vicinis municipijs repertæ aliquando priſcorum Romanorum reliquiæ, puta numiſmata, lapides, marmora, inſtructiſsimarum domorum parietinæ, ſepulcra, monumentaque, ſolerter perquirendi, perſcrutandique terræ viſcera deſiderio ciues afficiunt. Cuius rei luculentiſsimus teſtis eſt, inſtar multorum, Ioannes Falckopyrgicus ciuis Nouiomagenſis, homo virtutis, & antiquitatis perſtudioſus, qui domi ſuæ tres aut quatuor tabulas marmoreas oſtentat, vnà cum illuſtrium virorum elogijs, epitaphijs atque inſcriptionibus. Habet etiam Nouiomagum vicecomitatus titulum, eſtque vrbs & feudum Imperij. Monetæ cudendæ ius habet, vt & cæteræ Imperij vrbes liberæ. Prouocatur inde non ad Geldriæ Cancellariam: ſed rectà ad Aquiſgranenſem curiam. Quotannis certum hominem Aquiſgranum mittit, qui defert eô cheirotecam piperis plenam, Imperialis feudi agnitionis ergò. Philippus tamen Rex Catholicus, vti Dux Geldriæ, iſtic, quemadmodum alibi, monetam percuti curat. Eccleſiaſticus ordo eius vrbis paret Archiepiſcopo Colonienſi, quod nunc nouorum Epiſcoporum in hiſce regionibus inſtitutio perturbauit. Hæc vrbs totius Ducatus, & ſingulatim primæ tetrarchiæ Geldriæ, omnium ampliſsimæ, caput eſt, cuius territorio comprehenduntur, Tiletum, & Bommela, ciuitates muris clauſæ, Gentum vel Gandauum, & Bõmelerouerda, non quidem mœnijs cinctæ, attamen priuilegijs & immunitatibus donatæ; item ſuperior atque inferior Batauia, cum tota ea plaga, quæ Moſa & Vahali fluminibus includitur, adeò, vt generatim omnes hi municipes ſe Nouiomagi ſiſtere, iure cogantur. Acceſsit hæc ditio Geldriæ Ducatui, Anno M. CC. XLVIII. hac ratione. Otto II. Comes, Guilhelmo Romano Regi vnum & viginti millia infecti argenti pondo, mutuo dederat ea lege, & conditione, vt, niſi certa die commodatam pecuniæ ſummam perſolueret, Geldrienſis in eam poſſeſsionem, vt ſuam ac propriam, veniret, quæ conuenta, pluribus etiam conditionibus additis, poſtea à Rodolpho itidem Romanorum Rege confirmata ſunt. Cum verò, ad conſtitutum tempus, ſiue propter ærarij tenuitatem, ſiue incuria quadam, pecunia illi reddita non eſſet, ex conuentu, certis tamen conditionibus, Nouiomagenſis ditio, Geldriæ Comiti ceſsit.

NYMMEGEN.

WAEL FLV

Die hoddel port

Die mos port

Die dorn partyen

Die Cracn port

Die Veer port

Der Wallick hoff

S. Steffens keerck

Die stadt

NOVIOMAGIVM *siue* Nouioma-
gum *vulgo* Nimmegen *inclyta quoda*
Francorum Regia vrbs Gelriæ *primaria.*

INSVLA.

FLANDRIA, latioribus quondam extenſa terminis, hodie Brabantia, Hannonia, Arteſia, & Oceano finita, in tres diuiditur partes: In Flandricantem, ſiue Teutonicam, in Gallicantem, & Imperatoriam. Gallicans dicitur, eò, quòd lingua vtatur Gallica; iungitur à Septentrione Galliæ Teutonicæ, à Meridie attingit diœceſin Cameracenſem, ab Oriẽte Scaldi flu. ab Occidente Liza flu. & Arteſia terminatur. Regio haud ampla, ac ſupra, quàm dici queat, fertilis, cũ rerũ omnium, tũ inprimis frumẽti, & rubeæ Tinctoriæ, ſeu Erythrodani, prata ac pabula lętiſsima, vnde pecudũ, iumentorũq; abunde alunt. Continet oppida ciuitatesq; elegantes, & opulentas, quarũ prima eſt INSVLA, vulgo Ryſſel, ciuitas perpulchra, & diues, mercatorib. locupletibus frequens, ac opificum mechanicorũ; Textorum præcipuè, ingens numerus, qui per omnẽ fermè orbem, merces mittunt varias, ita, vt hæc, poſt Anuerpiam ac Amſterodamũ, primas in mercatu teneat, Inſulę appellationem ex eo, multis per hibentibus, obtinens, quòd in paludibus olim & ſtagnis, quæ poſteà temporis diuturnitate, atq; hominum induſtria, vel ſiccata, vel terra oppleta fuerint, inſulæ ad modũ ſita eſſet. Alij narrant, ex multis illic circumiectis inſulis, id vrbi nominis accidiſſe. Iuxta mœnia, qua regione arx collocata eſt, labitur fluuiolus; qui Lentij Atrebatũ ortus, incitato ad Septentriones cũrſu, Diſſelmontij ſe in Liſam confundit. Inſula Meſſenijs tribus abeſt miliaribus, quinq; Tornaco, paulò amplius Ipris. Condidit Balduinus Barbatus, Flandriæ Comes, anno ſeptimo ſupra milleſimũ, Qui deinde Barbati filius, vbi natus fuit Balduinus pius, ex loco etiã, Inſulani cognomentũ tulit, abs quo vrbs, quæ ipſius eſſet patria, multis aucta beneficijs, muris quoq;, anno milleſimo, ſexageſimo ſexto, concluſa fuit. Is deinde, magnificum illud templũ, quod à D. Petro nomen habet, excitauit, in quod & ſplendidiſsimũ Canonicorum Collegium, ampliſsimo ad eam rem conſtituto cenſu, cooptauit, interq; ipſos canonicos, Tornacenſem, ac Morinenſem epiſcopos, accenſeri voluit. Hæc vrbs, prævalidã habet arcem, in qua veteris arcis Bucanæ (quæ primũ eorum, qui Regis Galliæ nomine, Flandriam adminiſtrârunt, Prætoriũ fuit) reliquiæ viſuntur. Hi, cum initio dicerentur Nemorarij, quaſi Nemorũ Præfecti, & cuſtodes, ad ſummam dignitatem peruenerunt. Eo bello, quod Ferdinandus Flandriæ Comes, in Philippum ſecundũ Galliæ Regem, & Ludouicum Principem, eius filiũ, Diui poſtea Ludouici patrem, geſsit, Inſula capta, & incendio conſumpta, de hinc reſtaurata, bello rurſum exitiali, & toti Flandriæ tantum non internecino, exarſit, in hoſtium poteſtatem redacta, multis vexata modis fuit; qua de re Flandriæ Annales Meieri, libro VIII. conſule. Eadem hodie pulchris ædificijs, illuſtrib. ac nobilibus familijs, mercatoribus ditiſsimis frequens ac celebris. multos etiam habet induſtrios artifices, qui merciũ diuerſa genera, præcipuè autem ea, quæ Belgæ Saias, oſtadia, inuerſa, & quæ iuxta Gallicum Idioma, quòd colorem pro diuerſo poſitũ, mutare videantur, variantia dicuntur, ad pretij cuiuſq; modum, conficiant. Imò tam frequentes Mechanicis incumbunt, vt, quod vix alibi videre eſt, haud reperias pueros, quatuor annos natos, qui non ſufficientes ſint ſuo labore, victum ſibi comparare. Cũ enim ingentem pannorũ copiam concinnent, hi aut fila fuſo ducunt, aut in globulas ea redigunt, aut lanã tractant, ſeliguntq;, aut aliud quippiam operæ impendunt. Hac ipſa in vrbe, curia eſt iudicialis, eademq; ratiocinaria, vt quæ Fiſci etiam rationibus præſit, ei quidem ſimilis, quæ eſt Bruxellæ, ſed, quæ tum plus auctoritatis habeat, tum res plures tractet, latiusq; dominetur. Cõplures etiã habet Municipales prouincias, quæ ſuas illuc rationes referant, Flandriam, Arteſiam, Hannoniam, Namurcũ, & Mechlineanam ditionem. Quin & eũ, quem dicunt, Burgundiæ liberum Comitatũ habuit, quoad paucis ab hinc annis, nouum eodem loci Ratiocinariũ inſtitutum fuit. Hunc Magiſtratũ Philippus Burgundię Dux, Audax cognominatus, prudẽti conſilio inſtituit, vt tanquã ſanctius quoddam Antiſtitũ Iuſtitiæ Concilium, & ius Prouincijs diceret, & ærarij ſui rationibus præeſſet. Qui tamen ei ſucceſsit filius Ioannes, cum Senatum huic tantæ negotiorum moli non ſufficere animaduerteret, bipartitò hunc diuidens, apud Gandauos aliam condidit Iudiciorum curiam, vt ibi quidem Iuris controuerſiæ deciderentur, penes Inſulanum autem Concilium, ærarij ac fiſci Principis auctoritas, & veluti ſummus tribunatus eſſet. Ibi Concilij Præſes, & quatuor rationum magiſtri, quibus adduntur quinq;, vt vocant, auditores, tres Notarij, & alij nonnulli, eius Magiſtratus functionẽ aliquam ſuſtinentes. Horum fidei committuntur codicilli, ac Regeſta, quę dicuntur, priuilegiorum, cuiuſq; modi Princeps Reipub. largiatur. Inſula demum, peramplo eſt Comitio ac dominatu; & paucis, totius Flandriæ Gallicæ caput, ac Princeps.

LILLE. INSVLA. Ryssele

1. La porte de S. Pierre.
2. La porte de courtraÿ.
3. La porte de reneau.
4. La porte de fic.
5. La porte de S Saulueur.
6. La porte de malade.
7. La porte de molenciers.
8. La porte de bare.
9. Leglise de S Pierre.
10. Leglise de S. Estienne.
11. Leglise de S Maurice.
12. Leglise de S. Catherina.
13. Leglise de S. Saulueur.
14. Lospital de S. Saulueur.
15. Lospital de S. Jhean.
16. Lospital de S Nicasen.
17. Les Cordeliers
18. Lospital de Contesse.
19. Le court de lempreur.
20. La maison de la Ville.

DVACVM.

DVACVM, in Flandriæ, Hannoniæ, & Arteſiæ confinibus, opp. quo non aliud mœnibus & incolis cultius, munitiusque, aquis quàm optimè inſtructum, fontes ſiquidem limpidiſſimos habet cõplures, vnum propè D. Amati, maximè celebrem, qui Mauronti, cui ſacer eſt, nomen cœpit. Altiſſimo aggere, quaſi perpetuo quodam monte cingitur, quem binæ etiam foſſæ, aquis refertæ, venuſtiſſimè ambiunt. Scarpo itidem fluuio irrigatur, qui prope Atrebatum ortus, in hanc vrbem Duacenſem, duabus illabitur faucibus, inde frequentibus diductis riuulis, præterquam, quòd varijs in locis oppidanis vſui eſt, & emolumento, vbi ſe tandem colligit, ibi demum aquis adauctus, nauigabilis redditur, vt onuſtas mercibus cymbas Tornaco, Aldenarda, atque Gandauo, in Scaldin, notum & celebre flumen, peroportunè deferat. Duacenſes olim Catuacos fuiſſe, Cæſaris Commentariorũ Scholiaſtes palam facisse, Iacobus Leſſabeus, Marlianus, & alij affirmant. Sunt viciſſim, qui dubitant, cum locus ille Cæſaris in Commentarijs ita legatur, vt nihil ea de re certi liqueat. Verũ, vt ad oppidanos nunc redeam, illi hactenus vt illibatam vrbem, ita Principi ſtudioſiſſimam mentem ſemper habuêre. Id viſum eſt, cum ſuperioribus ſæculis ſæpè, tum Auorum Patrumque memoria, quando finitimi Franci in Galliã excurrerunt. Magis verò poſtremis hiſce annis, quibus funeſtis, & pernitioſis ſeditionibus, vniuerſum Belgium exarſit, quibus ne in minimo quidem contra Regem Philippum itum eſt. Cum Inſulis, Orchiaco & confinibus inferioris Flandriæ in ſumma eſt, & vnum eius Prouincię ſtatum conſtituit. Rempub. habet optimè conſtitutam, ab alijs municipijs plane diuerſam. Concurrunt enim in ea tria Rerumpub. genera. Regem ſuum ſupremum, & monarcham agnoſcit: deinde ſunt in ipſius corpore, mira quadam maiorum prudẽtia, duo ciuitatis Prętores, vnus in criminalibus, quem Balliuum; In ciuilibus alter, quem Præpoſitum vocant; ad quos non cognitio, ſed ſententiarum à Magiſtratu latarum, executio pertinet. Habent ij perpetuam dignitatem, & hæreditariam. In Magiſtratu ſunt XIIX. vt vocant, Scabini, & VI. viri alij, qui XIII. Menſe ex toto populo à IX. viris ad hoc ab ijs, qui Scabinatu tum defunguntur, nominatis, eliguntur. Quę ſpeciem Ariſtocratiæ ferunt. Deliguntur enim pauci, & optimi. Quinetiam nullo Nobilitatis reſpectu, de Plebe vocantur, in quo Democratia verſari videtur. Et hæc quidem de Duacenſi Repub. & ciuitate: nunc ad vrbem ipſam redeamus. Proximum foro eſt Capitolium Valecenati haud abſimile. Alterum mœnium, quæ hîc geminata conſpiciuntur, ad imam aluei crepidinem, arcendis hoſtibus, prouide collocatum eſt. Verba ſunt Leſſabæi, Putatur autem, de Arce peruetteri hîc agere, prope D. Amati, in qua turris fuit ſtupenda altitudine, ac vetuſtate, cuius viſendæ cauſſa, Architecti, ex Italiæ, & alijs mundi partibus, huc frequenter concedere ſolebant. Eius immenſa altitudo obſtabat, cum alia à ciuitate erigeretur, ne is, qui perpetuo in ſumma curiæ ſpecula, excubias agit, in omnes portarum vias, pandere viſum poſſet. quamobrem diruta eſt. Domus contigua, partim in publicos carceres, commutata, partim in Orphanotrophium, clɔ. florenis annuis eo ex munere dotatum, quo Rex Catholicus, Carthuſianos, qui Valencenis in hanc vrbem aliquando commigrare ſtatuerant, ornaturus erat. A paucis deinde annis, mœniorum forma prorſus immutata fuit. nec enim geminata ſunt hodie, ſed perpetuus, altusq; agger, duplici aqua munitus, vniuerſum vrbem circundat. Templa habet non pauca eximiæ vetuſtatis. Præcipua ſunt Apoſtolorum Principis, & B. Mariæ ſacrum, ſub Clodoueo Francorum Rege, Anno à Chriſto nato lɔ. erectum. Quorum hoc hodie ſacellum eſt in D. Amato, in ſiniſtram chori. Quatuor Diuorũ reliquias adſeruat, in queis Mauronti Diua Rictrude, quæ Marchenis colitur, geniti: Illud molem habet, ædificandę ad templi crepidinem turri, iam olim apparatã. At vereor, ne noctua illis aduolauerit, nempe Babylona potius, quam Pyramidem comminiſcẽntibus. Et aduolauit aliqua certè: iacet fundamentum, & columnæ etiamnum interruptæ. quod ſi emerſerit vnquam, futurum, vt Pyramis, qualis nuſquam in Flandria, exſtet. Nundinæ binæ, Ad Kalendas Sextiles, & Octobres. Frugum maximus mercatus. Conuehuntur autem ex Auſtrebanẽſi, & Arteſiaco agro. Larum peculiari colore tingendarum ius habet. Ager eſt ſupra Duacum, Atrebates vſque, compaſcuus atque arabilis, at raræ in proximo ſyluæ. Lignis vtitur aduectis, ex ſyluis, quæ ſunt ab altera vrbis parte, Tornacũ verſus, ſatis frequentes. Aedes ſunt pleræque non dicendæ venuſtatis. Genus hominum, nihil minus, quàm effœminatum, proinde pugnax. Itaque propellendi hoſtis ſpem, non collocant in adſcititiorum militum centurijs: quin prius habent, ſuum defraudare ærarium, ſuoque diſcrimine, ſuperſtitem ſeruare vrbem, quàm alieno ferocire præſidio. Quanquam tamen, ſub Carolo Quinto, & ante ipſius quoq; tempora, licet rarius, præſidiarium militem admiſerint. Ab eo verò tempore, eã huic vrbi fidem, etſi in Galliæ finibus cõſtitutæ, Philippus Rex ſemper habuit, vt proprijs ſub vexillis, ciues militent, ac Patriæ defenſioni præſint. Ob quam quidem incolarum tum fidem, tum conſtantiam, tanta in hanc vrbem Regis liberalitas exſtitit, vt quicquid M. ſuę ex ærario, dotis nomine, debebatur, id omne in magiſtratus, & vniuerſitatis ornamenta conuerterit. Celebrem hîc namque Academiam, à Romano Pontifice approbatã, Anno clɔ. Iɔ. LXIII. multis ab vtroq; immunitatibus, & priuilegijs donatam, inſtituit. Quæ quidem maxima huic vrbi ornamenta hactenus conciliat, cum ex paupere municipio, opulentã vrbem; ex tugurijs, & caſis, ædes magnificas, & inſulas: ex parua denique; magnam effecerit. Inuexit mercimonia, opes, prudentiam; toti demum Belgio, præcipuè vtilis, in qua cum omnium facultatum ſcientia, eadem opera etiam linguam Gallicam Studioſi addiſcant, qua in omnibus ferè Belgij Aulis, & tribunalibus, paſſim res forenſes tractantur, & mercatores in negotijs aliquantò libentius, quàm ſua vtuntur. Ad hoc Gymnaſium amplificãdum, ſumma Regis acceſſit liberalitas. Domum maiorum ſuorum, & Arcem, quam hodieque vulgus Aulam inferiorem: *la Baſſe court*, appellat, in Collegium Facultati Artium donauit, in quo adoleſcentes in literis & Philoſophia exercerentur, locum ſanè ad Muſas adcommodatiſſimum, quod ad ſitum attinet, vndique cinctum flumine. Deinde ſcholam publicã, ampliſſimã domum exſtruxit & Macellũ. Ex ſua dote in ſingulos annos Iɔ. millia florenorũ Academiæ donauit, ex qua ſumma, omnium Facultatum Profeſſoribus ſalaria dantur. magnus eſt auditorum numerus, maximè Anglorum, & tanta docentium diligentia, & doctrina, vt hac iuuencula, non tantum Auiam Agrippinẽſem Scholam, ſed matrem etiam Louanienſem facilè agnoſcas. Regia iſta liberalitas, duorum potentium ac nobilium Abbatum ſtudium, mirum in modum inuitauit, D. Ioannis Lentailleri Aquicinctenſis, & D. Arnoldi Gantois, Marchenſis qui, cum prius vnum Collegium communibus ſumptibus cogitaſſent, ad incrementa ſtudiorum, mutatis in melius animis, Aquicinctẽſis ſolus tã amplum Collegium excitauit, vt facile clɔ. conuictorum, vt ſinguli cubiculum habeant, ſit capax. In quo Collegio amplam quandam domum Societati Ieſu donauit, eosq; diſciplinæ præfecit. Marchenſis item, non quidem tam amplum, ſed multo ſplendidius, erexit. Mirum eſt, quàm in his Gymnaſijs & literarum, & Philoſophiæ ſtudia, æque colantur, quamque proinde ad ſuperiores facultates idoneam iuuentutem tranſmittant.


DVACVM, Catuacorum vrbs, tam
situ, quam incolis, et litterarum stu-
diis elegantissimè ornata

DOVAY

MERDELS

SLVSA.

SLVSA, Teutonicæ Flandriæ oppidum, per quàm elegans, quondam Lammerß vliet/ vt palam fit ex publicis litteris, nuncupatum, copiosum olim, & diues, quinque Middelburgo, tribus milibus à Brugensibus abest, qui arte, manuq; facto aquæ ductu, seu Canali largissimo copiosissimoq;, omnes eius territorij aquas, singulari industria, facilè vnum in locum colligunt, easq; pluribus fossis nauigabilibus, per vrbẽ ducunt, ac vnũ in alueum denuò reuocatos, ad Dãmum oppidũ, indeq; ad Catarrhactas, Ter Sluysen vocant, deducunt, eiq;, Reiæ, nomen faciunt. In cuius exitu, portu etiam, quo Sluſa opibus olim floruit, (quando non minus, quàm tunc etiam temporis Bruga, Hanseaticis Orientalibus mercatoribus domicilia præbuit) tota Flandria Teutonica cõmendatur. Is, quingentas naues facilè admittit, sicuti & annales Flandriæ perhibent, Anno M.CCCC.LXVIII. paulò ante natalem Dominicum, in hunc portum appulsas centum quinquaginta vno tempore naues mercatorias, inspectasq; ab oppidanis magno gaudio & lætitia. Verùm hunc portum & oppidum Sluſanum, temporum iniuria collapsum, Brugenses nunc restaurare, & beneficijs augere instituunt. Ad oppidi latus, arx egregiè constituta, quam Rex militum præsidio tenet. Dux autem Bouillonius, & Gallię Admirallius, siue maris Præfectus, ille prius Hesdini, hic posterius, ad Quintini vrbem capti, & in custodia illic habiti fuerunt. Ea arx, licet nunc ab oppido seiuncta sit, illi tamen antea per ædificia complura, quæ deinde consultò Brugenses euerterunt, coniuncta fuit. Sluſanum nanq; oppidum, bellis contra Brugenses & dissensionibus fractum, ad extremum, etiam venditione ipsis à Principe addictum, in eorum potestatem deuenit. Acerrimæ namq; diuersis temporibus commerciorum causa, inter Brugenses & Sluſanos viguerunt contentiones, quarum præcipuæ Anno M.CCC.XXIII. quas motum nouum, siue magnum vocârunt, hac occasione sumpsére initium. Ioannes Comes Namurcensis, filius Principis Guidonis, patruus magnus Ludouici Comitis, ea tempestate portum Brugensem, ad Sluſam posidebat; Simul præfecturam aquæ, quæ hactenus Prętoris Dammensis fuerat, ab Ludouico, rerum adhuc per ætatem imperito, obtinuit, Sluſæq;, quascunq; vellet merces, maioris etiã ponderis exponere, & vendere, licere sibi persuasit: quæ tamen merces bonaq; omnia, iuxta leges & priuilegia Brugensiũ, Brugas ad statum emporium subuehi debebant. Gruem ad exponenda quęcunq; bona, Sluſę erexit. Ea re, quoniam emporium, quod stabile Brugis erat, cùm summa pernicie Reip. Sluſam transferri videretur, summa ope cum Comite agunt Brugenses, vti ea omnia, quæ absq; communi terræ consilio Namurcæo concesserat, prorsus & in solidum reuocaret: alioqui multò grauissimam rerum omnium secuturam esse perturbationem; quam quidem reuocationem, postquam fortiter contranitente Namurcæo, obtinere non possent Brugenses, ad arma se conuerterunt. Magno numero fortiter instructi, Sluſam versus mouent. Distat tribus nostratibus milib. Ludouicus ea de re certior factus, aduolat Cortraco Brugas, vt, si fieri posset, impediat, frangatq; eorum inceptũ: sed frustra omnia conatur. Coniurant vnanimiter omnes in Sluſensium interitum, nisi donationem illam Namurcæo factam, Comes protinùs per nouas tabellas rescindat, atq; abroget. Et ne omnia priuato videantur agere consilio, Ludouicum vna secum Sluſam ducunt. Namurcæus, qui hæc futura minimè ignorabat, quantis potuit munitionibus, militumq; robore, se ad resistendũ parabat: mente autem consternatus erat, quòd vnà cũ inimicis suis Comitem accedentem videret. Venientem nihilominùs hostẽ facta eruptione acriter excepit: primùm occisis Signiferis retrocedere coëgit, interfecta aliquanta parte. At, postquam reliqua manus accesit Brugensium, longè impar euasit: fusus fugatusq; est, atq; à Brugensibus captus, ductusq; Brugas in arctissimam custodiam, quæ Lapis dicitur. Desiderauit eo prælio ex suis nobiles viros vsq; ad viginti, si modò veri sunt, quos inuenio, commentarij: quo ex numero primarij ac præcipui fuére Florentius Bersaliensis; Simon ab Bruchdammo, & Ioannes Beruagius, omni pœnè vulgari milite, aut cæso, aut fugato, aut submerso. Ipse per vrgentissimas Comitis preces protectus & seruatus est, alioqui ab furiosa multitudine discerpendus. Sluſam Brugenses diripiunt, direptamq;, nullius habito respectu, per iram incendunt, ac funditus euertunt. Paulò pòst, dum pro Namurcæi liberatione apud Fanum Odomari conuẽtus indicitur, vbi multa primorum virorũ, ea de causa frequentia, nuntium, ipsum Namurcæum è custodia elapsum, Brugensiũ animos ad pacem inuitat; Maximè, quia Carolum Galliæ Regem Namurcæo fauere, idq; agi cognoscerent, vt adempta Sluſa, atque maris accessu, emporio spoliarentur, eumq; in modũ in perpetuum vrbs ipsorum humiliaretur, nouo emporio ad Sluſam constituto. Itaq; sex, & sexaginta millium nummum solutione admissorum veniam à Comite sibi cõparant. Proximum Sluſæ inter Brugenses, est Dammum, valdè opulentũ, populo, & mercatoribus frequentissimũ olim oppidulũ, portu etiam, & vinorũ statione celebre, clauis & ostium maris. claudebat quippe, & aperiebat Brugensibus, mercatoribusq; omnib. oceanum: sed nunc, incursionibus Gallorum, intestinis etiam Gandauensium atq; Brugensium dissidijs, alienata mercatorum frequẽtia, instar vici est, & portus iam nostra memoria, nihil est aliud, quam fossa manufacta, per duo milliaria Flandrica vsque ad portum Sluſæ, æstu concitato tantummodò nauigabilis.



SLVSA, TEVTONICÆ
FLANDRIAE OPP.
ADMODVM ELEGANS.



ATREBATVM.

ATREBATVM, vulgò Arras, Arteſiæ, cuius gens Iulio Cæſari Atrebates, qua voce vniuerſitatem accipit; Recentiores, Latine ſcripturi, ſcilicet effinxêre pro vrbe, & capite gentis: ſed, quam rectè, aliorum eſto iudicium. Nos, antiquitatis imitatione, Atrebatum Auguſtam mallemus dicere, ſicut ciuitatem pro Repub. vniuerſa, Iulius purè loquens, protulit. Vrbs eſt maxima, & politica dignitate clara, adeoque cum naturali ſitu, tum propugnaculorum, murorum, & turrium præſidio munita, vt, non niſi longiſſima obſidione expugnari facilè queat. Intra teli iactum indidem Scarpa præterfluit; Duaco, ſenis; Dorleno octenis; Cameraco, nouenis; & Ambianis, denis quaternis abeſt miliaribus. Vrbs ampla, auguſta, & ſpacioſa, imò, Dipolis. Nam pariete quodam intergerino, ac mediano ſcinditur, ac ſecernitur. Quarũ parte altera ciuitas Antiſtiti nimirum obnoxia vulgo vocatur: Altera autem, quæ dominum agnoſcit, vulgò, male, villa dicitur, ea vrbs eſt. Interim ciuitas vt vrbe minor, anguſtiorq; , tamen propugnaculis, molibus, &, opere firmiſſima eſt, & affabre facta. Vbi Cathedra, fama celebris, Mariana, ac inibi Bibliotheca manu ſcripta. Libri verò omnes theologici. Omnium primum Antiſtitem hîc inſtituit D. illum Vedaſtum, D. item Remigius Rhemorum Archiepiſcopus, anno Domini. D. XXXI. Procedente tempore, ea dignitas in Cameracenſium itidem Antiſtitem tranſcripta eſt, ſic, vt ex gemino, vnus duntaxat, coaleſceret Epiſcopatus. Atque adeò, vt multam ætatem Atrebates huiuſmodi dignitate fruſtrati. Forte autem euenit, vt Samobrini ſiue Cameracenſes Henrico Quarto Imperatori ſtuderent, ac fauerent, hunc cœperat inimicum Pontif. Maxim. Roman. Vrbanus II. hoſtemque Eccleſiæ Romanæ proſcripſerat, qui aliqua ex parte, ita animaduertere volens in Cameracenſes perduelles, ac Imperatoris iam dicti ſocios, Atrebatibus priſtinum Epiſcopatus honorem reſtituit, Epiſcopumq; creauit Lambertũ, ad Teruanam tunc Archidiaconum, id, quod contigit Anno M. LXXXXV. Egit ibi haud ita pridem Antiſtitem Antonius Perenotus, hodie Cardinalis Granuellanus, vir inſignis, & fama notiſſimus, quo Epiſcopatum hunc abdicante, ſuffectus eſt in eius locum Franciſcus Ricardotus, vir ſpectatus, & literatus, eloquentia ſingulari, venuſta & grata actione compta, præditus, ſcriptisq; Theologicis, de horum temporum controuerſijs, clarus, verum nunc in fata, cum ſummo bonorum luctu, conceſſit, vir æuo, & ſempiterna memoria digniſſimus. Epiſcopus autẽ in hac ſua ciuitate Atrebaten. ſingulare habet imperium, hoc eſt, magiſtratus creat, leges irrogat, ius dicit vniuersè, denique tam profanarum, quàm ſacrarum rerum Dominus, Patronum tamen Belgarum Principem, ac nominatim Atrebatum Comitem recognoſcit, à quo electus eſt, & à Romano Pontifice confirmatus, vel inauguratus. Annuali epiſcopatui, tanta, quanta fuerit meſſis frumentaria, nempe quaterna, vel quina, ac interdum ſena Scutatorum millia. Ibi ad Diuæ Mariæ, magna religione, & egregio cum peregrinorum lapidum apparatu, certum manna adſeruatur, inſtar lanæ, quod D. Hieronymus ætate ſua ad hanc regionem pluiſſe, ſuis in epiſtolis refert, quod etiam certo, & conſtituto tempore, nimirum in maxima aëris terreque ſiccitate, ac ſideratione, ad eliciendam, implorandamque è ſuperis pluuiam, commonſtratur. Nec deeſt vrbi etiam ſua Religio: nam illic ad ſecundum compitum, ſumma cum cæremonia, in delubro lucerna cuſtoditur διοπετὴς, vtputa, quam rem ſanctam, & cœlitus acceptam, antiquitus credunt, cuius occaſione iam commodum in vrbem tranſmiſimus. Ea ampla in primis, ac ſitu, & opere arx habetur, quam niſi longinqua obſidione non facilè quis capiat. Plateæ hîc apertæ: Forum ſpacioſum. Vedaſtinorum Sodalitium cœnobium inibi diuitijs reliquas omnes monaſticas ſocietates, longe antecellit, vti percunctatione didicimus. Vectigal enim ei immẽſum, nempè, vicena ducatorum millia, & eo amplius. Deinceps, multa paſſim templa, apprime ornata, & culta. Domicilia ciuium appoſitè facta, & commoda, & eo magis admiranda peregrinis, quòd Hypogea in omnibus, & ipſa affabrè facta, pauimento nimirum, aut lithoſtrato, aut lateritio, eaque altè effoſſa, de induria. Neceſſitate enim ea ratione ac via, ciues prouidi, ſuarum rerum conſulunt, qua vrgente, ſicuti aliquando vſu venit, Hypogæa illis ſunt, quæ alijs cœnacula. Bello nimirum æſtuante & hoſte mœnia tormentis concutiente, in ſubterraneis illis ſedibus, dum extra telorum omnem ſunt iactum, cum omni re ſua incolumes, facilius ferunt, tolerantque obſidionem. Hanc gentem, antiquitate, fortitudine, & virtute, vel vnus cohoneſtat comicus ille Atrebas, ſummopere ab ipſo Cæſare commendatus. In inſtanti tẽpore, nunc præter cæteros claret Chriſtophorus Aſſim villius, in conſilium Regis priuatum adſcitus, vir Illuſtris, Magnificus, ſpectatus, & doctus, magnificis legationibus ad Angliæ Reginam, & ad pacificationem Colonienſem, ſuperiore anno, celebris. Ac deinde Nicolaus Bornius Antiſtes deſignatus Atrebatũ, cum rara doctrina inſignis Orator, non inuenuſtus poëta, & luculentus Hiſtoriographus. Supremus hîc ſeſſitat prouinciæ Senatus, vnde recte Mechlineam prouocare fas eſt, reo actoreque cauſſa cadenti. Vrbs ſic ſatis frequentata eſt Atrebatum, quorum alij mercatores, alij opifices. Horũ ſunt multa Collegia, quorum maxima pars lanariæ ſtudet. Hinc leuidenſe & textile Atrebas, nulla non in parte Europæ, & cognitum, & acquiſitum. Hoc iam inde ab ipſo Cæſare caput numeroſæ gentis fuit. Ad hæc, Carolo Caluo Imperatore, & Rege Franciæ, & multa poſt ætate vniuerſæ imperabat Flandriæ. Verum, poſtquã Atrebatum ſingularis inſtitutus eſt comitatus, & à Flandrico ſeiunctus, huius tantum populi metropolis, multis tamen nitens clientelis, eſt facta, qua conditione, etiamnum cernitur.

A. Le Beffroy.
B. L'abbaye de S. Vaast.
C. Sierie.
D. S. Croix.
E. S. Jeux.
F. Les Carmes.
G. L'eglise de S. maurice.
H. L'eglise S. Obert.
I. Les Cordeliers
K. L'eglise de nostre Dame
L. L'eglise de S. ricaut.
M. S. Clare.
N. Le grand marche.
O. Le petit marche.
P. Le marché au poisson.
Q. L'hospital de charité.

ARRAS

La porte de Cité

La porte de Ronville

La porte de Ronville

La porte d'amiens

La porte de Baudimont

ATREBATVM, fertilissimæ Artesiæ vrbs primaria, elegantissimo situ, opere, episcopatu, templis augustissimis quorum S. Mariæ, & Vedasti præcipua, & nobilis. viris, præstans.

HANNONIAE HORTVLVS.

HANNONIAM, ſcribit Leſſabæus, olim Pannoniam à Panos cultu, vocatam: deinde, ſaltum carbonarium: poſtea, Picardiæ inferioris titulo, cognitam dicit. Sed tandem Hannoniæ nomen, quo hodie innoteſcit, ab Hania flumine (quod mediâ regionem ſecat) obtinuit. Haniault, incolæ, & Henegaw/ Germani, adpellitant. Habet hæc Hannonia Flandriam cum Arteſia ab Occidente; Brabantiam à Septentrione; qua orientem Solem aſpicit, ſunt illi ijdem Brabanti cũ Namurcis, & Leodienſibus vicini; à Meridie, Campaniam, Gallorum Regis Prouinciam attingit. Regio eſt, ſi quæ alia hoc tractu, nemoribus, lacubus, fontibus irriguis, pratis & paſcuis admodum amœna. Gens bellicoſa, & erga Principem, fide & officio incomparabilis. Habet in longitudine plus minus viginti, in latitudine ſedecim milliaria. In eo ambitu comprehendit viginti quatuor opida, & plus, quàm nongentos, quinquaginta pagos, aut villas; vt Guicciardinus auctor eſt. Robertus Cœnalis, in ea bis mille ducentas villulas, turri campanaria (vt vocant) inſignitas, numerat. Titulo Comitatûs hodiè ornata eſt: & habet in ſe principatum (vt hodie dignitatis vocabulum vulgò ſonat) octo comitatus, duodecim Pares (vt hodie appellant) viginti duos Baronatus, 26. Abbatias, alioſq; dignitatis titulos, quæ omnia apud Guicciardinum videre licet. Vrbes in ea primariæ ſunt, Montes & Valencenæ: hæc ad Scaldim flumen, qua id nauigia ferre incipit, ſita, amplitudine & vallatis mœnibus inclyta eſt. Plebs mercimonijs & negociationibus, vt plurimùm indulget: magnumq; ſibi emolumentũ, ex eo panni genere, quod vulgus, fuſſetas, & in hac vrbe magna quantitate texitur, atq; hinc, in remotiſſimas orbis regiones auehitur, parat. Illa, fluuiolo Trullæ inſidet, mediumq; regionis ferè occupat. Vrbs admodũ munita, atq; aduerſus hoſtiũ inſultus tutiſſima. Plebs opulenta, plerunq; rem faciens ex telæ quodam genere, quod vernaculè, Sayam, adpellant: cuius ibi ingẽs copia conficitur. Sunt præterea Condatum, Halla, Angia, Malbodiũ, Aueſne, Bellus mons, Chimacum, Quercetum, Binchium, Mariæ Caroli V. Imp. ſororis à curis diuerticulum, atq; exſtructis ibidem ædibus planè magnificis, quondàm in delicijs habitum, ſed poſtea ab Henrico II. Gallorum Rege, incendio & ruina fœdatum. Eſt item Bauacum, vulgariter Bauais, quod nonnulli Baganum, vel Bagacum Ptolemæi eſſe arbitrantur, nonnulli illud Belgium Cæſari, in ſuis commentarijs dictum, volunt. Hubertus Leodius tamen, non exiſtimat Cæſaris temporibus tam potens fuiſſe, ſed ſub D. Conſtantino Imperat. potiùs floruiſſe: idq; ex numiſmatibus, quæ ibi magna quotidiè copia, huius imagine ſignata, effodiuntur, colligit. Viſitur in huius foro columna lapidea, ſub qua ab incolis inchoare omnia eiuſmodi viarum capita referuntur, quæ ab eo loco, in omnes Galliæ partes, & ſublimi atque recto tramite exporriguntur. Has Brunehildi operâ conſtratas, fama loquitur. Eius quoque nomenclaturam, in hunc vſque diem ſeruant. Chemins de Brunehault, Gallicum vulgus: Germanicum verò, Die Caßeie/ vocat. Durant vſq; hodie harum viarum, plurimis in locis, veſtigia, ſed interrupta. Hæ id præſertim miraculi habent (vt ſcribit Bouillus) quòd ſublimiores ſint vicinis vtrinque agris: quòd inter inſignia Galliæ opida rectiſſimum iter conficiunt: quòd ſilicinis lapillis, qui etiam vicinis in agris deſunt, ſternuntur; adeò, vt vel ab humo ebulliuiſſe ſilices, vel æthere ſublimi eos pluiſſe, quis iudicet, vel alia, quàm humana manu & operâ, vndecunque toto orbe lectos, in eiuſmodi viarum ruderationem quis demiretur. Sunt quoq; in huius regionis limite verſus Moſam fluuium, quà in Galliam iter patet, Carolomons, Marieburgum, & Philippouilla, in hoc tractu, contra Gallorum irruptiones fortiſſima præſidia; à Carolo Quinto Imperat. Maria eius ſorore, & Philippo eius filio exſtructa & denominata. Diues eſt hæc Regio ferri & plumbi fodinis. Effodiuntur hîc quoq; diuerſa marmorum genera, vt ſunt, album, & nigrum, item pluribus coloribus variegatum, ad Regum & Magnatum ædes & ſepulchra ornanda, valdè accommoda. Calx viua, hîc etiam ex terra eruitur. Item carbones lapidei & atri, bituminis indurati natura; quibus incolæ, loco lignorum in extruendo foco, vtuntur. Conflantur hîc quoq; vitreæ illæ laminæ pellucidæ, quibus omnem cæli iniuriam, ex templis & ædibus propellimus, hæq; præ alijs, quæ alibi locorum fiunt, palmam præſtantiâ ferunt. Omne item vitreorum vaſorum genus & ſupellex hîc conficitur. Vide plura apud Ludouicum Guicciardinum, & Iacobum Leſſabæum, qui peculiarem libellum de hac regione conſcripſit. Hubertus Thomas Leodius quoq; in ſuo, de Tungris & Eburonibus libellulo, non contemnenda, de hac ipſa Hannonia, recenſet.

NOBILIS HANNONIAE COM Pays de Haynault tenu

ITATVS DESCRIPTIO. de Dieu et du Soleil.

Rumegny. Malde. Potelle. Blecourt. Couroublle. Croix. Dandregny. Pereuuers. S. Denis. Audegnye

Castel. Dables. Bousye. Venegre. Descaufort. Labaie. Ladeuse. Haulcin. Marlis. Hiuere. Noysin.

LEROEVX. LESIGNE. Heripont. PESQVI COVERT. Neufsille ses Seignr.

S GVIS LAIN. AVESNE. CONDET.

Louegnies. Maigny. CIMAY. Marrage. Resay. Fromatel. Riculay. Viliers. Danay.

Potes. Dauuers. Henin. Buar. Gaure.

Cantenel. Briane. Boubay. LANDRECHI. Houce. Viliers.

SOGNYES. Bligny. Mouttay. Wallers.

Postel. Dervlan.

Hartam. LEVSE.

S. Vuauldrut. S. Vincent. S. Waudrut. Hasnon. Maroille. Ancin. Haulmot. Crespin. Bone esperice. S. Johan. Conte de Terrace.

Ath. Spuleu. Fontenelle. Beaumont. Vallencenes. Cimay. Condet. S. Guislain. Sognyes. Veneur. Panetier. Seneschal. Côte de Beaumõt. Côte de Lalain. Prince de Cimay. Côte Dostrenãt. Côte de Burbãt. Conte Daueste. Mareschal. Chabellay. Bouteillier. Leuze. Maubeuge. Antoing. Bince. Mons. Belloy. Le Ture.

BAVAY. Côte de Namur. Baudour. CHIVRAYN.

Rans. Wadripot. Escarmain. Aubry. Lõgueuille. Lens. Silly. Petit kieuy. Ciseure. Auesne. Les Pers. Chimay. Le Roeux. Barbenchon. Baudour. Rebary. Walecourt. Roberfart.

Les XII Bannieres.

Fraisne. Bousie. Belleuille. Condet. Ville. Kiurain. Fontaine. Antoing. Haureg. Englien. Louz. Ligne. Vuerchin. Hamaide. Berleimõt. Gomegnie. Senzelle. Hourdain. Fagneulle. Raisin. Marchies. Esclatiere. Vianne. Prois. Marquette.

BEAVMONT. Courbeat. Grãt Wargny. Iumot. Somain. S. Verone. S. Auldegõde. S. Denys. S. Piere S. Paul. S. Bauil. S. Wamn. S. Helirud. S. Ladelain. S. Guislain. S. Hobert. S. Piere S. Marcellin. S. Desdere. S. Vrsmer. S. Quintin. S. Maxime. S. Wabert. S. Royne. S. Refroye. Bos. Bernisart. Sars. Tian. Melin.

Aulfain. QVESNOII. Hom. ENGHIEN. Amerual. Sebourg. Beaufort. Hamel. Peissant. MAVBEVGE. Vuagnõville. Beaurains. Oualeghien. Helimers. Petit Vuargny. Blargny. Desclebes. Chipty. VALLENCE NES. Neste. Bleaugie. MONS. ATH. Famars. Sart. Descaillon. Bellain. BINCE. Neufuille. Hury. Gres. BOVCHAIN. Trimere. Many. BRAINE. Haucourt. Beaufort.

Venus tissimus iucundissimusq; Hannoniæ Hortulus, tanta cœli, aërisque amoenitate; tanta rerum omnium et necessariarũ, et delitijs splendidissimis inseruientium, copia, vndiq; confertus, vt amoenissimis cultissimisq; totius propemodum Europæ regionibus, optimo iure, præferri merito debeat. Etsi enim ambitu tantum suo, decem et septem, tam in longum, quam in latum, milliaria, colligat; vrbes tamen, vallis, muris, propugnaculis habet munitissimas 23. Baronias, publica militiæ signa, seu vexilla, gestantes, totidem Comitatus. 4. Patres, quos vulgo, Pares Regionis nuncupant 12. Abbatias 22. Pagos, turrigeris illustres Ecclesijs 2200. ijs, qui campanarijs carent, omissis. Primariæ dignitatis Princeps Chimays.

Le iolÿ & plaisant Jardin d'Haynault est doué de si bon air & telle abondance de toutes choses, tant necessaires à la vie humaine, que seruantes au plaisir & delectation d'icelle qu'à bonne raison doit estre preferé aux plus plaisantes & Cultiuees Regions de l'Europe; Et combien qu'il ne contienne en son circuit, longueur & largeur, que 17. lieues à toutesfois en son contour vingt & trois Villes, bien munies, de Portes, Bouleuerds & Murailles; Barons portants Banieres en temps de guerre aussi vingt & trois. Quatre Contes; Peres, que le vulgaire, appele Pairs de la Prouince, douze, Abbayes, vingt & deux, Villages, ayants clocher 2200. sans les Hameaux, n'ayants clocher; vne principauté de grande authorité: Nommée, Chimay.

MONTES.

MONTES, Hannoniæ vrbs potẽs & ampla, muris, propugnaculis, & aquis probè instructa, de qua in hũc modum Iacobus Lessabæus, in Hannoniæ descriptione Iulium Cæsarem, rebus alioqui fœliciſsimè gestis, tradunt obsidione Belgensi multa clade defatigatum, aliquantisper supersedisse, intereaq; eo loci penetrauisse, vbi in edito colle Pani fanum erat, ac mox eum montem vallis, & ligneis propugnaculis, vti earum rerum materia suppetebat, velut præsidio futurum, instruxisse. Porrò, Hunnis, Pannonijs (quibus à Pane nomen remanserat) Rhetijs, & id genus fortunæ adiuratis viris, qui tum palantes, suo quisq; more agebant, huc summum erat, oraculi gratia, confugium; donec nominatiſsimi, terra mariq;, Ducis Iulij aduentu, ex fano castrum haberi cœpit. Post supremũ Brunulphi diem, qui eam arcem obtinuerat, traditæ rerum habenæ Alberico, Sigiberti Austrasiorum Regis (Austrasiam inter Oceanũ, Mosam, & Scaldim tũ posuére) ad recuperandas mortuo Dagoberto possessiones adiumento, vnde & filiam eius sibi matrimonio copulauit. Alberico tandem libuit ociũ arcis instauratione oblectare, maximè autem turris, cui ex suo nomine vocabulum indidit, quanquam alijs placet ad Albonem eam referri. Secus castrũ locus erat, quem sanctæ habitationis gratia, Gillenus Antistes Valletrudi designârat, vbi iam miraculis quoq; conspicua erat. In eo Sigibertus ædem Deiparæ construxit, sanctimonialesque ex Valletrudis ædicula, opima sorte asciuit. In Arce Montana, Prætor ex ordine Torquatorũ, principem agens, ius dicit, noxios, & patria interdictos ciuitate donat. Penes eundem creandi in annos singulos Montani Senatus, sub ferias Ioannis præcidanias, Mense Iunio, ius est. Tradunt, Carolum Magnum donasse Montes Metropolitano munere, cæsareisq; priuilegijs firmasse. Iam ex ipsa vrbis nomenclatura intellectũ oportuit, præcipuam vrbis faciem, nunc in colles assurgere, nunc vallibus deprimi. Ad fori crepidinem fons est, magno totius populi cõmodo, procul ductus. Nam supra Dionysij in Broceria, paludes, ortum habet, ligneis fistulis grauissima arte compactis, quæ fluuium Haniam, & citeriorem syluulam trãsmittunt. Alluitur oppidum Trulla fluuio, paruo admodum vsui inuehendis, euehendisq; mercib. nisi huic rusticana ex superiore parte palus, suas aquas hebdomadatim fœneraret. Primo, quàm Montes reliquit, lapide, Trullæ immiscetur Hania, hincq; toto nomine ei Trulla cedit, Condatum vsq;. Vrbs paucis supra sæculis, & virorum & ædium frequentia, ad maximum numerum locupletata, opibus, quantum facies ipsa pollicetur, non inferiorib. Frequẽs ad Francfordianum & Anuerpianum mercatus profectio, idq; saginariæ negotiationis gratia, qua re textrinarum ingens copia. Oppidum, si quod aliud, natura & propugnaculis munitiſsimum, fossa circundatum, & vna haud temere parte obsidionis impatiens. Gẽs ab huius ætatis vitijs, ne dicam, prorsus aliena, sed tamen comitatis, & beneuolentiæ magistra; in tractandis amicis, & excipiendis hospitibus, summam eius agnosceres humanitatem. Imò, mecum contenderes, quorundam ædes, munificentię ac liberalitatis officinas potius, quàm priuatas domos, optimo iure censeri posse. Vt autem templorum Anacephalæosin traham in compendium: Curiata sunt, Valdetrudis, Germani, Nicolai, Elizabethæ, ac rursum Nicolai in suburbanis, Bertæ montis appellatione, circumlatis cum eo, quod est Valdetrudis Xenodochio finitimum, Beghinagium dicunt. Cæterum habet S. Franciscus sodalitium virile, habet item fœmineũ. Augustino sacra est, quæ dicitur Vallis Scholarium. Eidem Antistiti addictæ sunt etiam virgines, quas à pullis vestibus vulgus Nigellas nuncupat, haud tamen nigris moribus. Nam vita integra, omnem siniſtram opinionem sustulit. Magdalenæ sacellum est, cum publicis ædibus, excipiendis puellis, quæ sicut exhibuerunt membra sua seruire immundiciæ ad iniquitatem, ita decreuere impendere iustitiæ in sanctificationem. Harum laboris, ac ærumnarũ hic scopus est, adstare, succurrere, inuigilare pestilente lue correptis. Qua in re strenuam nauant operam, vbi malũ, volentibus superis, grassari cœperit. Proximus est locus eorum, qui tertium Franciscanorum ordinem indepti, Minimi vocantur. Egressis vrbe, offert se iucundiſsima deambulatio, & ferme quaq; versum ornatiſsima suburbia, vt ne dicam de syluis, in quibus nec frondium virorem, nec auium garritum desideres, cùm rigęt æstiuis hirsutus campus aristis.

MONS.

MONS, Hannoniæ vrbs potens & ampla, a Carolo Magno Metropolitano munere et cæsaris priuilegijs donata, Trulla flu. alluitur, propugnaculis, et natura loci, munitissima, Gens humana & opulenta, Saginariæ negotiationi dedita.

VALLENCENAE.

QVAM hodie vrbem Valencenarum dicunt, arx olim fuit, quę, vt in medijs collocata aquis, in quibus multi versarentur cygni, primùm cygnorum vallis, successu deinde rerum, & abundante multitudine, cum in vrbem excreuisset, à Regionis incolis, Vallencenæ nomen habuit. Post Montes, vrbs in Hannonia, primæ notæ: eam Scaldis influit, Bauaco distantem sex milliaribus, Tornaco septem, Auenijs, nouem. Etiamnum illic, ea vrbis regione, quæ Tornacensi & Duacensi portis, interiecta est, intra Scaldim, & ipsos intrinsecus muros, videas antiquæ Arcis reliquias, vt turres, & nonnulla quædam. Situ, mœnibus, & fossis profundissimis, hæc vrbs munitissima est, & præter hæc, aqua per machinas affabrè confectas, longè, lateque ab incolis in planiciem diffundi potest. Ab altera parte Mons, ita eam munit, vt propemodum inexpugnabilis habeatur, nec verò potest, nisi binis castris, obsideri. Magna & amœna vrbs, pulchris ædibus, cœnobijs, atque templis augustissimis plena, quorum duo, vnum à Deipara Virgine; alterum à diuo Iohanne nuncupatum, reliquis præcellunt. Posterius hocà, Pipino Galliæ, atque Austrasiæ Rege, conditum. Cùm autem ditissima hæc sit ciuitas, tum ciues quoque habet ita mercaturæ studiosos, vt & domi, & foris plurimum negocientur, artesque varias, & complura opificia tractent, sed imprimis eius conficiendi texti, quod lingua gentis, dimidiatum ostadium, quodque inuersum appellatur. Hic in lucem prodijt Anno Millesimo, Quadringentesimo, Quinquagesimo septimo, Magni illius Caroli Burgundionum Ducis, in prælio, apud Nancium cæsi, filia, quæ totius Belgij, hæreditario iure, Domina, Maximiliano exinde Romanorum Regi coniuncta, cum sobolem ex eo numerosam peperisset, Belgium Austriacæ ditioni coniunxit. Hic plures conditi sunt nobiles, ac Principes viri, quàm vllo alio, totius Belgij loco, id, quod hodie magnifica ipsorum mausolęa declarant. Habet verò ista vrbs Prætorium, atque augustalem statum, ab Hannoniæ Comitatu seiunctum, quo fit, vt in iuris disceptationibus ab eius tribunali, non Montes Hannoniæ, sed Machlineam statim prouocetur. Milliaris à Valencena interuallo, situm est prædiues illud Cœnobium, cui Viconia nomen, vbi peramplam & nobilem videas Bibliothecam, facultatis, & disciplinæ cuiusuis, libris instructissimam. Intra Vallencenas & Camęracum, non longe à vico, nomine Happa, est & alius vicus, Auenia sicca, nuncupatus, apud quem effoditur insignis ille candore Marmoreo, & ad incisionem facilis, serra diuidi, & quouis instrumento, vt neque assulatim frangatur, tractarique potest. Ex eo itaque egregia sanè opera, præcipuè quidem sculptoriæ artis, permulta fiunt: sed quia natura tenerior est, ac proinde frigori, pluuijsque australibus valde obnoxius, incolæ regionis artifices, ne sua opera corrumperentur, rationem excogitarunt, qua ipsum oleo, vernigine, alijsque temperaturis imbutum, confirmarent, ac veluti crusta solidiore, aduersus omnes aëris iniurias munirent.


VALENCHIENNES
VALENCENA, QVONDAM
CYGNORVM VALLIS,
VRBS HAN: PERELEGÃS,
ET VALDE MAGNIFICA.



CARLOMONTIVM.

CARLOMONTIVM, siue, Mons Caroli, angustum est Comitatus Namurcẽsis oppidulum, firmissimæ arcis instar, Marieburgo vicinum tribus milliaribus, Namurco septem, pulchrè admodum in monte collocatum, ad sinistram fluminis Mosæ ripam, quo in loco prius Giuetum, vicus nõ ignobilis, situs erat. Nomen accepit à Carolo V. Cesare, qui volens hoc ditionis atq; Imperij propugnaculum obijcere, Marieburgo à Gallis tum occupato, id condidit Anno Domini M.D.LV. Hoc namq; tractu solertia & præmonstratione quorundam, etiam à Rege Philippo Arces & loca munita sunt excitata, quemadmodum & à Maria Regina Hungariæ, non procul ab eo fluuio, qui ad Vireium oppidũ in Mosam fertur (quem ipsa nauigationi statuerat idoneũ reddere retatione) de suo nomine, munitissimum oppidum conditum est; quòd hæc loca nullis propugnaculis munita, hostiũ incursionibus semper paterent. vnde Martinus Rossemus Gallico stipendio Francisco Regi deuinctus, dum exercitum in Galliam alia via è Geldria per Brabantiam ducere non posset, hàc fecit expeditionem: quam, quia collimitia hæc nullis arcibus adhuc essent firma, propter locorum asperitatem & horrorem, quibus satis tuta & defensa credebãtur, nemo eum tentauit impedire. Atq; hæc, in hisce locis tam multorum munitissimorum oppidorum recenti memoria excitatorum, caussa præcipua fuit.

LANDRECIVM.

LANDRECII situs ad Sabim est, tribus ab vrbe Querceto milliaribus, sex à Valencenis, Exiguum id quidem Hannoniæ oppidum, sed firmissimum, Et quod fortiter Carolo V. Cæsari Anno M.D. XLIII. restiterit, Gallis ipsum occupantib. valde famosum. Id exinde Galliæ Rex Duci Arschotano, cuius erat ditionis, restituit, cũ quidem insequente anno Crepinij pax conciliata esset. Sed ita pòst Cæsar cũ Duce transegit, vt oppidum hoc in suum ius, ac dominium transcriberet, Duci eius nomine compensationem ex æquo & bono faceret.

AVENIAE.

AVENIAE, vulgò Auesnes, situ occupant fluuiolum Geprã, Landrecio disitæ quatuor milliaribus, Melbodio totidem: Splendidũ hoc & valde firmũ Hannoniæ oppidum. Comitatus, vt vocant, dignitate censetur. Id, cum nuper adhuc in dominio esset Arschotani Ducis, Hispaniarum Rex æqua ei compensatione facta, sibi vindicauit. Cum enim ad Gallici Regni limites pertineat, domini potentioris defensionem atq; tutelam, necessariam habet.

BELLOMONTIVM.

BELLOMONTIVM, Indigenis, situs amœnitatisque caussa, Beaumont; Cimaco, & Binsio abest quatuor milliaribus; Montio, septem; in pulcherrimo quodam monte, abs quo & nomen habet, in Hannonia situm. Paruum id certè oppidulum, sed amœnum & venustum, iuris nunc quidem & dominij Ducis Arschotani, olim portio hæreditaria secundi filij Hannonum Comitis, ex quo & Comitatus dignitatem habet. In eo, tempore ab hinc aliquanto, ante has Belgicas calamitates, Dux Arschotanus vt plurimum agere consueuit.

CHARLEMONT.

CARLOMONTIVM, oblongum, et munitißimum Oppidum in Comitatu Namurcensi, Mosæ propinquitate celebre.

AVESNES.

AVENIAE, vulgo, Aisnes, insigne Hannoniæ Oppidum ad hostiles propulsandos conatus, munitiß.

LANDRECIES.

LANDRECIVM, aquis et propugnaculis firmum Hannoniæ Oppidum.

BEAVMONT.

BELLOMONTIVM, Indigenis, Beaumont: illustre Comitatus titulo Hannoniæ Oppidum.

PHILIPPOPOLIS.

PHILIPPOPOLIS, vulgò, Philippe ville, appellationem cum ortu Anno à Christo nato M.D.LV. à Philippo Hispaniarum Rege sortitum, vnius à Carlomontio, siue Caroli Monte, Marieburgo sesquimilliaris interuallo distans, oppidum est, si quodpiam aliud, firmissimo murorũ ambitu, propugnaculis, machinis muralibus, cæterisq; omnibus, quę ad diuturnam obsidionem perferendam necessaria sunt, munitissimum. Eò namq; abs Hispaniarum Rege excitatum fuit, vt inuictum esset aduersus Gallos Marieburgum tum occupantes, vallum ac propugnaculum. Mędio latam habet aream, nundinis hebdomadatim celebrem, ad quam omnes oppidi plateæ, decenti ornatu, tanquam ad centrum conueniunt.

MARIEBVRGVM.

MARIEBVRGVM, à Maria Hungariæ Regina, Caroli Quinti Cæsaris iussu, paulò post id tempus conditum & nuncupatum fuit, quo cum exercitu Gallico Longeuallius & Rossemius Duces, hic Geldrus, ille Gallus, per mediam Brabantiam Lutzelburgum penetrarunt, Anno nimirum Domini M. D. XLII. Situm est inter duos fluuiolos, nomen alteri Gallico idiomate, Alba, cui propinquum est, ad teli iactum; Alteri Nigra, abs quo, dimidiato milliari distat. Abest Cimaco miliaribus quatuor, Montio vndecim. Inexpugnabile id oppidum est, & propter situm, & propter mœniorũ firmitatem, in quibus ita quatuor propugnacula habet erecta, vt figuram oppidi quadrangulam reddant. Hic tamen, vt alibi, & fidele militum prędidium, & sufficientem commeatus atque annonæ copiam requiras, neque illum præficias, per quem id accidat, quod Anno millesimo, Quingentesimo, quinquagesimo quarto, cũ quidem ignauia, imò, vt fama obtinuit, Risartorum domini proditione, id oppidum in potestatem Gallorum deuenit, summa cum ignominia Præfecti, & cum grauissimo istius Regionis detrimento. Verùm à Gallis, per eam pacificationem, quam anno millesimo, quingentesimo, quinquagesimo nono, cum Belgis transegerunt, Regi Hispaniarum Philippo, restitutum fuit.

CIMACVM.

CIMACVM, territorij Namurcensis opp. ad Albam flumen in nemore situm, ab Auenijs miliarium sex interuallo distat: Ciuium ædes habet sumptu atque splendore mediocres, & Principis palatium vna cum hortis mirum in modum elegantibus, & amœnis. Principatus etiam titulo insigne est, ex quo Arschotanus Dux, cuius est dominij, Principis adpellatione salutatur. Oppidum hoc bellis, superiore paullò tempore cum Gallis gestis, non semel vexatum ac dirutum, nunc ita restauratum est, vt longè, quàm anteà pulchrius sit, atque firmius. Olim, ni fallor, edidit Ioannem illum Frossartum, qui tam grauiter sui temporis historiam, lingua populari conscripsit.

VALLECVRIA.

VALLECVRIA, egregium Comitatus Namurcensis oppidulum, à Metropolitica Namurcensi vrbe, septimo milliari distans.

PHILIP PEVILLE

PHILIP-
POPOLIS
vulgo Phi-
lippeuille
munitiſ:
Comitat'
Hannoniæ Opp:

MARIE-
BVRGVM.


MARIEBOVRG

CHIMAY

CIMACVM, cõmuniter Chimay,
Principatus titulo, in Hanu pręſtit Opp:

WALCOVRT

WALCOVRT, haud ignobile Co-
mitatus Namurcenſis Oppidum.



DORDRACVM.

DORDRACVM, peruetuſtum Hollandiæ oppidum, ciuitas VViltorum multorũ opinione putatur, primũ in Statibus Hollandiæ locũ occupat, quatuor fluminũ concurſu, in Inſulam redactum, Moſæ nimirũ, Vahalis, Lingæ, ac Meruæ, quæ idem Anno M.CCCC.XXI. à continenti abroſerunt. Brabantiæ enim cohærebat. Hinc quidam ad quatuor flumina ſitum ſcribunt. Sic enim effigiem oppidi, ac ſitum, cum Philippus Hiſpaniarum Rex Anno Chriſti M. D. XLIX. in id primũ poſſeſſionem capturus ingrederetur, exprimi & imagini hoc diſtichon adſcribi iuſsit.

Me Moſa & VValis, cum Linga Meruaq; cingunt,
Æternam Batauæ virginis ecce fidem.

His igitur fluminibus in inſulam redigitur. contigit namq;, vt Vvalis ac Moſa fluuij, vna cum mari, continentem, in qua hoc oppidũ iacet, atq; Brabantiæ iungebatur, inundarent. quã verò latè, crudeliterq;, ſatis inde liquet, quòd vicos, ſeu Pagos ſeptuaginta totos ſubmerſerint, abſorpſerintq;. Numerus eorum, qui in ijs, ſimul cum bonis omnibus perierint, æſtimatur vltra centum hominũ millia. Paulatim tamen, huius abſorptæ terræ quædam particulæ, ſolitis eius Prouinciæ artibus, & vt fert hominũ eius loci vſus atq; induſtria, recuperantur. Piſces varij generis, Merua ijs in locis habet: Strutionibus, & Salmonibus, veluti circum Campenam, Zuderzea, quæ dicitur, planè ſcatet. Itaq; Dordracũ quinq; milliaribus Gouda, ſeptẽ Vltraiecto, diſtat. Amplũ eſt, pulchrum, ac potens; & elegantioribus ædificijs inſigne. Summum templũ, quod B. Mariæ virgini eſt ſacrũ, oculos mira elegantia, & pulchritudine paſcit. Quicquid vini Rhenani in Belgiũ adſportatur ex Germania; quicquid item frumenti ex Geldris, Cliuis & Iuliacenſibus, atq; aliunde mediterraneis ex locis, id omne in hoc oppidum, tanquã Emporium, generali Stapula, vt vocant, illuſtre, tranſuehitur. Quo nomine, tũ alias ob cauſas id creuit, & hominũ multitudine, perquam eſt frequens. Cęterum, quia ſubinde noſtra in hac vrbium enarratione neceſſariò Stapulorũ mentio incidit, neceſſe eſt, maioris lucis gratia, vt Stapuli nominis vim atq; originẽ, & rei naturam, quam ipſum indicat nomen, declaremus. Itaq; Stapulũ ab origine Latina, Gallis & Germanis in ea ſignificatione vſurpatũ nomen, indicat locũ, Principis munere ac priuilegio publicè deſignatũ, quò importetur vinũ, frumentũ, aut aliud quoduis exoticæ mercis genus. Sic Atrebatum ferunt habere vini Gallici, quod cõtinenti in Arteſiam vehatur, Stapulũ. Ex quo neceſſe eſt mercatores eò prius vina deuehere, quàm ad alium eius Prouinciæ locũ. Poſtquam autẽ ad tempus ea in foro venũ expoſita illic habuerint, tum demũ poſſunt, quò ipſis viſum fuerit, exportare, ac diſtrahere. Middelburgũ apud Zelandos Stapulum habet vini Gallici, Hiſpanici, Luſitanici, aliarumq; Regionum, ex quibus eò, per mare vinũ importatur. Itaque nautę, & negotiatores, tenentur ad eam ipſam vrbem vela contrahere, ibiq́ue in littus vina exonerare: poſtremò, exſolutis, quæ debent, vectigalibus, poſſunt, quò lubet, cũ ſua merce, vela facere. Stapulorum Dordracenæ vrbis, priuilegia in eo potiſsimum ſunt, quòd omnes, qui Rheno, aut Moſa, frumenta, ligna, vina, aut aliud mercis genus illuc vehunt, ſuas illic naues in portu, littoréue exonerare debeant, & exoluto portorio, ſuas merces in ipſius vrbis, aut ciuium naues imponere, alioqui, vt eas auehant, cum publicanis tranſigere. Tametſi autem huiuſmodi priuilegia multùm hodie ſint inter ſe diuerſa, prout ſunt merces, &, quæ illa impetrarunt, vrbes; ex prima tamen inſtitutione ac origine, Stapulorum nomen retinent. Ita paſsim in toto Belgio Stapulis pro locorum commoditate atque vſu conſtitutis, magna ex eis cum publicè, tum priuatim ad vnumquemque, ſumma cum Principis gratia, vtilitas redit.

DORDRECHT.



DELPHIVM.

DELPHIVM, Celeberrimum in Batauis opp. ſecundum in Hollandiæ Statibus locum obtinet. Gentis ipſius lingua ex frequentibus Moſæ alueis eò deductis, nomen ſortitum. vulgari namq; ſermone, fodere, ſiue alueũ & foſſam ducere, Delffen / indigetant. Duobus milliaribus Roterodamo, Eraſmi illius doctiſſimi patria, vnico verò, eoq; exiguo, à maximo, & venuſtiſſimo totius Europę pago, Haga comitis diſtat. Conditũ olim ab illo Gothifrædo Lotharingiæ Duce, cognomento gibbo, Anno ſalutis M. LXXV. qui ciuitati impoſuit Caſtrum, ſeu præſidium, in quo & habitabat, cuius iam nulla extant veſtigia; & cum annis quatuor per tyrannidem Hollandico potitus Comitatu fuiſſet, à Theodoro, eius nominis quinto, legitimo Hollandiæ Comite victus, è comitatu tandem expulſus, veruto Antverpiæ ſuffoſſus eſt. Id oppidum copioſum ac lautum, valido murorum ambitu cinctum, vallo, ac propugnaculis firmum, ſed & reticulato ſæpimento, muri inſtar, valde munitum, aqua etiam ea latitudine ambitur, quam vir, alioqui fortiſſimus, Japidisiactu ſuperare haud queat. Varijs Euripis atq; canalibus, ad magnam ciuium opportunitatem paſſim diſtinctum, & aquis mirificè inſtructum. Vnde quemadmodum in ædium, & domeſticæ ſupellectilis nitore atque mundicie, communi eorum ſententia, qui varias mundi perluſtrarunt partes, vni Hollandiæ palma conceditur: ita in nitidiſſima Hollandia, primas eius laudis inter omnes eiuſdem territorij vrbes, ſoli attribuunt Delphio. Quò etenim pluuia frequentior, quæ alias defœdare vrbes vt plurimum ſolet, eò venuſtius huius oppidi vici & plateæ, ob ſitum nimirum elegantem, nitent, cum ea occaſione ſordes omnes ad canales & aquas, peropportunè tranſmittat. Inhabitatores ipſi peculiari quadam, & innata humanitate, ciuilitate morum, ac politia culti, Mercaturam & Lanificium exercent, ſapidam ac præſtantem cereuiſiam coquunt, remotisque in locis diſtrahunt: vnde eius opificij, imò negociationis dixeris, ciues ſunt opulentiſſimi. Aedificia tam publica quàm priuata, ſumptuoſa & ſuperba. Atque vt prius ab his, quæ religioni nuncupata, exordiar, Primaria vrbis Eccleſia, quam nouam appellitant, cuius prima ſunt poſita fundamenta, M. CCC. LVI. ſalutis anno, Baſilica auguſta & elegans, D. Vrſulæ ſacra, præſtantiſsimis ſummorum artificum Hemskerchij nimirum, Franciſci Flori, Antonij Blocklandt, & Petri cognomento Longi, picturis eleganter ornata, eleganti turri remotiſſimè ſeſe viſendam exhibet. Veterem autem eccleſiam D. Hyppolito dicatam, Hemskerchij, & M. Ioannis Schori manus, Vltraiectini quondam Canonici, cuius viſendæ in tota paſſim Hollandia, conſpiciuntur picturæ, decenter exornant. Sed, quid de S. Agathæ cœnobio referam? ſiue enim ſtructurarum magnificentiam (Principes namque viros, hoſpitio frequenter excepit) ſiue redituum & annui cenſus opulentiam, ſiue templi ornatum conſideres, ſingula hæc, narrationis longè ſuperant fidem. Eius namq; virginei cœtus Baſilica, propter arctam Muſij, eiuſdem cœnobij Præfecti vigilantiſſimi, & Hemskerchij Harlemicolæ, illius quidem poëtæ clariſſimi, huius verò pictoris celeberrimi, amicitiam, tota intus exquiſitiſſimis picturis cõtecta, veſtitaque erat. Spacioſum & amplisſimum eſt oppidi forum, cui, ſicut Orientali in latere, perauguſta & præcipua Baſilica, ita in occiduo ſenatoria domus, ſplendori longè maximo exiſtit, præcelſa turri, & in ea campanaria harmonia, conſpicua, qua celebrium nuptiarum tempore, dum itidem forum nundinis hebdomadarijs frequentatur, lepida exercetur muſica, quæ, vti epulantes in nuptijs, iucundiſsima ſuauitate exhilarat, ita vendentes, ementesque in forum allicere videtur. In ſuburbijs, omnis generis mercatura exercetur, domus ſunt elegantes, hoſpitia ampla, quæ hoſpites, ſi re pecuniaria bellè inſtructi, lautiſsimè excipiant. Atque hæc blandientis fortunę Delphenſium, arcta & compendioſa ſit quædam narratio. Verùm, cum nihil ſub ſole firmum, nihil conſtans, ac ſtabile: infauſti ſubinde caſus, eius fœlicitatem interruperunt, dum rabidi Martis, & implacabilis Vulcani furores, præclaram hanc vrbẽ turpiter quandoque deformârunt. Ab Adelberto ſiquidem Bauariæ, viceſimo ſexto Hollandiæ Comite, graui obſidione preſſa, priuilegijs, murisque priuatur. Sed à ſubſequenti ſtatim Comite, Guilielmo Bauariæ, priuilegia ciuica ipſis reſtituta ſunt, & mœnia reſtaurata; ob acquiſitam, Delphenſium ope, contra Friſones victoriam. Anno deinde M. LXXXVI. in Maio, ipſo S. Crucis die, ſtatim à prandio, miſerando infortunio hæc vrbs circumuenitur. in ea enim, cum improuiſo caſu grauiſſimum erupiſſet incendium, vtramq; Parochialem eccleſiam, nouam & veterem, Xenodochia, & ducentos, vltra mille, focos, abſumpſit, vix quinta vrbis parte remanente illæſa. Mirabile verò, quod in tanto illo incendio à pluribus conſpectum, neq, olim fortaſſe à primis illis naturæ obſeruatoribus, neque ab ijs, qui noſtro ſæculo vixerunt, alibi animaduerſum fuit. Plinius quidem & alij, nõ poſtremæ notæ auctores, ceu rem magnam, & obſeruatu imprimis (vti re vera eſt) dignam tradunt, ciconiarum ſobolem, ætate graues, & ad cibum quærendum viribus defectos parentes fouere, atque alere: ſed, quod ab ijſdem animalibus exemplum id temporis editum fuit, & maius quiddam eſt, & maiore admiratione dignum. Ad hanc vrbem, loco ad huiuſmodi volucrium paſtum perquam idoneo ſitam, magnę quotannis earum cohortes nidificaturæ conuolant. Incidit autem hæc incendij calamitas in diem Maij tertium, quo tempore iam ciconiolæ grandiuſculæ ſunt. A multis igitur illic viſum, ac obſeruatum fuit, parentes, cum flãmam & natis, & nidis inſtare cernerent, primum omni ope adnixas, vt natos flammis eriperent; cum deinde corporis mole grauiores geſtare nõ poſſent, eos alis, quantum poterant, contexiſſe, aduerſusque incendia & flammas propugnaſſe; ad extremum, tanquam ſuperſtites eis eſſe recuſarent, incendio vnâ conſumptas, mori ſuſtinuiſſe. Hinc oriundus erat ſcelus ille Dauid Georgius, abominabilis conditor ſectæ, de qua plura in Indice. Quod quidem in huius vrbis contumeliam minimè narratum putandum; cum viciſſim viros honorandos ac ſuſpiciendos plurimos genuerit, quales imprimis fuerunt Aegidius Poëta, & Ioannes Grammaticus. Multo verò omnium præſtantiſſimus Iodocus Saſboutius, clariſſimus vtriuſque iuris Doctor, Cancellariæ Gelricæ Præſes, à Carolo Quinto conſtitutus, & ſimul Poëta elegantiſſimus, cum ad extremum iam vitæ appropinquaret, hoc ſibi ipſe Epitaphium conſcripſit, quod hodieq; in eius tumulo, apud Arnemium primario in templo conſpicuũ, huc, propter elegantiã & pietatẽ, adſcribere viſum eſt.

Siſte gradum: quod es, ipſe fui ſortaſſis eris cras
Quod ſum, cadauer putridum.
Olim Iodocus eram Saſbout: me miſit in aurea
Delft, clara pars Batauiæ.
Ter denis patriæ cauſas decidimus annis,
Pars Conſilii haud ingloria.
Deinde & pacatis Præſes ius Cæſare Gueldris
Dixi, iubente Carolo.
Quid tituli? quid opes? quid nunc prudentia prodeſt?
Mors ſumma miſcet inferis.
Sola manet virtus homini poſt funera, ſolam,
Dum viuis, hanc ama.

Eadem etiam ciuitas inter cæteros eruditione præſtantes viros habuit Cornelium Muſium, virginei ſodalitij ad S. Agatham Rectorem, virum rara morum probitate, Theologum inſignem, Poëtam elegantiſſimum, & verum Dei, infœlici hoc noſtro æuo, martyrem.

DELFT.

DELPHIVM,
vrbs Hollandiæ cultissima,
ab eiusdem
nominis fossa,
vulgo, Deelft
appellata.

Die Nieuwe kerck

Das Rhat huis

Die Hauch port

Die Suyt port

Die Oost port

Das Duuels gat

ENCKHVSA.

ENckhvsa in Batauis, etsi si magna vetustate, celebritate tamen nominis præstans, ac nobile oppidum; cognominatum Enckhusa, quasi **Enckelhusen/** vel, **Einich husen/** Aliquot casæ, quæ situs opportunitate, ob halecum nimirum capturam, & salis confectionē quondam excitatæ, Ecclesiam habebant, atq; pastorem, qui peronatus, vili, ac rustico habitu, quo & cęteri omnes communiter vtebantur, incedebat. Hæ autem casæ, eum Hollandiæ locum occupabāt, qui Frisiam respiciens, canalibus ac foueis passim distinctus, primis casarum habitatoribus, non ita difficilem præbebat accessum. Qui negotiorum gratia, aliquò fortè ituri, atterem secum ferebant, quo obuias passim aquas, quasi pontis opera, superabant. Sed hæc nunc omnia loca æstuosum mare, **Zuder see/** vulgò, absorbet, quod iuxta oppidum latitudine est trium milliariū Germanicorum. Circa annum autem Domini M.CCCC.XXVI. re, opibus, & ædificijs crescere cœpit Enckhusa, vt tum primum VVaterlandiæ vrbibus annumerari cœperit, & nunc oppidum adprime concinnum ac elegans, copiosis vbiq; aquis instructum, muris cinctum, & propugnaculis validè munitū; ab Anno salutis, M. D. LXXII. publicis, priuatisq; ædificijs longè magnificis, non citra spectantium admirationem ornatum. portum habet perelegantem ac valde capacem, vt arte omnino mirabili, ita sumptibus amplissimis factum, qui tutam onerarijs nauibus stationem, & ab omni tempestate, glacie, & quibuscunq; alijs marinis incommodis, securitatem præbet. Hic autem portus, artificioso, ac valido munitus est aggere, ea ratione compositio, qua in vniuersa vbiq; Hollandia, contra vehementiores vndarum ac fluctuum impetus, vallum, & obstructiones aggerantur. Habēt quippe hoc tractu, certum quoddā oblongi graminis, siue iunci genus, quod fundus mari cōtectus, copioso prouentu suppeditat; id certis anni temporibus, sub aquis demetunt, & nauibus, ea ad loca, in quibus ad obstructiones aquarum constituunt vti, deuehunt; vulgò **Weyer/** indigetant. Huius autem vsus, ad solidissimas aggerorum iuncturas vtilissimus est, cum eius sit conditionis atq; natura, vt, quo vehementioribus vndarum fluctibus concutitur, colliditurque, eo solidius concrescens, vehementius, fortiusque resistat. Extra Enckhusanum oppidum, via est silice strata, sesqui horæ tempore, euntem exercens: Pagum habet adiunctū, vulgò, Grote Brooch nomine, qui ciuilibus priuilegijs gaudet, eò, quòd vrbs, tanta quondam amplitudine fuerit, vt tritum sit hoc loci prouerbium; Magnæ Grotbrokanæ vrbi, ignobile vicinum est oppidum, Aliquot Casę, cognominatum: quo nimirum, vilis, & abiecta eius notabatur conditio. Nihilo tamen minus, clementem blandamque fortunam, sensijt semper Enckhusa. Cum namque ipsam Grotbrokani, contra æqua vicinitatis iura, stratagemate quodam niterentur obruere; Mittebant quippe eò, in nauibus armatos fœno contectos, quasi fœnarium, more solito, frequentaturi forum; dolusque innotescret, nec optatum consequeretur effectum: in perpetuam eius rei memoriam, inter Orientalem & Septentrionalem portam, turrim Enckhusani construxerunt, **Spitt Broick/** nuncupatam; perinde, ac si ipsa, eo nomine innuat, in contemptum & despectum Brokensium ab oppidanis, quibus modò ornamento est, se excitatam fuisse. Non dissimile oppidanorum facinus, eo tempore extitit, quando Geldrij Hollandis bello imminebant, qui, vt subitò hostiliter Enckhusam inuaderent, qualescunque potuerunt insidias, oppido struxerunt, quorum conatibus ea & dexteritate, & celeritate obuiam Enckhusani iuere, vt Geldrij, subitò amputatis prymnesijs, ancoras cogerentur relinquere, quas omnes, elabentibus fuga hostibus, Enckhusani capientes, Orientalis portæ turri affixerunt; quemadmodum hodierno etiam tempore ibidem conspiciuntur. Ciues, marinam mercaturam exercent; multi naues construunt, alij sal, nitore præstans, conficiunt, quod ad exteras nationes auehitur. Alij, copiosa halecum captura victitant. In vniuersum autem omnes, etiam ditiores, vili vtuntur vestitu, ita, vt oppidi Consul, nautico quandoque amictu incedat. Oppidani, maritima negotiatione si vnquam aliās, tum maximè turbulentissimis hisce temporibus, quibus alij multi re, ac opibus lapsi sunt, diuitias longe maximas coaceruārunt. Belli namque socijs adiuuantibus, omnem maris vicini negotiationem, ad se, violentia quadam, pertraxerunt. Vulgus, ex copiosissima halecū piscatione victitat. Nouembri mense, circa omniū Sanctorum festum, Nauiculæ complures, quas **Staelōners** adpellitant, plures ducentis, quæ binos tantum habent vectores, alto se pelago committunt, & retia sua, vel fixis extendunt stipitibus, vel alligata rudentibus, cum ancoris in imum demittunt. Et, cùm densissimis gregibus haleca, contra vim fluminis ascendunt, fit quandoque, vt tam felix sit, in frequenti piscatu, captura, vt vnica Stalonerica nauis, sex & triginta tonnis onusta, domum redeat. Atque ex isto piscatu, non omnia haleca sale, muriāue condiuntur, sed inueterantur, & infumantur plurima; vnde haleca infumata delicatissima, vulgò, **Deybückinck/** in vniuersam passim Ostlandiam, in Germaniam, & ad omnes Rheni accolas, transportantur. Enckhusianum denique oppidum, Ruardum illum Tapper, præcipuum in Academia Louanienſi Theologum, edidit.


Die Zuyder Zee
LA MER DE SUT
Die Stadt Enchuÿsen
Van fortressen poorten ende
Van Princhad huysen kercken
en Clooseren plaetsen
ende straten
1 Twelster clooster
2 S. Gommers kerck
3 Bernaerts clooster
4 Thuyder clooster
5 Thabeeck
6 Groetenmet
7 Nieuwen dorpen
8 Brabants dyck
9 Die Westerpoort
10 Die Wyerdinger vidÿck
11 Die Noorder
12 Den dyck straet
13 Die kornelis straet
14 Comen straet
15 Peper straet
16 S. Pancraes straet
17 Weste straet
18 Horns straet
19 Stroys straet
20 Visemarct
21 Moore hauendÿck
22 Oude veerkaey
23 t'Noorthende
24 Brede straet
25 Corren straet
26 Bernadynne
27 Nieuwe bierkaey
28 Die nieuwe merckt
29 Meeuwe straet
30 Dolsen straet
31 Nieuwe kaey
32 Kerck straet
33 S. Pancraes kerck
34 Monnicken clooster
35 Oude mannenpoort
36 Blancken poort
37 Suyder hauendÿck
38 Molen pads
39 Die Wall
40 Zeemanne
41 Veren straet
42 Melckmarcks
43 Tonenhan
44 Oude dolen
45 Stadthuys
Die ouden
Dyde hauen
Pads hoofs
Wester veer
Suyder dyck
Suyder poort
Nieuwen haven
Keeten
Tichten
Timmerwerf
Oude kerckhoff
La ville d'ENCHVSE situee en la Comté
d'Hollande comme elle se comporte a present

ROTTERODAMVM.

ROTTERODAMVM, non ignobile Hollandiæ oppidum, quasi dicas, Rottæ obex, siue agger. Damm namq;, Batauis aggerem sonat. Est siquidem Roterodamum ad Rottam, aquæ ductum, à quo adpellationem habet, situm, Mosæ flumini propinquum. Schidamo, vnico miliari, Gouda verò, tribus distat: oppidum, cum opinione hominũ vetustum satis, tum splendidum & copiosum, lanificio, & panni textura, celebre, habens & iustum populi numerum, & scitè admodum constructas ædes; quarum, quæ D. Laurentij nomine sacra, facilè princeps, & splẽdida est, & sumptuosa: sed præ cæteris ornamentis, vrbs ista, hoc nomine potissimum clara & celebris est, quòd patria fuerit viri celeberrimi D. Erasmi Roterodami, omnibus omnium doctrinarum virtutumq; nitoribus politissimi. Itaq; ad memoratam ædem, etiamnum visitur domuncula, & in ea, cella exigua, quæ primùm natum illum excepit. Hãc, vt ingeniosissimus quisque est, & amantissimus, iter illac faciens, reuerenter adit. Tantus ille vir, multis posteritati relictis operibus, quæ ingenij planè diuini argumentum præbeãt, diem obijt extremum Basileæ, Anno M.D. XXXVI. Raræ admodum ingenij & eruditionis dotes Erasmo, eo sæculo illiterato cõtigêre, quibus permulti plurimum tum deferendum censuerunt, ijq; non plebeij ordinis homines, sed orbis monarchæ, nõ vulgariter eruditi, sed rei litterariæ, ea ætate, principes. Quippe inuictiss. Carolo Augusto à consilijs fuit. Serenissimus Cæsar Ferdinandus fauoris sui in ipsum documenta plurima dedit. Quàm magnificis verò honorarijs à Christianissimo Galliarum Rege Francisco in Gallias, quàm amanter ab Illustrissimo Rege Henrico, libera, vbi nam eo loci viuere vellet, data optione, in Angliam est euocatus? De summis Pontificibus Leone & Clemente, nihil attinet dicere, horum certè maximus erga eum fauor, multis ad Erasmum transmissis Epistolis innotuit. Sed hæc fortasse, pro istius loci ratione, nimis, de Erasmo, multa. Dum hoc oppidum, Ludouicus Guicciardinus, vt Belgii perficeret enarrationem, in Batauia sua ante annos aliquot describit, in calamitatem sanè maximam Rotterodamum incidit. Casu enim quodam, incendio in ea excitato, ædes nongentis plures, & onerariæ naues permultæ, conflagrarunt, homines etiam aliquot absumpti sunt, omnes detrimentum perpessi. Iam tamen, ob ingentes diuitias, minore, quàm anni spacio (scribit eo tempore Guicciardinus) penè tota restaurata est, atq; adeò frequenti negotiatione, & mercatorum concursu, dictu mirum quantum quotidie augeatur.

GOVDA.

GOVDA, Præclarum Hollandiæ oppidum, sextum & vltimum inter Hollandiæ status locum obtinens, circa annum Salutis M. CC. LXXII. sub comite Florentio, à quo ciuicis & præcipuarum vrbium donatur priuilegijs, conditum ad ripam Isselę fluuij, situ est periucundo. Quippe olim obstructo Rheno, circa pagum Catvvick, & præsidium Britonum, duo fluuij, nimirum, Issela, & Lecka, qui se in Mosam exonerant, enati sunt. Itaque, cum non pateret libera nauigatio, & exitus ad mare; per alueos & fossas, flumina circunducta sunt, atq; eo loco, vbi nunc Gouda sita est, fossa incuruata & flexuosa, quæ Gouda appellatur, & oppido nomen dedit, in Rhenum Leidensem ad vitandum mare, & loca remotiora, deducta est, obiecta tamen Scluſa, quam vulgò vocant, ne fluxu Isselæ, campi inundarentur. Tum, tuta nauium statio ibidem originem cœpit, habitationes & diuersoria, hac de causſa, aliquot excitata in aggere. Et noua, hac occasione orta societas, tanta, breui temporis successu, incrementa sumpsit, vt paluſtrium passim locorum agrestes habitatores perteſi, qui varijs antea locis sparsim habitabant, iuxta aggerem, locum altiorem cõuenerint, & Ecclesiã, quo rei imprimis sacrę, & religioni vacarent, huc transtulerint. Quæ quidem consociata Batauorum multitudo, loci opportunitate vsque adeò breui tempore creuit, vt vrbis formam, fossas ac mœnia, quo liberius & tutius hic habitaretur, locus ipse desideraret. Qui sub Florentio Comite, vt dictum est, ius ciuium est consequutus. Demum, Comites Blesenses, quorum ditionis postea Gouda facta est, cum animaduerterent, oppidanorum frequentiam, plurimũ ob quotidiana incrementa augeri, oppidi pomœria, fossas, ac mœnia, latiori spacio, ea nimirum amplitudine produxerunt, qua se modo visenda exhibent. Recipit autem Goudanum hoc oppidum indies aquã ex maris fluxu, atque refluxu, mundam tamen, defecatam ac dulcem, excoquendæ cereuisiæ accommodatissimam, cui Hollandicum solum, neq; colore, neq; sapore parem habet. Eam commoditatem Isselæ alueus oppidanis suppeditat. Verum propter frequentes & exuberantes eius inundationes, Florentius Comes, eius nominis V. (qui in venatione plus viginti vulneribus confossus, perijt) Anno Salutis M. CC. XC. VI. Vltraiectensis Episcopi consensu, naturalem Isselæ alueum, in pago Vreesvvick, haud ita procul à Viana, obstruxit. Hinc factum est, vt antiquus ille alueus, paulatim enata ex sordibus terra, minuatur. Ars Typographica, paucis, imò nullis ante in Hollandia cognita (nam quicquid librorũ tum erat in vsu, monachi assiduo labore, & magna diligentia scribebant) Goudę primum innotescere, & in vsu haberi cœpit, in domo fratrum Collationis. Primaria vrbis ecclesia, eleganti structura, & præcelsa turri conspicua, bis à prima fundatione tota exusta fuit, Anno nimirum salutis M. D. LII. igne cœlitus tacta. Et anno M. CCCC. XXXVIII. eo incendio, quo oppidum vniuersum, deformatum, perijt. Hæc verò Ecclesia, qua modo præcellit structura, magnificè restaurata, conspicitur.

ROTERODAMVM HOL-
LANDIAE OPP.

ROTTERDAM.

GOVDE.

GOVDA Hollandiae Opp. ad Isa-
lam amnem, quo Gouda fluuius, à quo
vrbs nomen habet, euoluitur, situm.

NAMVRCVM.

NEMETOCERNA, Cæsari in Belgis oppidum, Car. Bouillus hodie Namures vocari docet. Sunt & Cæresi, Germaniæ apud Cæsarem populi, qui nunc Ripenses, Huberto Leodio appellantur, vbi arx Cerey, apud Mosam; Vegenereo est Namur, Germanis Namen/ Nunc passim Namurcum, insigne comitatus Brabantiæ, ad Mosam flu. oppidum. Originem nominis habet satis obscuram. Auctores enim graues scribunt, à se, an ex alijs, haud scio, ab Naino, Gentilium Deo, appellatum; eum in Montis vertice, ad cuius radices situm sit, habitasse, & cultum fuisse, omnibus ad eum opis, auxilijque gratia, ventitantibus, responsa dare consuesse: post verò Christi aduentum (Materno prima fidei Christianæ fundamenta collocante, qui totum Eburonum agrũ, ad suaue Christi iugum inuitauit) prorsus obmutuisse. inde Namurcum vocitant. Alij, hanc vrbem à Romanis, tanquam inexpugnabilem rupem extructam esse, referunt: Ipsos nouum murum nominasse, vnde postea Namurci, siue, vt alij perhibent, Namurrę apellatio, corrupta sensim voce, facta sit. Sita est inter duos montes, ad læuam Mosæ ripam. Ad Occidẽtem Sambra, Namurcense oppidum alluens, id duas in partes intersecat. Mosa pertransit, exituque dein suo, in eam sese regurgitat. Abest Louanio octo belgicis milliaribus, decem Leodio, vndecim Bruxella. Pulchra est & amœna, arceq; loco edito, conspicua, longius se videndũ præbet. Ea in arce præclarum est Canonicorum Collegiũ, fundatione ac sumptibus Comitis olim institutũ. Sunt & aliæ duæ in vrbe ipsa Canonicorum Collegiatæ Societates. Altera, in ecclesia D. Albano sacra, quæ Pauli quarti Pontificis Maximi auctoritate, Hispaniarum Rege Catholico petẽte, in Cathedralem est euecta. Cuius primus omnium Antistes, designatus, confirmatusq; est, Reuerend. D. Antonius Hauetius, insigni doctrina, & verbi diuini administratione clarissimus, multis annis, in aula Bruxellensi, Ecclesiastico munere, summa laudis celebritate, perfunctus, omniumq; proinde iudicio, dignus & idoneus iudicatus, qui ad episcopatus honorem eueheretur. Altera Canonicorum ecclesia est B. Mariæ Virgini nuncupata, idq;, vt annales perhibent, D. Materni, primi Tungrorum Apostoli, auspicijs. Monasteria etiam hic aliqua sunt, vtriusq; sexus, inter quæ principem ferè locum obtinet Fratrum, instituti D. Francisci cœnobium, non modo sumptuosa, & celebri splendoris structura, sed fratribus, doctrinę, pietatisq; ornamentis, illustribus, & optimis verbi diuini prędonibus, celeberrimum. Multa sunt insuper & in ipso comitatu cœnobia splendida, Namurcensium Comitum olim pietate constructa, & opimis honorata reditibus. Inter quæ maximã dignitatis laudem meretur, siue ædificiorum nitorem, & elegantiam, siue religiosorum fratrum pietati candidatorum, frequentiam, probitatemq;, siue Cœnobiarchæ pietatem, prudentiam, eruditionemq; cõsideres, quod apud Floreffiam Præmonstratensium familia incolit, cuius prima iacta sunt fundamenta, eodẽ ferè tempore, quo circa annum Christi M. C. XX. Merberto auctore, Præmõstratensiũ ordo initiũ cœpit. Ornatur insuper hæc ciuitas, multo ab hinc tempore, illustri Comitis titulo, nec exiguo prouentu, quondam Marchionatus dignitate commendata. Sed in ea sædes perpetuas fixit, totius huius Comitatus Conciliũ, quod appellant, delectorum litibus iudicandis virorum, à quo tamen ad Mechlinienſem Principis Senatũ, prouocatur. Habebat quidem Bruxella Ecclesiasticam Curiam, in qua controuersiæ omnes, eius Brabantiæ partis, discutiebantur, quæ Diœcesi Cameracensi parebat. Nam tota Brabantia hîc non comparebat; sed eius pars, quæ Leodiensem agnoscebat episcopũ, Louanij coram tribunali istic ei constituto, litigabat. Nunc, singulæ Diœceses, nouis, paucis ab hinc annis, episcopis creatis, adscriptæ, singulis episcopis parent; Vt Mechlinea, cum suo territorio Archiepiscopo Mechlinienſi, Anuerpia, Buscoducum, Namurcũ, Anuerpiensi, Buscoducensi & Namurcensi Episcopis, &c. Gens, armis dedita, Principiq; suo deuotissima. Gallicã, at, degenerẽ, linguam vsurpat. Videtur nihilominus ciuilioris vitæ studiosa, & ad nonnullas artes ingeniosa. Mercatores paucos habet & artifices. Nobilitate verò ita pollet, vt plurimas & diuersas familias ostentet, quæ generis sui auiti splendorem ad illustrissimi sanguinis Principes & auctores, haud incertò referat. Vniuersam Namurcensis Prouinciæ conditionem Reuerend. D. Guilhelmus Dupæus cœnobiarcha Floreffianus, subiecto carmine, eleganter descripsit.

Quisquis naturam cupis huius noscere terræ,
Hanc tibi perpaucis versibus expediam.
Vnica, ni fallor, tota est prouincia rupes,
Exili gleba tecta superficiem.
Renuit hinc validum pradurus agellus aratrũ,
Insidias quòd ei saxa dolosa parent.
Aresçit tellus nimium, si deficit imber,
Saxaq; nimbosis, heu reteguntur aquis.
Hinc à quingentis memoratur plus minus annis,
Hac regio fermè tota fuisse nemus.
Auguribus sunt hic aptissima tesqua peritis,
Aspera dumosis non adeunda iugis.
Terra ferax ferri est, sed pene siliginis expers,
Triticeo farri nec benè conuenit.
Zea petris gaudens hîc passim crescit in aruis,
Quæ farri nescit cedere triticeo.
Saltibus & lucis, magna pro parte repletur,
Nec non vitiferi collis abundat ager.
Manantes riui vitreis de fontibus orti,
Per valles crepitant, saxaq;, murmur agunt.
His genitos amnes vmbracula frondis opacant.
Non posset Musis aptior esse locus.
Hic dominatus habet fluuios, Sambrãq, Mosamq,
Nauigeros, tamen est, q̃ Mosa Sambra minor.
Sit licet ipse minor, multo est piscosior illo,
Et maiore beat fertilitate solum.
Metropolitanam qui postquam perluit vrbem,
Protinus in Moseas exoneratur aquas.
Nostraq, sylua feras dum pascit aprica fugaces,
Horrida setigeris tota migrescit apris.
Pra reliquis Regio est algenti marmore diues,
Quo surgit docta sapè toreuma manu.
Quædam saxa rubent, niuei interlita punctis,
Porphyrius passim creditur esse lapis.
Nauigio celeri varium per clima feruntur,
Poscere quis q, potest, vsibus apta suis.

NAMVR.

FLV.

MO SA

NAMVR-
CVM, ELE-
GANTISSI
MA AD MO-
SAE FLVMĒ
CIVITAS.

DAVENTRIA.

TRANSISALANA ditio, vulgo, Das Landt von Ober Yssell/ Geldriæ est regio versus Septentrionem opposita, in tres partita regiunculas, quarum, quæ Insula (veteribus Fleuus, vel Fleuum) vicina est, Yssellandt/ communiter vocatur: Quæ verò trans Vidrum, quem Vecht nuncupant, fluuium, sita est, Twent dicitur, antiquam, vt videtur, Strabonis, & Taciti adpellationem retinens, qui iuxta Camannos, Tuenterorum, siue, vt apud plerosque inuenio, Tenecterorum, & Teuenterorum, gentem posuére, quæ Dauentriam vrbem habet præcipuam, cuius quidem adpellatio non ineptè ad Teuecterorum nomen alludit. Sunt autem viri docti plerique, quibus hæc vrbs viuendi initium dedit, qui non Dauentriam, sed Dauontriam dicendum contendant. Cùm testentur id duo perantiqua quædam monumenta lapidea, quorum alterum, ad Senatoriæ domus ingressum conspiciatur, alterum autem in porta, quæ Brinconis dicitur, quibus Dauontur, sculptum legatur. Quod quidem ab eorum etiam opinione non nimium abhorrere videtur, qui non aliunde, quàm à Dauone, viro quondam inter Saxones honorifico & potente, nomen huic vrbi inditum adseuerant. Cùm enim Frisia, Saxonia citerior, V Vestphalia, Sicambria, quæ nunc Geldria, Cliuia, Iuliacum, siue Menapium, Totus ager Traiectẽsis, qui Rheno alluitur: Betua, siue Batua, olim Batauia, quæ nunc Hollandia; V Valachria Mattiacorum, quos vocat Strabo & Cornelius Tacitus, quæ iam Zelandia adpellatur, omnes, inquam, hæ prouinciæ, cum fide Christi, & euangelica luce primùm illustrarentur, commodârunt suam operã Christo S. V Villebrordus, Bonifacius, Lebuinus, V Verentfredus, Luitbertus, & alij, sanctæ huius societatis, religiosissimi viri, qui Saxonibus siue Anglis Britanniam deuastantibus, immanemque in Christianos tyrannidem exercentibus, verso solo, patriaque exulantes, huc sese receperunt, Sergio Pontifice Maximo, Iustiniano I. A. &, Pippino Franco, imperantibus, Anno plus minus D. XL. His inquam temporibus Lebuino, quæ Dauentriæ vicina sunt loca, euangelico aratro colenda obtigerunt, cuius quidem opera, dum populus salutaris doctrinæ tuba à mortis somno excitaretur, desolata sunt idolorum Fana, & primum excitatum est Christianorũ oratorium in oppido V Velpa (alia habet historia, iuxta castrum Viltenburch, antiquitus dictum, modo Traiectum) haud ita procul à Dauentria sito, cui feruore ac pietate populi, adiuncta sunt nouo concionatori ædes. Insignis autẽ tunc beneuolentia ac Zelus Dauonis, cuius supra meminimus, viri opibus, ac dignitate præcellentis, erga Lebuinum extitit, vsque adeo, vt D. Lebuino morte sublato, magnificum Deo oratorium B. Lebuini adpellatione clarum, iuxta arcem suam erexerit, in quo Dei apostolum decenti, & magnifica sepultura decorauit. Ad hanc autem Dauonis arcem, propter erecti templi magnificentiam & vicinitatẽ, multi ædes suas habere desiderarunt, ita, vt ista ædium multitudo & coniunctio, paulatim muris ac foueis cingi, & vrbis nomen, à Dauonis arce sortiri, atq; imperialibus priuilegijs gaudere cœperit. Atq; hęc quidem vrbs dexteram Isalę ripam, situ peramœno, exornat. Cathedrali Ecclesia, & Canonicorum sodalitio commendata, cui B. Lebuinus Transisalanorum Apostolus, sicut & vniuersæ Diœcesi, tutelaris patronus existit, Pro cuius reuerentia Bernulfus Traiectensis Episcopus, medietatẽ collegij S. Saluatoris Traiectensis huc transtulit. Schola insuper Triuiali Dauentria inclarescit, ex qua viri complures scientiarum nitore conspicui, prodierũt. Florentissima autẽ eius scholæ conditio fuit, cum in ea Erasmus ille Rotterodamus discipulum, Rodolphus Agricola Lectorem; Alexander autem Hegius, Rectorem egit. Quatuor studiosorum familijs (collegia dicenda putarem) diuersis diuersorum fundationibus, vitæ & studiorum præsidia suppeditantur, quarum præcipua Domus Cusana nuncupatur à fundatore Nicolao de Cusa. Qui adolescens, bonarum literarum mercatum Dauentriæ gnauiter exercens, & ostiatim victum sibi quæritans, piscatoris quippe pauperculi filius erat, Cusa Germaniæ vico ad Mosellæ amnem Treuirensis Diœcesis oriundus) singulari deinde commendatus eloquentia atque doctrina, Archidiaconus Leodiensis, tum Cardinalis S. Petri ad Vincula, titulo Eudoxiæ, & Episcopus Brixiensis efficitur. Is itaque, ad tantum dignitatis & honorũ culmẽ euectus, præstitorum sibi à Dauentriensibus, (quos humana semper beneuolentia, & hospitalitas commendauit) benè memor, non exiguam pecuniæ vim ad perpetuam quandam fundationem conuertit, qua adolescentum, egestate laborantium, inopiæ subueniretur. Xenodochia etiam in hac vrbe sunt quatuor, misericordiæ exercitijs, & Ecclesiæ, pietati nũcupatæ. Vrbs ipsa, aquis vndequaque cincta, muris, propugnaculis etiam firma est, & populosa, Issalæ aquis irrigatur, (cuius vtraque ripa ligneo hîc ponte coniungitur) qui ex Rheno ortum deducens, & nomen inter Arnemium & Zutphaniam acquirẽs, artificiali, multarum impensarum cursu, ad Dauentriæ mœnia subductus dicitur. Hoc namque tempore paulo ab vrbe remotius, versus Orientale latus, stagnum conspicitur, Issalæ veteris adpellatione notum, quia nimirum, priscis temporibus naturalem hoc loci alueum obtinuerit. Mercimonijs verò imprimis Dauentria famosa est, cuius incolæ in remotis orbis partibus negociantur. Et, quia Hanseaticæ etiam societatis (fœdus est septuaginta duarum vrbium) priuilegijs, & immunitatibus gaudent, hinc in præcipuis eius fœderis Emporijs, puta, Anuerpiæ, Londini in Anglia, Bergæ in Noruegia, communibus etiam libertatibus à Regibus & Ducibus fœderi concessis, vtuntur. Ex qua quidem perampla negociatione, ad summam dignitatem Dauentria peruenit, vt Transisalanarum vrbium, quarum octo præcipuæ, caput sit, & sumptuosissimis proinde ædificijs ornata conspiciatur. Fori medio, insignis negotiationi domus cõstructa est, vulgo, Die Wage/ ex eius arcis ruinis, ex qua Geldrorum Dux Carolus, dum obsidione Dauentriam teneret, multum oppidanis detrimẽti intulit. Quã proinde, vsitato idiomate, ciues Altena, hoc est, Nimis vicinam nuncupabant. Verùm dum Carolus Dux, pauore ac formidine perculsus, ob Caroli Quinti potentiam (eius enim se protectionis atque tutelæ Dauentrienses, Vltraiectino Episcopo diffidentes, commiserant) cuius copias aduentare suspicabatur, ignobili fuga, obsidione soluta, dilabitur, ciues, hostem insequentes ipsaque arce funditus euersa, munitionibus, aggeribusque turbatis ac ruptis, dirutæ, soloque adæquatæ iam arcis ruinas, ad vrbem deferunt, & magnificam, cuius iam modo meminimus, domum, ex eadem ædificant. In cuius quidem domus latere, lapidea conspicitur olla, & morionis in eam oculos figentis, atque subridentis effigies; qua quidem Carolus Geldrius designari fertur, qui ex commemorata arce, ciuium ollas iam longo tempore auidè inspexisset, nec tamen de carnibus ea ipsa olla contentis, de oppidanorum nimirum possessionibus ac bonis, quæ militibus, nondum parta victoria, promissa erant, potuisset gaudere. Vicinus Dauentriæ ager fertilissimus, & ad quamuis culturam aptus, frumenti imprimis ferax, hinc pascuis fœcundus, vnde pecorum ingentes alunt greges. Quin ex remotissima Dania, eo pascendi saginandique gratia, numerosi greges aguntur, lętissima siquidem, & amplissima prata habentur. Præcellentes etiam viros, eruditionis virtutumque elogijs præstantes, qui patriæ ornamento fuerunt, Dauentria edidit. Ac inter primos quidem, Gerardum illum, cui ob vitæ sanctimoniam, Magni cognomen tribuitur, philosophicis artibus, & Theologica facultate cultissimum, scriptis etiam clarum. Domum Fratrum, quos de communi vita nuncupãt, Dauentriæ primus instituit. Insignis etiam Cosmographus, Iacobus à Dauentria, hinc oriundus, qui initio artem Medicam professus, Matheſin deinde, & potissimum Geographiam ita coluit, vt inter primos Philippi Regis Cosmographos, honestissima pensione annua donatus, omnes totius Belgiæ vrbes, accuratissimè delineatas, tribus voluminibus complexus sit, quibus elaborandis perficiendisque, cum regiones eas omnes peragrando, diu, multumque insudasset, Coloniæ Agrippinæ, fatis præuentus, moritur. Et, ne tam præstantia, & multorum sumptuum volumina, alienas ad manus deuenirent, Amplissimi Senatus Agrippinensis opera, conseruata, & à Præside Viglio in Hispanias, ad Regem sunt transmissa. Nostra etiam memoria, magni nominis Iureconsultus, ordinarius in Vbiorum Metropoli iuris Professor, Matthias Schnellius Dauentriensis, Patriæ splendorem tuetur.

DEVENTER.

YSEL FLV.

LIBERÆ ET HANSEATI-
CÆ VRBIS DAVENTRI-
ENSIS DELINEATIO.

CAMPENA.

CAMPENA, eius regionis, in Geldrico Ducatu, vrbs, quæ versus Septentrionem posita, Transisalana dicitur, in leua Isalæ ripa, decenti, & oblonga structura præstans, circa eius fluuij ostia, quibus sinui maris Australis, vulgo, Zuderse, iungitur; Quatuor, Dauentria miliaribus abest, vrbs multarum opum affluentia, elegantissimo, ædium priuatarum, & ciuium nitore commendata, sicuti etiam ædificia publicis vsibus destinata, superbissima exhibet. Quorum præcipua sunt, vt exordium à religione sumatur, quæ reliquis ædificijs conspicua altitudine præeminent, D. Nicolai, & B. Mariæ virginis templum: Illud Parochiale, quod non oppidani tantum omnes, sed frequens ex vicinia populus, frequentãt. Hoc, numini dicatum, & Parochiali Ecclesiæ, eorum, qui sacris operãtur, ministerio, auorum pietate, coniunctum, præcellam habet, & eleganti structura nobilem turrim, vnde per vicinum Australe mare, Enckhusam vsque, visus dirigi, pandiq́ue potest. Eadem Ecclesia, non sine spectantium admiratione, summo in altari, elaboratam ac venustam tabulam repræsentat, maiorum imaginibus clarissimæ virginis manu depictam. Qualis & in Franciscanorum collegio perelegans, conspicitur. Ciuica domus, haud ita à ponte, quo vtraque Isalæ ripa coniungitur, remota, perauguſta ac splendida, sed præ cæteris ædificijs omnibus, incredibili structuræ symmetria. Telonium ad Isalæ ripam, sese effert, quæ læta tecta Magnatibus, & harum regionum Primoribus, frequẽter subministrauit, cuius splendorem exteri, magnificentiam & structuræ harmoniam Architecti, admirãtur. Priuatæ autem ciuium ædes in vniuersum pene omnes, potissimum autem in platea antiqua, vt amplæ & magnificæ, vtputà, ad negotiationem quondam amplissimam fabricatæ, ita validis innituntur fundamentis ac muris, ne marinis labefactatæ inundationibus, corruant. Quare, eum etiam ad modum sunt factæ, vt supernè, non incõmoda oppidanis domicilia præbeant, quando nimirum aqua præter modum ac consuetudinem intumescens, vi ventorum contra Isalæ alueum agitata, excrescit, vt Campena aquis tota videatur immersa. Quales maximæ & periculosissimæ inundationes fuerunt anni Septuagesimi & Septuagesimitertij, quarum impetu, aliqua etiam mœniorum pars concidit. Vrbem ipsam mœnia, & marinæ ambiunt aquæ, quæ partim per Riuum, vulgò **Die Riue**/partim per Isalæ amnem eò deducũtur. Dulces autem Isalæ aquæ per mediam vrbem, ad communes ciuium vsus permeant. Extra vrbem, paludosa passim, sunt loca vliginosa, & inaccessa, vt obsidionis Campena impatiens sit. neque enim murales machinæ, & furiosi Martis tormẽta, subduci possunt ad mœnia. Suburbia sunt bina, venusta, sane, elegantia, conspicua; Separata diceres oppida: ad hostium ferendos, propulsandosq́ue insultus, probe munita, quamdiu habitatores, vnanimi consensu iuncti, defensores non deerunt. Vicinius vrbi, Haga, remotius, Burenopia nuncupatur. In illo peritissimos nauium Architectos, quarum frequens in aquaticis hisce regionibus vsus: In altero autem, qui piscium capturis incumbunt, magno numero inuenies. Vix enim credam, plura, hoc tractu, reperiri oppida, vbi maior delicatissimorum sit piscium copia, Sturijs abundant, & præstantissimis Salmonibus, carpios, lupos, & stupendæ magnitudinis prasmos, tanta abundantia, piscario in foro, quotidie videas, dictu vt plane videatur incredibile. Asellum piscem marinum, sapido præstantem iccinore, vulgò, **Cabbeliaw**/nomen ab asininæ pellis similitudine retinens, cũ cineritij coloris, squamosus non sit, haleca recentia, conchas, ostrea, passeras, quos platessas, alij verò pectines nuncupant, planos, latosq́ue, & præstantes Rumbos, cæterosq́ue, quos ex mari pisces desideres, piscarium hîc forum, pretio tolerabili, quotidie affatim offert. Peculiare piscis genus, vulgo, Masculus, præ cæteris hîc in pretio, & delitijs est. Horum alios domi, & viciniorib⁹ in locis, recentes diuendunt, alios, sale conditos, ad remotiores exportant. A viris porro, scientiarum nitore politis, Cãpensis hæc patria, inclarescit. Hinc namque Albertus Pighius Patritius, vir, in omni scientia versatus, oriundus fuit, qui nominis celebritate, patriam quoque, toto orbe celebriorem, atque illustriorem reddidit, insignis imprimis Theologus, multa, de quæstionibus hoc tempore controuersis, doctissimè disputauit, & scripsit; Cosmographiam quoque professus, excellens instrumentorum Mathematicorum fabricator, quamobrem Hadriano Pontifici charus, diu cum ipso vixit, Hinc ex Belgio eum in Hispaniam, atque inde in Italiam comitatus. Eo verò Pontifice mortuo, Clemens V I I. & Paulus I I I. Pontifices Max. quorum postremum itidem Mathematicen docuit, plurimi rarum hominem, tametsi peregrinum, fecere, adeò, vt honorum, & opum plenus Albertus, tandem Roma in patriam reuersus, cum inibi omnibus æquè gratus, atque acceptus aliquamdiu vixisset, in dulcissimo litterarum otio, ad extremum, summa cum nominis gloria, vita defunctus est.

Cuius iam nepos decus, & honorem familiæ conseruat, Stephanus Pighius, virtutis studiosus & valde literatus, idem. que insignis antiquarius.

VRBIS CAMPENSIS, AD ISALAM FLVVIVM, ICON

CAMPEN

YSEL

FLV.

1. Die grote kerck.
2. S. Bergitte Closter.
3. Die Selle bruders.
4. S. Agneten Closter.
5. S. Gertrut gasthuis.
6. Die nider bruders.
7. Den Heyligen geest.
8. Die swerte Susters.
9. Onser frawen kerck.
10. Dat Rhat huis.
11. Den hagben.
12. Die hagbe porte.
13. Die Vis porte.
14. Die Veenen poort.
15. Die selbruers porte.
16. Die buer porte.
17. Die Kaluer beest-port

SVVOLLA.

TRANSISALANA, vulgò, **Dat Landt van Overissell** (**Over** enim inferioribus Germanis, trans est) dicitur Regio Geldriæ versus Septentrionem opposita: ipsa ad Septentrionem Frisiam Occidentalem, ad ortũ VVestphaliam, ad occasum Issulam fluuium, & Sinum maris, quem **Süderzee** dicunt, habens, in tres diuiditur regiunculas, quarum, quæ Issulæ vicina est, **Issallandt** vocatur, quæ verò trans Vidrum, quem Vecht vocant, fluuium, sita est, **Drent** dicitur: quæ verò VVestphaliæ proxima est, **Twent** appellatur. Habet autem hæc Prouincia, vrbes mœnibus cinctas octo, quarum non infimæ dignitatis est SVVOLLA, Tripolitanæ clarissima, vrbs Imperialis, situ loci amœnissima, qua in tota penè Germania vix est inuenire aliam beatiorem, quæq; omnibus frumentorũ generibus, iuuencis, piscibus, butyro, alijsq; ad sustentationem corporis necessarijs rebus, non solum magis abundet, sed etiam maximam Inferioris Germaniæ partem, istarum rerum copia enutriat. Republica etiam tali, qualem neq; Aristoteles, neq; Plato vnquam fœliciorem descripserunt; ita, vt propter prudentiæ, ac sapientiæ opinionẽ, immunitates, singularia priuilegia ac iustissima municipalia iura, hic Senatus ab alijs, & vicinis oppidis, in dubijs caussis, cõsulatur, quas & secundũ suas leges dijudicat ac componit, compositasq; ad loca, & oppida circumiacentia, pro iudiciali auctoritate, ratas remittit. Sunt & in ea tria religiosorum monasteria, vnum Regularium Canonicorum D. Augustini, Alterum Prædicatorum Mendicantiũ ordinis S. Dominici, Tertium, Fratrum, bonæ, vt appellant, voluntatis. Habet ad hæc, quatuor Sacrarum virginum Collegia. Est & in ea schola, olim, & nunc florentissima, ex qua omnibus temporibus innumeri prodierunt viri doctrinis excellentes. A mari nauigationem habet propter Issulam fluuiũ, qui tertium Rheni ostium constituit, vbi Canenefatum Insula, quam solus Tacitus, inter vetustiores rectè descripsisse videtur. Verum istud Rheni ostium, quo videlicet illa ista constituatur, non cõmemorauit. Et profectò mirũ videri potest, Romanos, alioqui diligentissimos, tam famosum, & ingens Rheni ostiũ, vel ignorasse, vel subticuisse. Hoc itaq; magni argumenti loco fuerit, illos penitiora Germaniæ, bello nunquam attigisse. Solus verò Ptolemæus, tertij quidem ostij mentionem facit, sed absq; omni prorsus loci, aut situs descriptione. Est autem insula Canenefatum, quæ sita est inter ostium illud Rheni, quod nomen non amittit, & tertium illud, Romanis ignotum, quod Issula dicitur. Diuiditur autem ab altero sub Arnhemensi ciuitate Geldriæ, & fluit contra Phrisios, ac in Oceanum vsque protenditur, multis hodie ciuitatibus insignis. Extrema Canenefatum in ipso Oceani littore, Camanni olim exceperunt, gens inter Phrisios, & Canenefates sita, quæ posteà à Phrisijs in seruitutem redacta, in Phrisiorum nomen abijt. Hi ciuitatem habuisse scribuntur, à Romanis, Naualia, nuncupatam, quam quidem, etsi hodie nonnulli, Campen, suspicentur, Petro tamen Appiano, alijsque eruditioribus Historicis, Svvolla comprobatur. Quæ, præter Issulam non ita procul remotam, habet & Vidrum, cum Alpha, quam Nigram aquam nunc vulgo appellitant, quæ duplici riuo Svvollam influunt, à quibus non paucas commoditates ciues percipiunt. Viros etiam eruditione claros hoc oppidum edidit, inter quos primas, Ioannes Rullius, merito meretur, Latinarum & Græcarum litterarum nitore politus, publicis etiam scriptis celebris.

Svvolla diu celebris meruit virtutibus arma,
Quæ populum fortem nobilitare solent.
Inde salutifera veteri pietate, fideque
In Tripolim recipi fœdere digna fuit.

SWOL

Swolla diu celebris meruit virtutibus Arma:
Quæ Populum fortem nobilitare solent:
Inde salutifera Veteri pietate fideque
In Tripolim recipi fudere digna fuit.

SEPTENTRIO.

MERIDIES.

OCCIDENS

Die Diesser port
S. Gertruidt
Die Sesse port
Die Roe strate
Die Weste vnd Gasthaus
Der H: Geist
Die Nesse strate
Die Predigers Cloester
Die Nesse haus
Bethlehem
R. Beeck
Die fisch marckt
Domus Clericorū
R. Oistendoerp
Die Rogge strate
Die Schole
Die marckt
S. Michaels kirche
Das Kirchoff
Domus Fratrum
Die Hsf marckt
Das Fleis haus
Das Wortt haus
Die Nesstrate
Die Wagne
Ons liue Frawe Kirch
Die voer strate
Die Camper strate
Die Camper port
Die Camp
Die Keruit
Die Rboen toren
Stein port
Fisch port



LEVVARDVM.

LEVVARDVM, eius Frisiæ oppidum, quam occidentalem nuncupant. Frisij namq; in vniuersum omnes, in eos, qui orientem, &, qui occidentem respiciunt solem, diuiduntur. Quorum hi, proprio & auito nomine, Frisij Occidentales, & Vvestfrisij appellantur, qui Vvigeuonum, id est, maritimorum, & littoralium natio sunt, Littora Germaniæ aquilonaria tenentes. Hi autem, quatuor in status diuiduntur, quorũ eminentior est Gruningensis, reliqui sunt comitatus de Oestergoy, Comitatus de Vvestergoy, & Comitatus septem Saltuum, vulgò, **Seuen Wolden**. Cuiuis horum subsunt sua oppida pagiq;. Horũ autem Comitatuum caput est Levvardum, oppidum opulentum, &, vti priuatis ciuium domicilijs decenter ornatum, ita aquarum ambitu, foueis, & prævalida arce, contra hostiles insultus egregiè munitum. Curiam habet iudicialem, & Frisiæ Cancellariam, à cuius Tribunali, nulla vlterius permittitur appellatio. Episcopali etiam dignitate ornatum, in superiore Episcopatuum distributione; cui Reuerendus Dominus Cunerus Petri Brouershauius, Theologus Louanienſis, primus est designatus Antistes, scriptis clarus, & iam hoc tempore, dum ob turbulentos Belgij motus, Coloniæ Vbiorum exulat, eam vniuersitatem disputationibus, & prælectionibus publicis exornat. Anno ætatis XLIX. moritur. Milliaris ab hac vrbe interuallo, Zuichemus pagus est, ortu Viglij clarus & nobilis. is, vsurpato ab isto pago cognomine, Eques, & V. I. Doctor, adeò excellens, & grauis extitit, vt paucos illi pares Europa habuerit. In vniuersa siquidem totius literaturæ Encyclopedia exactissimus fuit, vir ingenio & solerti comprimis, & capaci, omnis consilij, & prudentiæ callentissimus, vt maximus virtutis amator, ita eius amatorum studiosissimus, vt proinde ad summum dignitatis fastigium conscenderit, dum Secreti Consistorij Regij Præses factus, & D. Bauonis, apud Gandauenses Præpositus, vtrique dignitati, ad finem vsque vitæ, splendori, & ornamento extitit. Patriam hanc quoq; ortu illustrauit Suffridus Petrus V. I. C. vir admodum literatus, & doctus, quod opera sua ad posteritatem transmissa, palam fatentur. Publicæ namque sunt eius orationes septem, quarum quinq; Græcæ linguæ vtilitatem explicant. Sexta est de LL. Rom. præstãtia. Septima, reformationem Vniuersitatis Erphordiensis continet. Plurima etiam ex Græco sermone in Latinum felicissimè transtulit. Legationem Athenagoræ Philosophi, ad Antonium Cæsarem pro Christianis: Tres libros vlt. historiæ Ecclesiasticæ Hermiæ Sozomeni. Historiam Ecclesiasticam Eusebij, & coniunctorum, totam recognouit, factaque Græcorum exemplarium collatione, emendauit, adiectis emendationum rationibus, ad calcem operis, multaq; alia ornamenta huic operi contulit. Varia insuper, & complura Plutarchi opuscula vertit. Martinum Polonum Chronologum, ad fidem veterum codicum emendauit. De illustribus Ecclesiæ scriptoribus, auctores præcipuos, Hieronymum, Gennadium, Honorium, Isidorum, Sigebertum Gemblacensem, & Henricum de Gandauo, commẽtarijs illustratos edidit. Castigationes etiam, in omnia Ciceronis opera scripsit. Vt eruditorum proinde turba, plurimum tanto viro meritò debeat, & sit obligata.

FRANICHERIA.

FRANICHERIA, in Vvestergoyæ Toparchia, duobus à Levvardio dissitum milliaribus, dives & opulentum oppidum, in quo, vt plurimum nobiliores homines degunt, quòd perduellium sui Principis, (qui tum Saxonicus dux erat,) obsidionem fortiter sustinuerit. vnde amplo ab eo prærogatiuo, & priuilegijs præ cæteris Frisiæ vrbibus, ornatissimum est. Agrum habet, quemadmodum & vniuersa Frisia, planum, ac pascuis fœcundissimum, stagnis tamen, lacubus, ac paludibus interciſum, aliquando maris sinubus, aliquando totus insularis, quoad sementes, incultiuum, ad reliqua verò fœcundum, latissimis pratis amœnissimum. Reliqua terra exhauritur cespitibus, quas **Toruen** vocant, pro igne alendo, egestis. De quibus Plinium lib. XVI. cap. II. loqui plerique existimant, cum inquit de Septentrionalibus Chaucis, quòd vlua, & palustri iunco funes nectant, ad prætexenda piscibus retia, captumque manibus lutum, ventis magis, quàm sole siccantes, terra cibos, & rigentia Septẽtrione viscera sua vrant, &c. Est porrò, vsque adeò humilis, submissa, profundaque Frisica regio, præsertim, qua Oceano est propinquior, vt vix ægreque ab ineunte autumno ad multum Ver vsque, peregrinandi, iterúe faciendi modus iniri alius queat, quàm, vt cymbis vehantur; vnde plures vicos, villas, pagosque videre est, fortissimis aggeribus, terraque paulò altius eleuata, ac supra reliquam eminenti, locis opportunis extructos. Maris sæuitijs ita obnoxia, vt Coro flante, sæpenumerò periclitetur, ac superioribus annis 1570. non pecudũ modò, sed & hominũ, ad myriades vsque, iacturam fecerit. Frumenti, ob prælibatas causas, parum ferax, inundationes enim annuæ, quæ præter id, quòd maturè accidant, tardè etiam cedunt, sementem aut extinguerent, aut per agros omnes dissiparent. Vnde ex vicina Dania, ac locis mediterraneis solicitè id conuehunt. Vineta quoque ob nimium frigus, ventorumque rigorem regio non patitur. Hunc autem defectum, partim Gallia ac Hispania, partim Germaniæ Rhenique accolæ, partim etiam cereuisiæ potus, subleuant. Syluas, etiamsi habeat regio, vtpote eas, quas **Seuenwolden** vocant, versus sinum maris Australis, tamen hæ sufficientes non sunt, vt ijs ligna foco ministrent. His itaque natura subuenit, procreata gleba illa pingui, ac bituminosa, quę vento indurata, lignorum penuriam subleuet, quam hi in tanta habent abundantia, vt & vicinis regionibus ijs subuenire queant: plures insuper, etiamsi his destituerentur, arte ac industria naturæ defectum supplere didicerunt, qui fimo bouino vento siccato, lignorum vice, vtuntur. Atque hæc quidem de Frisiæ solo extra Franicheriæ septa longius progressis, dicta sufficiant.

LEEVWAERDEN.

LEWARDVM,
Occidentalis Frisiæ Opp: 1580.

FRANICKER.

FRANICHER, Nobiliũ hominum, in Frisia Occidentali, vt plurimum ſædes.



SVSATVM.

SVSATVM, vrbs VVestphaliæ, post Monasterium, quondam, Mediolanum, & Mimigarde vorda, opulentissima, amplissimaq;, vt, quæ decem populosis sit distincta Parœcijs. Primæua fundatione castrum, seu Præfecturam fuisse perhibent, quæ in tantam paulatim vrbem excreuerit. Indeq; Susati adpellationem natam, quòd ob loci situsq; opportunitatem, ædificiorum aliquid ad castrum ipsum semper accesserit, vt à quotidiano incremẽto, Susatum, quasi Ein zusatz/sit cognominatum. Complures pagos vicinos sibi subditos occupat, olim Præfecturas minores, quos populari nunc lingua, Die Bürden/indigetant, quòd grauamina & onera, à quibus ciues immunes sunt ac liberi, sustineãt. Ager, etsi totius passim VVestphaliæ syluis, & pecorum pascuis, quàm aruis sit lætior, circa Susatum tamen atq; Hammonem, frumẽtaria gleba fœlicior: Salinarum etiam fœcunditate commendatur. Vicinus namq; vrbi Passendorff, pagus, salinis celebris, maximam præstantissimi salis copiam, quotidiano censu suppeditat, vnde non Susatensium modo, sed & vicinorum, remotioribus passim locis, necessitati subuenitur. Earum verò salinarũ domini, patritijs, vt plurimum orti familijs, vrbis sunt ciues. Vrbs ipsa molas sex, ad communem ciuium vsum habet, quibus aqua, qua circumagitantur, detrahendæ facultas, exteris est omnis prœcisa. Est in ea magnificum Canonicorum Collegium D. Patroclo, qui & vrbis patronus est tutelaris, sacrum. In eo hoc tempore Præpositus est, vir celeberrimi nominis Godefridus Gropperus Agrippinas, Ecclesiæ Colonien sis archidiaconus, lureconsultus, eloquentia & eruditione, magnisq; legationib. percelebris. Multis ac varijs priuilegijs & immunitatibus, Susatientes gaudent, inter quæ id cõprimis memorabile, quod præ cæteris VVestphaliæ oppidis, nõ solum in proprio, verum etiam vicini Principis fundo, cuiuscunq; generis feras venandi ius obtineant. Vtitur præterea vrbs ipsa mero ac mixto imperio, & sub Illustrissimi Cliuorum, Iuliacensium, ac Montensium Ducis clientela degit: cum ante sub Archiepiscopo Colonien si fuisset per annos ducentos, octuaginta, à tempore Friderici primi Imperatoris, quo ille Henricum Leonem, Saxoniæ Ducem, prouincijs pulsum, omni exuerat feudi dignitate. Tum & Susatum cœpit parere Ecclesiæ Colonien si, vsq; ad tempora anni M.CCCC.XL. quando Susatienses amicitiam Adolphi Cliuensis Ducis affectârunt, quòd se dicerent ab Archiepiscopo in antiquis libertatibus arctari. Itaq; ad Ducem Cliuensem defecerunt, cui saluis immunitatibus antiquis, sacramentum fidelitatis præstiterunt: multis interim nuncijs ac literis hinc, atq; inde missis, ad Ducem, vt abstineret aliena ditione: ad vrbem, vt ad cor rediret, agnoscens (quem debebat) Colonien sem Archiepiscopum dominum in temporalibus & spiritualibus. sed, cum toto triennio, his atq; alijs vijs nihil proficeretur, ad arma peruentum est, vtrinq; comparata. Ioannes Cliuensis, Adolphi filius, tum filius familiàs, cum valido præsidio, vrbẽ tuendam ingreditur, salutatusque à ciuibus Princeps atque defensor, solenni iureiurando inauguratus est. Tum validas colligens copias, ditionem Cliuensem ingreditur, vrbem Xanctensem obsidione cingens, quæ media ex parte, Colonien sis erat dominij, quam cum vi cœpisset, inde rediens Susatũ, passus est se ibi obsideri. Theodoricus autem Archiepiscopus, comparatis copijs, ad obsidionem se parans, multos sibi confœderatos conciliat, Monasterien sem, Hildesheimen sem, Mindensem Episcopos, Ludouicum Bauariæ Electorem, Guilhelmum Brausuicen sem Ducem, Ioannẽ Nassouiæ, Gerhardum Seienum, & alios Comites. Venerat etiam illi auxilio VVilhelmus Landgrauius Turingiæ, Dux Saxoniæ, inter agmina sua ducens duo millia quingentos, ex Bohemis, homines, armis iam diu innatos, & qui sine exemplo crudeliter desæuirent. Hi, in ipso itinere, Ioannem de Hoya Comitem Osnaburgi, à ciuibus vinctum, solis cõminationibus, è septennali & tam arcta captiuitate, in qua se vir procerus erigere non posset in sublime, relaxarunt. Solus Rodolphus Traiectensis Episcopus, & Bernardus Lippiæ Comes, partes Ioannis tutati sunt. Adolphus pater, propter senium & imbecillitatem, expeditioni non interfuit. Obsedit ergo Archiepiscopus Susatum, multis milibus armatorum, (scribit Colonien sis Chronographus, octuaginta millia in Episcopi castris fuisse.) Oppugnauit autem toto mense, rarò intermittens bombardarum tonitrua. Sed, cum ea non terrerent ciues, apparatis magna multitudine scalis, statuit varijs simul locis inuadere murum. Erat ea scalarum multitudo, & id roboris, vt vna, tres, aut quatuor in quaque starent, & ascenderent. Oppidani aduersus ea miserunt lapides ac trabes: sed omnium erat validissimum defensionis genus, Sartagines in muris disponebant per interualla, subiecto igne, pultes in aquis bulliente feruore miscebant: hunc liquorem capacibus vasis, feruescentem fudêre in armatos, scalis incumbentes. Exuperabat ea vis omne genus tormentorum, in ipsis suis armis ardore excruciati, suffocabantur. Tormenti genus incomparabile. Talitum modo defensi muri, periêre ex scandentibus plurimi, qui pro suo debito primi venerant ad arma. Nam Boiemi facile cessêre indigenis honorem, vt militia prælati, primi essent in periculis. Archiepiscopus eo accepto incommodo, oppugnationem deseruit. Ex hoc tempore, Susatum in iure Ducis Cliuensis permanet. Hæc, partim ex Saxonia Crantij, partim ex Colonien si Chronographo, partim ex manuscriptis, excerpsimus. Ea autem, quæ sequuntur, ex codice manuscripto in Bibliotheca Dominicanorum Susaten. annotauimus, cui titulus, Mappa Mundi Magistri Iacobi de Susato, &c. In VVestphalia etiam, inquit, est Susatum, nobilis illa ciuitas, antiqua & præclara, pulcherrima & ditissima inter cæteras VVestphaliæ ciuitates, abundans, opulenta, & populosa, in campo plano, inter agros vberrimos sita, muro duplici profundisq; fossatis circunducta, turres triginta, sex principales, altas, firmas, ac pro defensione dictæ ciuitatis, si opus esset, interiori muro annexas, per girũ habet & benè munitas, habet inquam & decem portas ad diuersas regiones exitum præbẽtes. Sunt ibi plures Ecclesiæ, pulchræ Sanctorum laudibus, sumptibus gloriosis consummatæ. inter quas magna est famosa Ecclesia, miræ magnitudinis, turri maximæ altitudinis, gloriosi martyris S. Patrocli, dictæ ciuitatis gloriosi patroni. Ibi Collegium Clericorũ die nuctuq; Domino famulantium. Ibi religiosorum sanctimonialium pulchra monasteria, quæ circa Dei cultum diurnis nocturnisq; horis, diuinis obsequijs deuotissimè in sanctitate occupantur. Erat enim hæc ciuitas oppidum olim inclytum regni Augarorum, & postea caput Ducatus VVestphaliæ, ad Duces Brunsvvicenses deuolutum, sed ab Henrico Leonis, Duce Brunsvvicensi deperditum propter crimen læsæ Maiestatis, impositum eidem per Fredericum I. Imperatorem, Anno 14. sui Imperij, ab ipso patienter in pœnam receptum, & Archiepiscopo Colonien si Reinoldo, cum toto Ducatu VVestphaliæ vsq; ad sagittæ iactũ in Rhenum gratiosè datum, & sic infeudatur, quia prædictus Archiepiscopus, prædicto Frederico in obsidionẽ ciuitatis Mediolanen sis, à qua fraudulenter, dictus Henricus Leo recesserat, fidele præbuit auxilium, & constanter. Insuper & Philippus successor Reinoldi à Fredericho Imperatore iam dicto, pretio quinquaginta marcarũ puri argenti & seruitio corporali fortissimo & multiplici comparauit, sibi suisque successoribus & Pontificiali dignitati perpetualiter incorporauit, voluitq; sibi de consilio Ducatum hunc emere pretio tantillo potius, quàm in beneficia accipere propter maiorem sibi firmitatem.

VVARBVRGVM.

VARBVRGVM, non inelegans VVestphaliæ oppidum, situ est inæquali, Dimulæ aquis instructum. Comitatus olim titulo, vti Hammelmanus perhibet, illustre, qui idem hoc oppidum à præstanti commendat cereuisia, gratissimo ijs potu, qui cum paruo crumenæ dispendio, genio indulgere cupiunt.

SOEST.

S. Petri Veteris edes. par.
De alde kerck

Collegium S. Patrocli
Das Munster

S. Pauli par.

S. Georgii par.

Diue Virginis in pratis par.

D. Virginis in aris par.

S. Thomæ par.

SVSATVM ciuitas fere inter Westphalicas maxima, & opulentissima

1. Die Nieſtader kercke.
2. Die Alleſteder kercke.
3. tzu den ſchwarten broderen.
4. S. Peters kercke.
5. S. Johannes kercke.
6. Dat Nie dor
7. Die Nichen Mollen.
8. Dat Baſter dor.

10. Vor dem Mollen dor.
11. S. Tonnis kercke.
12. S. Johannes dor.
13. Dät Sack dor.
14. Die Borch
15. Die kerck op der Borch.
16. S. Johannes Mollen.
17. Die middel Molle.

1. WARBORCH.

Warburgum, elegans Westphaliæ Opp.

FLV. DIMVLA

FRANCOBVRGVM.

HAsia,regio Germaniæ,frumenti,fructuum,leguminumq; feraciſsima,& lætiſsimis diſtincta pratis,vrbibus eſt ornata pulcherrimis,Landgrauiatus titulo præſtans,Cattis quondam culta,& inhabitata;qua ad Occidentem VVeſtphaliã reſpicit, FRANCOBVRGVM, oppidum perelegans,ſitu amœno,& antiquitate commendatum, oſtentat. Referunt namque annales,prima idipſum fundatione Dieterum Francorum Regem, circa annum Chriſti D.XX.eo loco excitaſſe,vbi ſe vallum & propugnaculum,contra feroces Saxones, gentẽ, Heſsis vicinam,exhiberet.Solebant quippe veteres, quando dæmoniacarum machinarũ Martis,vius non erat,præſidia ſua æditioribus in locis,vnde & nomen conſequebantur,collocare,quod iſto tractu frequens admodum fuit.Hinc,Iſenberch,Falckenberg,Sternenberch,Rauẽsberch,Sparenberch, &c. Quẽ admodum & caſtro prævalido munitum hoc oppidum Franchoburch,Edera fluuio irrigatur,quem & Adernã vocant hiſtoriæ,vulgò. Die Eder/ Ab Eobano Heſſo, Aurifer dictus; Regum Franciæ ſedes, eo potiſsimum tempore hic extitit, quo perpetuum ipſis cum Saxonibus bellum fuit. Quare conſuetudine maiorum, bellicoſi, cũ neceſsitas poſtulat,venationi alioqui, & agriculturæ dediti Francoburgenſes ſunt ciues,qualis etiam Heſſorum in vniuerſum eſt indoles. Quemadmodum Helius Eobanus Heſſus, de Cattorum ſuorum genio, eleganter ſcribit.

Talis & ipſa ſitu,talis regione locorum
Et fluuijs,ſiluisq; frequens,& montibus altis
Haſsia,naturæ ſimiles creat alma locorum
Ceu natos in bella viros,quibus omnis in armis
Vita placet:nõ vlla iuuat ſine Marte, nec vllã
Eſſe putant vitam,quæ non aſſueuerit armis.
Quod ſi tranquillæ vertantur ad otia pacis,
Otia nulla ferunt ſine magno vana labore:
Aut duro patrios exercent vomere colles,
Æquatosq; ſolo campos rimantur aratris,
(Namq; & planicies,ſegetum fœcunda patentes
Explicat innumeras,& plena meſſe colonos
Ditat,& ipſa ſibi ſatis eſt,) aut ardua ſylvæ
Luſtra petunt,canibusq; feras ſectantur odoris,
Venatu genus aſſuetum,genus acre virorum;
Aut leges,& iura ferunt,aut oppida condunt
Fortia,non ſolum bello munimina,verùm
Quæ deceant in pace etiam,oblectentq; quietos, &c.

Hæc autem regia ſedes,quæ Francoburgum,vel,vt alij,Francobergomum,oppidum perillustre & clarũ reddidit,Marpurgum Haſsiæ eſt trãſlata,quando D.Eliſabethæ fama innoteſcere cœpit;vtputa,Hungarici regis filiæ, Thuringiæ Principis Ludouici coniugis,& viduæ ſanctiſsimæ,quæ pauperũ mater dicta, vt contemplando Maria,ita pietatis operibus,vera extitit Martha.Eſt itaq; regia ſedes hinc tranſlata abs Elizabethæ viduæ cognatis Principibus viris,eò,quòd ſtirpis & familiæ ſuæ ornamentum ac decus,Elizabeth, Marpurgi, Teutonica in domo ſepulta,diuorumq; ordini adſociata,iam celebris admodum eſſet,ob benefactorum memoriam.Francoburgum interim,multis priuilegijs & immunitatibus,Carolus ille Magnus,quibus hodierno etiam tempore floret, exornauit,& ob illuſtres ibi partas,contra vicinos hoſtes,victorias,ſigillo donauit,in quo caſtrum turrigerũ aureum,cum F.capitali litera,corona aurea circundata,quondam conſpiciebatur. Ab idolorum etiam ſuperſtitione,vti gentem vicinam liberauit,vbi Martis memoriam,vulgò,Irmans vel,ac ſi dicas, Jedermans vell/ quaſi commune aſylum,ac refugium omnium,deleuit:ſimiliter ipſius Crodo,id eſt, Saturni ſimulachrum, &Magdeburgenſem Venerem,euertit:Ita in hoc oppido Francoburgenſi,Hannonis deleuit memoriam.Cuius talis erat figura.Sedebat Rex in ſolio,& ex ore eius altera parte fulmina,altera verò tonitrua cõſurgebant,ipſe ſceptrum, gladiumq; manu præferebat,à dexteris veterum maſcula numina,Apollo,Mercurius,Neptunus,Mars,Vulcanus, Pluto;à ſiniſtris,fœminea;Iuno,Ceres,Venus,Minerua,Diana,Veſta.Iouis autem erat idolum.Quod pientiſsimus,potentiſsimusque Rex,Carolus Magnus,euertens, Anno partę ſalutis DCCCX.perauguſtum D. Virginis Matris Phanum excitauit.Pari etiam religionis Chriſtianæ reuerentia,Henricus Landgrauius,Brabãtiæ infans, cognominatus,Anno orbis redempti,M.CC.LXXXVI.Eccleſiam parrochialem conſtruxit. Eius verò ſucceſſor,Landgrauius,Henricus ſecundus,Anno ſalutis,M.CCC.XXXVI.oppidi noui acceſsione Francoburgũ adauxit,nouisq; ædificijs illuſtrauit. Annis verò aliquot deinde, oppidi Præfectus,qui antiquam Franciæ Regum, tum verò temporis, Ducum,arcem occupabat,& multa in Duces, multa in oppidanos atrocia tentabat, permittente Duce,à populo,iuſtas ſcelerum pœnas percepit. Arx etiam ipſa, Vulcani rabie conſumpta, funditus euerſa eſt.Quemadmodum & Anno M.CCCC.LXXVI. oppidum totum igni conflagratũm, miſerè perijt. At ſitus percommodus,facilè inuitauit ciues,vt, qua modo ſe venuſtate conſpiciendum præbet,breui poſt tempore, ex cineribus excitatum fuerit.

FRANCENBERGVM, *vel, vt alij.*
Hassiæ Opp.

Francoburgum

ESCHVVEGA.

ESchvvega, Haſsiæ opp. colli impoſitum, læta agri fœcunditate gaudens, VVerræ fluuij aquis irrigatur, cuius opportuno vſu, Iſatis herba, & ex eadem confecta tinctura, quam Thuringicum ſolum, frequenti fœnore ſuppeditat, primo, ſupra hoc oppidũ, lapide, cimbis impoſita, Mindam vſq;, Inde Viſurgi aquis, quæ VVerram abſorbent, Bremam, & per totam paſsim Oſtlãdiam defertur. De primo Eſchvvegæ initio, nihil, quod ſciam, hiſtoriarũ monumentis comprehẽſum inuenitur, eò, quòd Hungaricis bellis atq; incendijs, tertiùm depaſtũ, deformatũque fuerit. Francobungicum tamen chronicon, dum Carolum Magnum, circa annum Domini DCCXCVI. epiſcopatus varios inſtituiſſe, Monaſteria, Collegia, & eccleſias, multis in oppidis, fundaſſe commemorat, meminit & Cauffingæ, non procul à Caſſela; & Eſchvvegæ, ab eodem, tum temporis, excitatæ. Præclara etiam extant Henrici Imperatoris Secundi, quẽ ſanctum, & Hungarorum Apoſtolum cognominant, erga hoc oppidum merita, qui idipsũ Hungaricis incurſionibus deuaſtatum atq; collapſum, reſtituit, nouis ædificijs auxit, & locupletauit. Grauiſsimis rurſus calamitatibus afflictum fuit, Anno poſt orbem redemptum, M. CCC. LXXXVII. eo bello, quod inter Adolphum Moguntinum Archipræſulem, & Haſsiæ Landgrauium, acre deſæuijt, quando etiam ad Haſsiæ gubernationem peruenit.

FRISLARIA.

FRislaria, inſigne ac pręſtans Haſsiæ opp. vulgo Friſlär/Latinè, Doctrina pacis, vt puta, vbi veræ & perpetuæ pacis doctrina S. Bonifacij auſpicijs, toti Haſsiæ, Turingię, Franconiæ, & Friſię (quemadmodum paulò poſt latiùs) innotuit: Egræ fluuij propinquitate, & ſitu admodũ amœno, ſicuti vniuerſa paſsim Haſsia præcellit. muris circumcinctũ turrigeris, ſitum inęqualem, ſicuti & regio ipſa, hinc inde montoſa, obtinet: Agro tamen lauto, frumenti, fructuum, & leguminum feraciſsimo, etiam vini, cuius tamen fertilitate, non eſt hæc regio admodum præſtans. Et quamuis in ipſa Haſsia, Friſlaria ſeſe conſpiciendã præbeat, ad Mogũtinum tamen Archiepiſcopum pertinet, vnde varijs fortunæ & Bellonę caſib. frequenter expoſita, maximas abs Haſsiæ ducibus calamitates frequenter pertulit. Quemadmodũ & à Saxonibus expugnata, & fœda exuſtione deformata fuit, qua de re, ita in Saxonia ſua Albertus Crantzius lib. 2. c. 10. Saxones, inquit, iniuriam prioris anni vindicare volentes, mouerunt in Haſſones, qui iam Francis paruerunt, & ad oppidũ Friſlariã pugnauerunt, magna internecione cædentes, qui obuiam prodirent. Eccleſiam inſignem eius oppidi, quã Bonifacius epiſcopus & Martyr prædixit incremabilẽ, diu fruſtra tentauerunt incendere. Viſi ſunt in albis duo iuuenes, qui incendiũ reſtinguerent. vnde territi Saxones, auſugerunt. Repertus eſt ad oſtiũ ædis ſacræ genib. nixis Saxo extinctus, faucibus hians, quaſi flãmam excitaturus. Hæc ille. Hãc autem Eccleſiam admodũ magnificam, D. Petro ſacram, monaſtico ſodalitio nobilem, verè Germanorũ Bonifacius, prius VVinfridus appellatus, conſtruxit. Is enim, cum amabili religioſiſsimorum virorũ ſocietate, Saxonib. Britanniam deuaſtantib. immanemq; in Chriſtianos tyrannidem exercentib. verſo ſolo, patriaq;, exulans, & in Haſsiæ Friſlariã ſeſe conferens, Euangeliũ paſsim diuulgat, ſacras ædes ædificat, gentilium idolorũ, & dæmonum cultũ, Germanorum animis eximit, cœnobia, ceu concionatorũ diuini verbi, & religionis Chriſtianæ ſeminaria, extruit. Præclariſsimũ etiam Fuldenſe monaſteriũ, inter Haſsiam, Franciã orientalem, & Vuederouiam, ſitu iucundo excellens, fundauit. & non in Haſsia tantũ, quam lignis & fontibus ſacrificare offenderat, ſed & in Thuringia boni verbi ſemen ſpargens, Francorũ etiam extitit Apoſtolus. Quin & gentem Friſonũ, paganicis adhuc ritibus imbutã, à dęmoniaca captiuitate liberat. Conſpectis tantis Bonifacij virtutib. Carolomannus & Pipinus Regni Francorum Principes, cõmuni totius cleri & populi conſenſu, Moguntinenſi eccleſiæ habenas ipſi cõmiſerunt, eamq;, vt dignitas eminentior foret, quæ prius alteri ſubiecta fuerat, Metropoliticam conſtituerunt, vt à Bonifacio, Archiepiſcopi Mogũtini initiũ ſumpſerint. Iam tantus creatus epiſcopus, rebus eccleſiæ ſuæ, quàm optimè conſtitutę, Lullo commiſsis, ad eos quos docuerat populos, magno pietatis zelo cõmotus, partim in fide debiles, partim relapſos, confirmãdos, reuertitur. Hinc tertiùm in Friſiam redit, vbi à furente paganorum turba, nefariè occiſus, glorioſo martyrio, maximis laboribus ſuis finem impoſuit. Hæc paulò à me fuſius ſunt repetita, vt Haſsia, & in ea Friſlariẽſes, cuinam fidei & religionis Chriſtianæ primordia poſt Deum debeant, pio gratoq; animo cognoſcant.

ESCHWEGE

FRITZLAR

VVERDENA.

VERDENA, in VVestphaliæ aditu, ad Ruræ amnem, in ditione Markensi oppidum, occasione cœnobij, à S. Lutgero ibidem instituti, quemadmodum multa alia in Germania oppida, initium habet, à VVilhelmo de Hardenberg, quadragesimo secundo Cœnobiarcha, Anno salutis M.CCC.XVII. excitatum, & ab Engelberto, Comite de Marka, ciuilibus priuilegijs, quibus etiamnum gaudet, donatum. Omnem, quocunque innotescit, splendorem, quemadmodum & ortum, magnificæ, & celeberrimæ huic Abbatiæ debet. Ea autem in honorē Saluatoris, & sanctæ Dei Genitricis Mariæ, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & Stephani Protomartyris, Laurentij Diaconi, Martini Confessoris, prima institutione excitata, multis Regum & Imperatorum est priuilegijs, & libertatibus aucta. Exhibent namque eius modò Collegij fratres Diploma signatum, & Caroli Magni manu subscriptū VVormatię, Anno reparatæ salutis D.CC.II. Exhibent & cōfirmationem VVilliberti Archiepisc. Colonien. & plurima alia antiquissima diplomata. Primus autem Collegij VVerdenensis fundator & Rector, fuit S. Lutgerus primus Monasterienſium Episcopus, Synchronus S. Bonifacij & VVillibrordi, oriundus è Frisia, Præceptorem habuit Alcuinum, & S. Gregorium, qui S. Bonifacij discipulus, in Traiectensi monasterio, ipsum cum multis alijs eruditit, è quibus posteà, multi sunt facti Episcopi, alij in minoribus gradibus. Ecclesiarum Doctores. Quorum etiam aliqui, ijque ex parentela S. Lutgeri, à prima fundatione, post S. Lutgeri obitum, ad annos ferè LXXVI. monasterio VVerdenensi præfuerunt. Nempe:

Sanctus Lutgerus, primus fundator, in cœnobio suo, VVerdenæ sepultus.
1. Hildigrinus, primus Episcopus Halberstadiensis, frater S. Lutgeri, sepultus VVerdenæ.
2. Gerfridus, secundus Episcopus Monasterienſis, frater S. Lutgeri.
3. Tidgrinus, vel Thiagrinus, secundus Episcopus Halberstadiensis, nepos S. Lutgeri, in VVerdenensi cœnobio sepultus.
4. Altfridus tertius Monasterienſis Episcopus, affinis S. Lutgeri.
5. Hildigrinus Iunior, quartus Episcopus Halberstadiensis, & hic nepos S. Lutgeri.

His autem primis monasticæ regulæ VVerdenensis conseruatoribus, quinquaginta, interrupta serie, ex ordine successerunt Abbates, viri genere, & maiorum splendoribus illustres, quorū quinquagesimus, & vltimus fuit Conradus de Gelichen, qui suo tempore tres tantum habuit secum Capitulares fratres, nimirum, VVilhelmum de Rifferscheidt, Præpositum; VValramum de Symmern, & Ioannem de Limburch, sub quibus strictior viuendi norma, & alia est introducta reformatio. Resignantibus ipsis, Monasterium penè collapsum, vna cum cunctis prædijs, alijsq; bonis non optima diligentia adseruatis. Introducti sunt autem religiosi fratres, qui summo labore, & industria, minitans ruinam collegiū, restaurarunt, recuperatis, quantum pro tempore potuit fieri, prædijs ac possessionibus multis circa annum Domini 1474. quo anno Nouesium obsidione cinctum erat. Facta autem hac resignatione, & necessaria, nouaq; reformatione introducta, Collegij VVerdenensis administrator & cœnobiarcha constitutus est Quinquagesimus primus, D. Adamus, ad S. Martinum Maiorem Coloniæ Abbas, qui præfuit annis 4.

Huic successit 52. D. Theodoricus Iagendorn, ex monasterio S. Petri Erfordiæ, assumptus.
53. Antonius Grimmolt.
54. Ioannes de Groninga.
55. Hermannus ab Holte, vir ab insigni doctrina & pietate commendatus, electus Anno 1540. mortuus Anno 72.
56. Henricus Duiden.

Sed iam Abbatia relicta, oppidum nunc ipsum ingrediamur. In quo oppidani rem pecuariam, vnde & plurimum victitant, exercent, agros habent lætos, & cōpascuos, montes præaltos & syluosos, in quibus incredibiles porcorum greges oberrare quandoq; videas (vnde induratæ fumo pernæ, & petasones Vvestphalici, grata causidicis munera) & riuulos, gratissimo murmure ex montibus susurrantes. Quin & ex præterlabente Rura, commoditates haud pœnitendas percipiunt, vnde piscibus, & sapidis pinguibusq; abundant anguillis. Vtraq; hîc Ruræ ripa, lapideo ponte coniungitur, magno itinerantium compendio. Accidit autem Anni Christianæ salutis Tricesimi tertij supra Millesimum Quinquagesimum, initio, postquam prior eius tunc hyemis medietas, solito asperior, & densa glacie, ac supra modum alta niue, grauissimè inhorruisset, atq; iam post natalis Christi diem, mox aëre tepescente, succedentibus diebus, in ipso Ianuarij Mensis capite, ingruentibus magnis imbribus, nix ipsa tardior, magno cum impetu resolueretur, vt ipsum Ruræ flumen, tantis aquarum inundationibus eleuaretur, vt ingentē Pontis molem euerterit, excusserit, & remouerit. vt oppido etiam ipsi tantus aquarum impetus ruinam minitari videretur. Aqua nempe retro principis Arcem, dirupto muro, viam sibi parauit. Tanto autem fragore ea inundatio insonuit, vt cataractæ Nili fluminis, eo viderentur translatæ fuisse.

ESSENDIA.

ESSENDIA, Imperiale, sub Montensis Ducis tutela, oppidum, Collegiato virginum, & Canonicorum sodalitio præstans. Quod Alfridus quartus Hildesheymensium præsul, ex paternis facultatibus fundauit, vt sub religiosa Abbatissæ educatione quinquaginta & duæ, Deo nuncupatæ virgines, pietatis exercitijs imbuerentur, et xx. similiter Canonici, sub eius loci decano, canonicam viuerent vitam. Asyli priuilegio Abbatia gaudet, & locus in ea maximè, Die Bozht/ nuncupatus. villæ aliquot vicinæ, eius subsunt dominio. Ecclesia ibidem perelegans, in qua tabula exhibetur visenda, Bruinij illius Agrippinatis opus. Ager frumenti, & tritici præstantissimi ferax, vnde candidus Essendiæ panis in pretio est. Oppidani, negotiationem etiam remotam, alij textrinā, fabrilem complures exercent. Non alium facile reperias locum, vbi plura conficiantur omnis generis sclopeta. Fontibus abundant, & atro carbonario lapide, quem territorium vicinum passim suppeditat, potissimum verò, qua Steltium est, ad Ruræ amnem, oppidum.


CIVITATIS
WERDENÆ EX
ACTISS: DESCRIP:
WERDEN
Der febuser bergh
Der Born er bergh
Domus pastoris
Capelle in Born
Abb atia
Nukerchen Capelle
Castru Illustriss.
Ducis Cliue
RORA FLV.


CIVITATIS ESSENSIS
EXACTISS: DESCRIP:
ESSEN D.
S. Iohan
Das Munster
S Geerth
Ketwi cker port
S. Quin tin
Spittal
Weu er port



HALBERSTADIVM.

HALBERSTADIVM, primæua fundatione, Elboreſtadium, Saxoniæ in Germania oppidũ, Epiſcopatui eius nomĩnis, adpellationem præbens, à Carolo Magno, nunquã ſatis laudato Galliarum Rege, & Imperatore Romano, inſtituto, qui longa experientia, belloq; diuturno, cum Saxonibus geſto, edoctus, cognouit, eam gẽtem, vtputa infrenem, fortem, atq; ferocem, armorum ſtrepitu minùs domari, beneuolentia autẽ, legibus, pietate, & Religione placari & cõſeruari poſſe. Hinc multorũ, qui tunc tẽporis aurei, pedum circunferebant ligneũ, epiſcoporum gubernationi, & ſpirituali curę eã cõmiſit. Quemadmodum & Anno ſalutis, DCC.LXXX. non quidem Halberſtadij, ſed apud Selingenſtadium, ſiue Oſtervvicum, quo in loco idẽ Carolus Magnus magnificum templum, D. Stephano ſacrum, conſtruxit, oportuna Epiſcopo ſedes delecta & cõſtituta eſt, vſitata tum adpellatione, Salingenſtadiani, & Oſtervvicenſis Epiſcopatus, innoteſcens, longo verò poſt tẽpore, vt ſcribit in ſua Saxonia Crantius, & in opere de Epiſcopatibus Germaniæ Bruſchius, ab eodem Carolo Magno & primo Antiſtite, S. Hildegrino, ad cõfluentiam Albis & Oræ fluuiorũ tranſlatus. Huic nouæ vrbi, & Eccleſiæ iã inchoatæ, ab amnium cõfluxu, nouum etiam nomen indiderunt, adpellãtes eã Alboreſtadium, quaſi vrbem ad Albin, & Oram amnes, cõſtitutã. vnde facilè adparet, ſitu eã admodum oportuno, cùm præter aquarum cõmoditatem, agrorum etiã non ſit ei denegata vbertas: quæ quidẽ tanta deprædicatur ab omnibus, vt ſegetũ culmos, equitem tranſcendere ferant. Accedit ad hæc, nitor & elegantia vrbis, ædificiorum ſplendor, amplitudo fori, & collegiatum Canonicorum ſodalitium. In quo, dũ canonicè canonici viuerent, clarũ adhuc pœnitentiæ publicæ, in primitiua Eccleſia vſitatæ, extabat veſtigium. Cuius quidẽ rei conſuetudinem Pius Põtifex, & poſt hunc, Volaterranus, in literas retulerunt, ſed velut ritũ barbaricũ. neuter'enim intellexit. Volaterranus inſtitutum vocat inauditum, eſt autem huiuſmodi: Singulis annis eligitur aliquis è plebe, qui comediã pœnitentis, & cõfitentis agat. Is in capite ieiunij Quadrageſimalis ad templũ adductus, in cultu lugubri, &, qui pœnitentem deceat, nimirum, caput obuolutum habens, pòſt Sacrum deinde eijcitur, perq; totos illos quadraginta dies, nudis pedibus vias vrbis terit, templorũ moles circuit tantùm, nõ intrat, nec cũ quoquã ſermonem miſcet. Canonici huic cibum præbent, quem ille, qualem qualẽ, boni conſulit. Nõ indulget ſermoni, niſi poſt mediã noctem, idq; in plateis. At in die, quæ Dominicæ cœnæ dicata eſt, ad templũ reducitur, & à Sacerdote, non abſq; longis, ſed pulchris ceremonijs abſolutus, à plebe ſtipem accipit. Hunc Adamũ vocare ſolent. Atq; hoc eſt, quod nonũ caput Agathenſis Concilij præcipit, & refertur etiã à Gratiano, Diſtinctione 50. Eſt autem tale: In capite Quadrageſimæ, omnes publicè confitentes, ante fores Eccleſiæ ſe repræſentent Epiſcopo ciuitatis, ſacco induti, nudis pedibus, vultibus in terrã proſtrati, reos ſe eſſe ipſo habitu, & vultu proclamantes: ibi adeſſe debent Decani, id eſt, Archipresbyteri, Presbyteri Parrochiarũ, Presbyter pœnitentium, qui eorum conuerſationem diligenter inſpicere debent, & ſecũdum modũ culpæ, pœnitentiam per præfixos gradus iniungant. Poſt hæc Epiſcopus in Eccleſiam eos introducat, & cum omni clero ſeptem Pſalmos pœnitentiales, in terrã proſtratus cum lachrymis, pro eorum abſolutione, decantet, tũc reſurgens ab oratione, iuxta quod canones iubent, manus eis imponat, aquã ſuper eos benedictam ſpargat, cinerem prius mittat, deinde cilicio capita eorũ cooperiat, & cum gemitu & crebris ſuſpirijs eis denuntiet, quòd, ſicut Adam proiectus eſt de Paradyſo, ita & ipſi de Eccleſia pro peccatis ſuis abijciantur. Poſt hæc iubeat miniſtris, vt eos extra ianuas Eccleſiæ expellant, clerus verò proſequutus eos cũ Reſpõſorio, in ſudore vultus tui, &c. vt videntes ſanctam Eccleſiam pro facinoribus ſuis tremefactam atq; commotam, nõ parui pendant pœnitentiam. In ſacra autem Domini Cœna, rurſus ab eorum Decanis & Presbyteris Eccleſiæ liminibus repræſententur. Hactenus decretum Agathenſis Cõcilij, partim antiquitatis amore, partim, occaſione conſuetudinis Halberſtadenſis Eccleſiæ, prolixius retulimus.

QVEDELINBVRGA.

QVEDELINBVRGA, vrbs antiqua, & primorum in Saxonia Principum decus, haud ita procul à Parthenopolitana vrbe, quæ nunc Magdeburga in Saxonia, diſtans, ab Imperatore Henrico Aucupe, vnà cum nuncupatarum Deo & Religioni Domicillarum Collegio, conſtructa, cui primam Abbatiſſam filiam ſuam, Machtildim præfecit. Oppidum ſanè concinnum, antiquitate, dignitate, & opibus præſtans, quandiu primæua fundatione, legitimum magiſtratum Abbatiſſam agnouit, cui, quando malè parebat, ab Erneſto, Saxoniæ Duce oppugnatur, & Rolandi ſtatua, quam pro libertatis indicio, ab antiquo habuerat, priuatur. Quæ de re plura in Indice.

HALBERSTADIVM, Vrbs Saxoniæ tám politica inſtitutione, quam ſitu et Canonicorum Collegio, nobiliſſima

QVEDELINBVRGA, ANTIQVISSIMVM SAXONIAE OPPID:

VVINMARIA.

VInmaria, siue Vinaria, nitidissimum Turingiæ Opp. nomen habet à vino. nam **Weinmayr/** siue **Wynmayr** vinitorem, Turingico idiomate denotat; Quasi vinearum aliquis cultor, ea primùm loca inhabitans, vineas ibidem colere cœperit. Idcirco eruditi nunc passim, Vinariam eam nominant, non, quod à vinario foro, nominis sit etymon deductum, quod plerique non ineruditi existimãtes, Vinariam hanc nostram μεθόνυμ. Ciues verò μεθονομάσιας appellitant; quasi **Mar/** ex **Mayr** factum, Germanis **Marckt/** hoc est, forũ designaret. Verùm eos hìc labi, inde facile conspici potest, cũ in Germania pro vinitore **Weinmayr**, vsitatissima sit adpellatio, sicuti & Bauaris ea est compositio recepta, quæ hanc nostrã sententiam confirmat. Ita **Bühelmayr** Colonum, collem, aut colentem, aut inhabitantẽ designat. **Bachmayr/** iuxta fontẽ, **Kirchmayr/** Messor, vel agricola, iuxta templũ habitans: Sic **Obermayr/Nidermayr/ Waldmayr/Dietmayr/Lynßmayr/** Quæ pleraq; omnia, posteà, cum à Latinè scribentibus vsurpantur, i, literam abijciunt, vt VValdmarus, Dietmarus. Atque hæc quidem genuina, & quotidiano Germanorum vsu recepta huius voculæ, **Mayr**, in fine dictionum cõstitutæ, est significatio. Aliud verò hæc eadem principem vocularum occupans locum, designat, vt **Marschalck/** id est, equorum minister, aut equitum inspector, ac gubernator, **Marstall**, Stabulum equorum, &c. Sed hæc de nominis origine satis, & nimis fortasse multa. Vinaria igitur, inclytam Saxoniæ Ducibus sedem, & domicilium amœnissimum præbens, venustissimis tam publicis, quàm priuatis ciuium est decorata ædificijs. Quemadmodum aëre salubri, ita agro non tantum rerum vtilium & necessarium fœcundo (Turingia nanque ob fertilitatem sumen existimatur Germaniæ) sed & delicijs, nobilium hominum voluptati mirificè blandientib. præcellit. Nã præter omne frumenti genus, læta etiam Bacchi, Germanis grata donaria, Isatidem herbam, vulgo **Weidt/** quæ non alia, quam pingui alitur gleba, Lanarum infectoribus abundè præbet. Limpidissimos etiã fontes & aquas, gratissimis susurris suauiter circumsonantes; Nemora itidem & saltus, ad venatus ferarum, quibus ad admirationem abundat. Quæ quidem grata naturæ, eiusq; auctoris dona, Imperatores quondam Augustos, vt hìc potissimum agerent, inuitarunt. Prout ex historiarum monumentis de Magno Ottone constat; De eius etiam patre Henrico Aucupe, qui in Turingia iuxta Arcem **Jechenburg/** Turingica nobilitate ferẽte suppetias, graui, & arduo conflictu, quadraginta Hũgarorum millia cecidit. Imperij quoq; comitia Otto secundus hìc VVinmariæ, perhibente Lamberto Schaffnaburgensi, celebrauit. Neque verò luxurias tantum agri fœcunditas, Principes viros huc semper inuitauit, sed & peramœna vrbis elegantia; politia quàm optimè instituta, cæteraq; vrbium amplissimarum ornamenta huc eos potissimum pertraxerunt. Videas hìc namq; consecrata Numini perauguſta templa; Misericordię itidem sacrificijs loca publica nuncupata, & amplis dotata redditibus, vti sunt Hospitalia, Nosocomia, &, vbi contagiosis infecti morbis, curantur, Quem riuulus aëri purgando destinatus, permeat. Fluuiolus similiter, vulgo **Die Lotta/** molinarias exagitans rotas, vrbem ipsam illabitur, quotidiano ciuium vsui, & platearũ nitori subseruiens, quem piscinæ deinde & foueæ vrbis resorbent. Videas similiter id, quod politiæ prouidentiam demõstrat, Horrea, quæ stramentis, furiosi Vulcani rabiem alere possent, ex vrbis pomœrijs remota; experientia, quæ optimarum consuetudinum ac legum Inuentrix esse solet, credo, cũ magno detrimento edocti. Nam Anno salutis M.CC. XCIX. & Anno M.CCCC.IV. lamentabili incẽdio vsq; adeò deformata VVeinmaria fuit, vt formam vix vrbis retinuerit. Verùm is casus, magnę quidẽ infœlicitatis huic vrbi extitit; quod verò temporis successu, nõ instaurata tantũ, sed superbissimis etiam, & magnificis ædificijs decenter fuerit ornata, eiusdẽ splendoris est, & ornamenti. Quo arx etiam accedit Saxoniæ Ducũ magnifica, spendidis ædificijs nitens, numerosæ & amplissimæ familiæ capax; & præsertim amœnissimus, dulcissimusq; hortus, pręstantissimis herbis, & fructiferis arboribus ordine bello, in quincuncem positis, luculẽter ornatus, areolis ex odoriferis florib. & medicis herbis haud secus distinctus, quàm si vel Apellis, vel Dureri penicillo depictæ forent; cũ sepimentis ex rosa, buxo, rosmarino, lauro, eiusdemq; generis fruticibus, venustè semper virentibus: Aquis etiam ex præterlabẽte Ilmo flu. piscoso, æneis fistulis passim deductis, arborum & plantarum radices adaquantur. Maximam autem delectationem præbet elegans & pellucida horti medio turris, ex qua aquulæ gratissimo murmure obstrepunt, & subiectum in lacum delabuntur, vt adeò incredibilem prorsus istius horti spectatio admirationem habeat.

WEIN MAR.

WINMARIA, FERTILISS. THV-
RINGIAE VRBS PRAESTAN-
TISSIMA VVLGO Weinmar

Johann. Wolfius Rector Gymnasij Ratisbonensis F. C.

MONS REGIVS.

MONS REGIVS, vulgo Konigßpergh/ Pruteniæ, quæ in Sarmatia Europea, primarium & nobile oppidum, Boiemiæ Rege Ottogaro, vt cũ Dubrauius nominat, (Alij Otthacarum, & Methonius lib. 3. cap. 53. Primislaũ nuncupant) suadente, à crucigeris, prima, anno Christi M.CC.LIV. initia sumpsit, quemadmodum latius perhibetur in Indice, excitata primùm arce, qua feroces Prutenorũ ceruices, suaui Christi iugo tum nondum assuetę, in officio retinerentur, eoq; à primo inuentore, Mons Regius, cognominatur, cui oppidulum, anno statim sequenti, coniunctum fuit, eo loci, vbi nunc D. Nicolai Fanum conspicitur; sed deficientibus Prutenis, & seditionem aduersus Ordinem Teutonicum concitantibus, Anno Christi M. CC.L X. recens id oppidum exustum, ac dirutũ. Vrbs mox alia arci propinqua constructur, vbi oppidum nunc vetus existit. Temporis deinde successu, dum loci situsque oportunitate, nouæ vrbis dignitas augeretur, aliud excitatum est oppidum, ab hac, Bregla amne distinctum, ab ordinis Commendatore Bartholdo, ex stirpe Austriaca, Anno Christi M. CCC. tunc quidem oppidum nouum, iam verò, Die Lebenicht/ cognominatum. Oppidum denique tertium, Kniphoff/ nomine, Anno salutis M. CCC. LXXX. accessit, à celeberrimi nominis Magno Magistro, V Vinrico Knipenrode cõstructum, loco vliginoso & paludoso, quare fistucatis, vt plurimum, palis nititur. Tria autem hæc oppida, frequentissimo, & opulento habitatore culta, copiosa habent, & ampla diuersarum adpellationum suburbia, adeo populosa, vt vno frequenter tecto, (cellas etiam subterraneas inhabitant,) quinque, sex, octo, quandoq; etiam decem, cõprehendantur familiæ. Vrbes hæ tres diuersæ, quemadmodum et suburbia pulcherrimis Ecclesijs, ędificijs item publicis & ciuiũ priuatis, cocto, ex lapido, decorantur, ne incendij deformentur furore. Arx ipsa, Ecclesiã magnificam exhibet; vrbs vetus, Basilicam Parochialẽ. Iuxta, in suburbio Steendam, Fanum D. Nicolai, oppidanorũ sepultura destinatum. In oppido Kniphoff/ Cathedralis est Ecclesia: Iuxta Mœnia, oratorium nouum, cœmiterium ciuium. In Lebenicht/ S. Barbaræ templum editiore loco conspicitur. Ecclesia noua, in foro equino: Cœnobium quoq; virginũ à Knipenrode Magno Magistro, fundatur. Duo insuper alia fuerunt cœnobia, nunc, in granaria Ducis conuersa. Arx deinde Magnifica & elegans, proximæ dignitatis, subsequitur: tum, Episcopi palatium, & domus, conuiuationi publicæ, & suauibus oppidanorum collationibus nuncupata. Vrbis gubernatio, penes ordinem Teuthonicum & post diuenditum atque amissum Marieburgum, magni Magistri residentia hic semper fuit: nunc Pruteniæ Duces hîc rerum dominantur, qui vrbis habenas senatorum; suburbiorum autem, Amptmannorum, quos vocant, administratione gubernant. Ciues, præter mechanica, exercitia, negotiationem etiam maritimam tractant. Fumenti vim magnã distrahunt, cinerũ, picis aridæ, & liquidæ (Thar/ nos Germani vocamus) salis, lini, canabis, ceræ, seui, lignorum, (. vulgo, Wagenschot) mellis, Medi, ex melle, dulcis est potus genus, quæ omnia Liuonia abunde suppeditat. Lingua vtuntur Germanica; quadam etiam, vulgo, Koesßligschs/ nuncupata, sed, qui ab obsequijs & ministerijs sunt ciuibus, vt natione ac patria, ita quoq; lingua sunt diuersi. In regione aũt ipsa, præualet Prutenica. Vrbs deniq; ipsa Chrono, seu Bregela, flumine admodũ copioso, atq; piscoso, distinguitur, qui in Venedicum se sinum exonerans, onerarias dorso sustinet naues, cuius margines pontibus septem coniunguntur. Iuxta Arcem, lacus sunt bini, quos amnis, Katzbach/ vulgo nuncupatus, permeat, & Breglæ deinde aquis miscetur. Ager vrbi vicinus, gleba, frumento idonea, pascuis, & cultissimis hortis præstat. Planus est, montes hinc inde aliqui, sed non admodum magni, consurgunt.

RIGA.

RIGA, Vrbs Liuoniæ Metropolitica, Emporium eo tractu post Gdanum Prussiæ, diuersarum nationum frequentatione, celeberrimum, situ plano, cuiusmodi est Liuonia fere tota: Duria, præcipuo, & maximo totius Regionis flumine, quale Hãburgi in Saxonia, Albis, alluitur, quod ex Rutenia ortũ, duobus infra Rigam miliarib. Oceano Germanico permiscetur, vnde summã piscium & cancrorum copiam, tam præterlabens flumen, quàm stagna, & maria Liuoniæ maxima, Rigensibus vicinisq; locis affatim suppeditant. Quemadmodum & ferarum tam frequens vbiq; venatio, vt ea ne rusticis quidem, licet crudeliter à nobilitate habita, vnquam sit interdicta. Incredibilis soli vbertas; quare frumenti sic pretiũ tenue, quod onerarijs annuatim nauibus, per totam Ostlandiam, Hollandiam, Zelandiam, Brabantiam, Angliam, & in Hispaniam defertur. Re pecuaria, tam est opulenta, vt bos admodum pinguis, tribus daleris, porcus saginatus, dalero cũ dimidio Rigæ & Reualiæ veneat. Adeo, vt Liuonia nõ ineptè, quondam à Germanis, Bliuonia diceretur, vtputa, quæ vbertate & præstantia Soli, ad continuam ibidem residentiam facile inuitarit Germanos. Illis namq; manere, Bleiben/ appellatur. Est autem à Saxonum gẽte, & potissimum à Bremensibus mercatoribus Liuonia primùm inuenta, qui cum mercãdi, & commodi gratia, eò frequentius redirent (Gentem namque incultam & simplicem offendêre; ita vt expressam è melle cerã veluti excrementa ædib. ejicerent (Meynardum Zegebergensem Canonicum secũ religionis ergò, cõduxerunt, qui agresti & incultæ plebi, redemptionem, pacemq; dominicã annuntians, multis superatis difficultatibus, Episcopalem sedem Rigæ constituit, Anno à C. N. M.C.L XX. Quo, cum annis XXIII. verum egisset Episcopũ, morte sublato, ab Archiantistite Bremensi, nouus constituitur præsul Bartholdus. Is, prima Rigæ fundamenta ponens, vrbis formam, murorum ambitu excitauit. Et cum annis XI. commissam sibi administrasset Ecclesiam, crudeli, ab infidelibus, morte sublatus est. Tum rursus abs antistite Bremensium, quorum Riga Colonia, tertius designatur Episcopus Albertus. is ædib. sacris, summaq; Ecclesia Rigam exornauit: Et temporum deinde successu, in eam paulatim magnificentiam Riga excreuit, vt Episcopatuum Prussiæ, & Liuoniæ, nempe Reualiensis, Curiensis, Oeseliensis Derptensis Ecclesiarum sit facta Metropolis, & primum consequuta Archiepiscopum Adolphum, anno salutis M.CCLV. qui ita ad Mare Balthicum Cleri primatum teneret, quemadmodum in Monte Regio, penes magnum militiæ Teutonicæ Magistrum, omnis totius ordinis in Prussia atq; Liuonia potestas fuit. Cæterum, Teutonica nobilitas, Archiepiscopi gubernationem turbare incipiens, intestinis agitata dissidijs, barbaro hosti, cui ante formidini, tum ludibrio fuit, vt in indice, ob huius loci angustiam, paulò latius.

Die Fürstliche Hauptt Statt Konigsbergk in Preussen.

Die huben
S. Niclas
Schloss thurn
Der Cragheim
Schloss
Der Sackham
Der Neu Pregell
Der Thum
Collegium
Das Kloster
MONS REGIVS; PRVSSIÆ, SIVE BORVSSIÆ, VRBS MARITIMA, ELEGANTISSIMA PRINCIPIS SEDES.

Riga die hauptt Statt in Lifflandtt

Der Thum
S. Jacob.
S. Peter
Das Schlos
Das Rathaus
DVNA
FLV
RIGA, percommode ad Dunã amnem sita, Emporium celebre, & Liuoniæ Metropolis.

TIGVRVM.

TIGVRVM, absque omni controuersia vna est ex vetustissimis vrbibus Heluetiæ. domestici annales tradunt, sedecim annis post Treuirorũ vrbem conditam esse. Treuiros autem Trebetam Nini filium, Abrahami patriarchæ temporib. condidisse, Marianus Scotus in Chronicis, memoriæ prodidit. Tigurinorũ quoq; mentio celebris est in Romanis historijs; quia & cũ Cimbris aduersus Romanos militarunt, & Casium consulem profligarunt, & posteà à Iulio Cæsare bello Gallico victi, & cęsi sunt: Et ab eo tempore, vsq; ad Alemannorũ irruptionem, sub Romano Imperio Tigurum fuit, post, in Francorum Regum potestatem, & inde ad Imperium illud Germanorũ Romanum peruenit. Sunt à Regibus Frãcicis duo Collegia, virorum vnũ, alterum fœminarum, Tiguri instituta. penes hæc olim maxima ex parte imperium vrbis fuit. Cæterùm in arce, quæ ad Limagum edito loco sita olim fuit, Francicorum Regum præfecti habitârunt, qui collegiorum & vrbis aduocati erant. Pòst sub Germanis Imperatoribus itidem Præfecti dati sunt vrbi & collegijs, non tamen, qui in arce habitarent. nam hoc munus plerunq; Principes viri habebant. Cæterum, illis temporibus vrbs nihilominus suum consilium habebat virorum triginta sex, è quibus duodecim quadrimestri tempore imperabant. Fuit hæc forma Reip. circa annum M.C. & durauit vsque ad annum, M.CCC.XXXVI. quo tempore mutata est. Cęterum, illis temporibus paulatim vrbis libertas creuit, atq; collegiorum iugum excutere cœpit. in his enim Pontificum & Imperatorum dissensionibus, Tigurini Imperatorum partes sequuti sunt, & Friderico Aenobarbo, Friderico I I. Lodouico Bauaro adhæserunt; itaque ab his, priuilegijs & immunitatibus aucti sunt, præsertim à Friderico I I. etenim hic, mortuo Berchtoldo vltimo Zeringensi duce, collegiorum & vrbis Tigurinæ aduocato, ciues in Imperij tutelam recepit, circa annum M.CC.XVIII. Ac posteà multa priuilegia Collegiorũ, & præterea ius eligendi Senatum, quod anteà penes collegia fuerat, in ciues transtulit, ac statuit, ne vnquam liceat vrbem ab imperio abalienare. Friderici etiam ætate, ciues vrbem fossa, valloq; munierunt, communi ciuium opera. Cum autem à Sacerdotibus, qui ciues essent, exigerent, vt ipsi quoq; expensas in hoc opus, rata sui parte, conferrent, & præterea eos suspectæ pudicitiæ mulieres, è domibus suis exigere iuberent, ea re illi adeò offensi sunt, vt à ciuibus secessionem fecerint. Sed hæc lis ab Episcopo Constantiensi sopita est. Ac aliquot annis post hanc controuersiam ciues Tigurini, quòd Friderico Imperatori constanter adhærerent, à Pontifice Romano excommunicati sunt. His temporibus, permissione Friderici, vetus arx (quo loco nunc amœnissimus campus tilijs alijsque arboribus consitus cernitur) diruta est ciuium opera, ne fortè aliqui, occupata illa, ciuium libertati insidiarentur. Multi item vicinorum nobilium vrbem, vtputa sacris abstentam, & omniũ iniuriæ expositam, infestabant. itaq; cum anteà frequens mercimonium serici panni in vrbe fuisset, multi etiam, qui sericum texerent: hoc tempore, quòd cuncta infesta essent, omne illud mercimoniũ Nouocomum, ad Larium lacum, transtatum est. Illis temporibus, Anno M. CCC. LI. primũ fœdus Tigurini fecerunt cum Vrijs, & Suitijs. Qui quidem, etsi quinto demũ loco in fœdus sint recepti, nihilo tamen minus, propter vrbis celebritatem atq; potentiam, princeps locus, omnium consensu, illis datus est, quem hodie quoque, aucto fœdere, retinent in comitijs, legationibus, alijsq; publicis actionibus. Cæterùm, aliquot annis post obitum Friderici, Conradinus huius nepos, Tigurinos, Ducum Sueuiæ imperio subijcere tentauit, & putatur, titulo aduocatiæ, quam olim Alemanniæ Duces diu in sua potestate habuére. cum verò illi libertatem suam constanter defenderent, eius opera factum est, vt vrbs à Conrado Imperatore proscriberetur: ab hac proscriptione exemit eam Richardus Anglus Romanorum Rex, qui imperialibus literis, priuilegia ipsorum confirmauit. Anno 1273. Rodolphus Habespurgius, à Septemuiris, penes quos imperatoris deligendi potestas est, Romanorum Rex, concordibus suffragijs creatus est: hic imperio potitus, Tigurinorum fideli & forti opera in multis bellis vsus est, & bello Boiëmico ducentos ciues Tigurinos inter anteignanos primæ aciei collocauit, ac hortatus est cæteros, vt horum virtutem, ante sibi optimè perspectam & cognitam, imitentur; horum maxima pars, eò prælio cæsa est, reliquorum insignia honoris ergò, in Franciscanorum templo depicta fuére. Donauit Rodolphus Rex pro veteribus & recentibus officijs Tigurinos multis priuilegijs, & honoris ergò, signum eorum diademate purpureo ornauit, &c. Plura de Tigurina vrbe atque Repub. præter Munsterũ, Ioannes Stumtius; Iosias Simlerus Tigurinus, &, quos celeberrimus nostri æui cosmographus, Abrahamus Ortelius, in suo orbis Theatro tam veteres, quàm Neotericos recenset auctores, suppeditabunt. Coronidis autem loco, ex topographica Mureri descriptione hoc carmen subijcere placuit.

Sex minus elapsi fuerant, quàm mille bis anni,
Vt nouus ex nihilo conditus orbis erat:
Restabant totidem venturi ad tempora Christi,
Si tamen ex illis bis duo lustra feras:
Inclytus hęc primum statuit cũ Thuricus vrbem,
Quæ fundatoris nomine dicta fuit.
Post, vbi diuitijs, terris & viribus aucta est,
Huic Tiguri nomen gens Tigurina dedit.
Sæpius hæc varijs grauibusq; erepta periclis,
Nunc stat adhuc summi salua fauore Dei.
Perge tuos seruare Deus, dum protegis vrbem,
Fac toto nomen regnet in orbe tuum.

ZVRICH

TIGVRINI, siue Tigurum, Caesari, vt plerique existimant, Tigurinus Pagus, vulgo Zürych; vrbs in Heluetijs vt vetustissima, ita maxima, & omnium celeberrima.

Sufenberg
Wolffthurn
Predicher kloster
Spital
Stortzg.
Münsterg.
Kornhus
Kauffhus
Rathus
Wellenberg
Wasserkilch
Werckhof
Im Kratz
Thg huss
Am Spitz
Nider dorff
Vff Dorff
Hinder munsterg.
Stadelhofen
Lindenhor
Newstat

LANDSHVTVM.

LANDSHVTVM, vulgo **Landshutt**; vrbs celeberrimę,& primarię dignitatis, in Bauaria inferiore,quæ & fertilitate, & incolarum frequentia, ſuperiore Bauariâ præſtans,nauigeris,& piſcoſis diſtinguitur fluminibus, Danubio, totius Europæ maximo,Greçis pariter,atq; Latinis ſcriptoribus celebrato:Lauacio & Iſaro,amni,quem admodũ amœno,ita piſculento,& rapido. Is magnificã Landshutanam hanc vrbẽ præterlabitur,magno incolarum cõmodo,& ornamento. Quam Irenicus Franciſcus,ex quinta Ptolemæi Europæ tabula,Inutrũ ſtatuere videtur,cui tamen ſitus non optimè conuenit. Atq; melius proinde Ptolemęi ἐπίξηον Auentinus,verè linceus Germaniæ,potiſsimũ verò Boioarię ſuę perluſtrator,**Mittenwald** Bauariæ pagum cis alpes conſtituit. Vrbs aũt Landshutũ,condita anno partæ ſalutis M.CC.VIII.à Ludouico Duce Bauariæ. Alij arcẽ illic à Ludouico Ottonis filio,ſalutis anno M.C.LXXVIII.auſpicatã referunt,& anno M.CC.IV.vrbem hanc muro inueſtitã fuiſſe. In ea vt plurimum Illuſtriſsimus Bauariæ Dux Gulielmus,perauguſtæ Bauaricæ ſtirpis ſenior filius, reſidet, loco nimirum,quem alma rerũ parens natura,multis beauit munerib. Ager nanq; non ſolum magna varietate Pomonæ,& præſtantiſsimo Liberi patris liquore, deos pariter ac homines recreante; & beata Cereris fruge,ſed & pinguiſsimo,ac vberrimo Palis munere luxuriat. Is ſiquidẽ natiuus eſt genius agri,vt lacticiniorum vix alia regio ditior inueniatur;tanta aruorũ vbertas, tanta amœnitate latiſsima vbiq; prata, viriditate,& copioſo vndiq; gramine contecta conſpiciuntur;colles deniq; ita feraces,pleniq; vitiũ,areas in planas deſinunt,quæ paſcua & pabulũ armentis præbent,vt hic meritò ager,cum amœniſsimis, vberrimisq; totius Europæ locis,comparari poſsit. Vrbs ipſa ædificijs admodũ venuſtis & elegantibus nitet; Inter quæ principem meritò locũ obtinet ſumma vrbis Eccleſia,quæ artificioſa ſtructura,& viuo ex lapide viſenda, imò ſtupendæ altitudinis turri,conſpicua eſt. Magnificũ etiam Illuſtriſsimi Alberti Ducis,in inferiore vrbis parte,videtur Pallatiũ,Nouum,vulgo,ædificium nuncupatũ. Structura eſt elegantiſsima, affabre, & Italica architecturæ Symmetria ſcite,ſubtiliterq; ad decus,& ornamentum vniuerſæ vrbis excitata. Cui plurimum etiam ornamenti paucis ab hinc annis contulit hortus,extra mœnia vrbis, ſumma amœnitate præſtans,ab Illuſtriſsimo Gulielmo Duce,in dulciſsimæ ſuæ coniugis Lotharingiæ Ducis filiæ gratiã, paucis ab hinc annis,Gallicorum hortulanorũ inuentione ac opera conſitus,qui exoticis generoſiſsimarum arborũ fructibus,herbis etiam,peregrinis plantis,ac floribus ex Italia,Hiſpania,& Gallia allatis,areolis,labirinthis,operibus topiarijs,florum ac fructuum varietate nitentibus,mira induſtria diſtinctus conſpicitur. Sepimenta ſunt varijs ex arbuſculis contexta,& reticulata, multis florũ generibus, auleorum inſtar,variè veſtita,rubentibus inſuper pomis,cotoneis,meſpilis,peregrinisq; fructibus grauia. Quinetiã artificioſiſsimis ſtatuarũ,& picturarum figuris,magna cũ voluptate paſsim exornatus hic hortus cernitur. Nec odoris etiam ſuauiſsima fragrantia deeſt,quam paſsim abundantia romanæ camillæ, baſilicæ, lauri, mirti,roſmarini,florũ atq; roſarum,& eiuſcemodi herbarũ ex ſe fundit natura. Incredibilis deniq; iſtius horti amœnitas,decor,elegantia,adde etiam vtilitas,omnem orationis fidem excedere videtur,vt miran dum non ſit,quanam de cauſſa,cũ alioqui multæ ſint in Bauaria lautiſsimæ vrbes, hanc potiſsimum ſibi ſedem ac domicilium Illuſtriſsimus Dux,cum lectiſsima ſua coniuge delegerit. Sed & delectationẽ longè maximam exhibet,id,quod in ipſa arce,editiore loco conſtituta,idem ille iam cõmemoratus Illuſtriſſimus Gulielmus Bauariæ Dux,vnicum noſtri ſæculi decus,virtutisq; exemplar, ſummus rerum delectabilium & extranearũ admirator,bonorumq; ingeniorũ fautor,& alumnus,iam nuper inſtituit, dum præcipuas eius arcis aulas & conclauia,venuſtiſsimis picturis,antiquis ac recentioribus ſtatuis mirificè exornat. Dumq; locum,alioqui non magno vſui deſtinatum,recreationi, & oblectamento delegit, adiutus tã amœniſsima ſitus natura,quàm arte & induſtria ingenioſiſsimi viri,multigena arte eximij, Friderici Suſtris,origine Batavi, natione Itali,qui eum ipſum locum quotidianis laboribus, & miris inuentionibus ſuis,exquiſito ornatu illuſtrat,dulciſsimo fontium vndiq; diſcurrentium murmure;diuerſarum auium ſuauiter cantillantium volatu, & garritu, nympharum ſtatuis, picturis, herboretis, & eiuſcemodi denique delitijs plurimis ad oblectationem & voluptates peroportunis:vt magnificis proinde laudis & honorum elogijs dignus ſit,& Illuſtriſsimus Princeps,& ingenioſiſsimus, taliq; Principe ac Mecœnate dignus inuẽtor & artifex. Huius demum vrbis deſcriptionem nobis communicauit Georgius Hoefnagell, Mercator Antvverpianus,qui ad pacis,non ad belli artes natus,rumores belgicos fugiens, perluſtrata Italia,pacifico Principi Alberto Bauariæ Duci, ſeſe in clientelam dedit, Arti miniatoriæ, qua illum mirificè ſola dotauit natura,pacificè dans operam.

ORIENS

LANDSHV

Sundental

Yser flu.

ALBERTO. D. G. COM: PAL:
RHENI VTRIVSQ; BAVARIÆ DVCI.
VNICO NOSTRI SECVLI MVSARVM ALVMNO
A DELITIIS.
DEPING. GEORGIVS HOEFNAGLE ANTVERPIAN.
VIRTVTE DVCE MAGISTRA NATVRA.
MONACI. A°. CD. D. LXXVIII.

PATAVIA.

BOIAM siue Boiariam, ſicuti Annales tradunt, Nariſci, Vindelici, & Norici inhabitarunt populi, qui nunc Bauariæ appellatione innoteſcunt. In ſuperiorem & inferiorem diuiditur. Superior Alpibus, Auſtroq; ſubdita, ob paludes, lacus, ſyluasq; vmbroſas, grata venatoribus exercitia, pecoribus læta pabula præbet. Inferior autem, quia fertilior, & amœniſsimis diſtincta fluminibus, nempe, Danubio, Iſara, Lauaceo, Illiceto, &c. maiore etiam incolarum, & nitidiſsimarum vrbium frequentia, colitur, & exornatur. Inter præcipuas autem Patauia ſiue Patauium, vulgo Paſſaw/Ptolemeo & antiquitatum inueſtigatoribus, Boiodurum, etiam Bœdurum. Vrbs ampla, elegans atque clariſsima, in infima, inferioris Bauariæ parte ad Auſtriæ initiũ, in vtriuſque nimirum Prouinciæ confinio, inter Danubij & Oeni confluentes, peninſulæ inſtar, loco commodiſsimo pariter, amœniſsimoq; ſita. Epiſcopali, cui paret, cathedra, & ampliſsima, quæſtuoſiſsimaq; omnis generis commerciorum negotiatione admodum celebris. Tam præſtanti ſiquidem ad negotiationem ſitu ob fluuiorum, lociq; oportunitatem excellit, vt, quemadmodum ob rapidiſsimorum fluminum concurſum, Lugdunũ in Gallijs, Gandauũ in Flandria, quæſtuoſa negotiatiõe floret: Ita hoc Germaniæ tractu, eodem nomine præcæteris vrbibus commendetur. Patauia Hinc etenim omnis generis merces, vel ex Atheſina Prouincia, & Oenana valle, per Oenũ flumen, vel ex vicina Boiemia, cùm per Illicium, nauigio, tum per montana, iumentorum tergis, aut ex omni reliqua Germania, per Danubium in Auſtriam, & vicinas regiones copioſiſsimè deportari ſolent. Inter Danubij & Oeni confluentes, nõ ſecus ac peninſula, loco commodiſsimo pariter amœniſsimoq; ſita. Porrecta eſt autem Patauia, ob montium eorundemq; nemoroſiſsimorum vicinitatem in longum tota, ab Occidente nimirum in Orientem ad paſſus bis mille ac centum, fluminibus, montibus, ac ſyluis, tanquam natiuo muro, ab omni parte concluſa. Danubium à Septentrione fere habet, vnde infra arces Epiſcopales, tertius fluuius in Boiemico nemore natus, Ilicius dictus, arcem Hals, perueteri comitatu, & Lichtenburgenſium Landgrauiorum titulo celebrem, præterfluens, ac paulo inferius peculiarem ciuitatulam, vulgò Jllſchs Stadt/conſtituens, affluit, ibidemq; ilicò deſcendenti per Bauariam Danubio aſſociatur. Oenum fluuium amœniſsimũ lympidiſsimumque, qui Noricos à Rhetis, & Auſtrios à Bauaris ſeparat, quique ab vrbium, quas præterit plurimas, incolis potari etiam ſolet, à meridie haber. Hi paulo infra ciuitatem, loco, vulgariter Ort/quaſi finis vel terminus, dicto, congrediuntur, ambo equidem vndoſi, ambo nauigabiles. Danubius lentus ac ſegnis. Oenus, rapidus, celer, & propter Formbacenſes, à vicino cœnobio ſic nuncupatas, cataractas, impetuoſior. Qui maximo hic impetu, in Danubianas irruit aquas, vt longiſsimo ab his ſpatio abſorptus, alueum quaſi peculiarem obſeruet, quemadmodum ex diuerſo vndarum colore, longiſsimo tractu conſpici poteſt. Porrò vrbs Patauienſis tota, antiquitus eiectis è Norico Boijs, à quibus condita creditur, Romanorum, vniuerſum Noricum olim tenentium, Colonia fuit: Et Battauorum populorum, qui Battone Duce, cum Pannonibus bella geſsiſſe legunt, eſt dicta Colonia. Poſtea verò à Bauarorum Duce, Theodone primo, magnanimiter recuperata, ac tandem Imperatorum munificentia, eius loci Epiſcopis donata. Patauienſis verò appellationẽ, etſi alij à Batauis, quos Hollandos nunc dicimus: Alij, à Batauis caſtris, Et item alij, Batauorum incomparabili duce, Sorano, qui in Pannonijs ſub Imperatore Aelio Adriano Auguſto, bella geſsit, alijque aliunde deriuent; quod ipſis equidem in hac rerum obſcuritate, tuendũ relinquo: Tamen ex Germanicis duabus vocibus Paſs & Aw/ quarum prior Traiectum, altera, Inſulam ſignificat, natam, & à Latinè loquuturis pro Paſſaw & Paſſauia, Patauiam dictam, mihi equidem dubium non eſt. Id namque vetus loci ſitus pulchrè atteſtari videtur. Certum nanque eſt, Danubium, qui nunc vno tantum alueo Patauiam præterfluit, duos olim eodem loco conſtituiſſe alueos, vnum anguſtiorem, rectaq; ſecundum montium vicinorum pedes defluentem, veluti nunc totus defluit verſus Ilicenſe oppidum; Alterum verò ampliorem, in dextrum latus, à minore auerſum, (cui teſtimonium perhibet area antemurana, Ad arenas, vulgò, Am Sandt/ dicta) natura per illam terram ductum fuiſſe, quam hodie mœnibus ciuitatis incluſam, ſub S. Pauli Parrochiali templo, vicinoque Tilileto, & ea ciuitatis pars, (quæ noui fori appellatione nota eſt) & inferior Marca, quæ S. Nicolai oratorio hodie ſubeſt, latè occupat. Et congreſſum Oeni cum Danubio, eo ipſo extitiſſe loco, qui Oenanæ ciuitatis ſupremæ parti, ſeu initio, ac Boiodurenſi riuo, prope quem traiectus erat, rectè eſt oppoſitus, vbi ſacellum D. Andreæ antiquitus (ex quo S. Nicolai monaſterium poſtea natum) ſitum fuit, hodie adhuc ſaxis infixi ferrei annuli, & intuſa foramina, quibus naues alligabantur, ac funes nautici inſerti erant, monſtrare poſſunt. Sic Danubius duobus iſtis alueis, inſignem tunc temporis conſtituebat, ac egregiè ſpacioſam inſulam. In quam ab Ilicenſi oppido, ponticulus erat ſublicius. Hæc inſula, cuius is quoque meminit, qui ſancti Seuerini vitam conſcripſit, iumentis oppidanorum ſufficientiſsima præbens paſcua, patria lingua ab ipſis Aww appellitabatur, prout vſitatum eſt Germanis Inſulas, Augias, quemadmodum peninſulas Vuerdas, cognominare: fuiſſeq; ponticulum ſupra minorem Danubij alueum, teſtatur domus honeſti ciuis, honoratiq; ſenatoris Thomæ Aigneri, quæ prima eius loci, & piſcatoria fuit domuncula, vt antiquitus, ita adhuc hodiè Am Steeg/hoc eſt, Ad ponticulum dicta. Fuiſſe verò & inſulam illic, quæ Ilicenſibus, ac Boiodurenſibus oppidanis paſcua præbuerit, teſtabitur præter D. Seuerini encomiaſten, alia inſuper domus, Monaſterio S. Crucis Niderburgenſi, (quod in infima ciuitatis parte eſt) vicina, Vaccarũ lapidis titulo, inſcripta, & noſtrate lingua, Am Rhueſtatn/nominata. Iam verò hoc etiã nemo inficiari poteſt, ex Boioduro, (quæ nunc Oenana ciuitas eſt) prope D. Seuerini ſacellum, per confluentes traiectum fuiſſe, ad eum fere locum, quem inferiorem Marchiã hodiè vocãt, vicum nimirũ ſub antemurano S. Nicolai oratorio conſpicuum. Eum traiectum Accolæ Paſſagiũ vulgari lingua Den Paſs/Et alij, Den Paß an oder gegen der Aww/nominare ſoliti fuerũt. Cumq; poſtea in Inſula ciuitas condi inchoaretur, nomen ei à traiectu, & ab ea ipſa inſulari planicie (vt Paſſauw & Latinè Paſſauia, ab alijs verò euphoniæ gratia, Patauia tandem diceretur) contigiſſe omninò veriſimile eſt. In hac autem Patauienſi vrbe, Archiantiſtitis quondam ſedes fuit, quæ inde Caroli Magni, & Arnonis Epiſcopi Salisburgenſis temporibus, praxi quadam, quæ multarum deinde contentionum fomenta ſuppeditauit, Salisburgenſi Epiſcopatui aſsignatur. Quanquam nihilo minus, Carolus ille Magnus, licet eius translationis vt plurimum auctor fuerit, liberalitate tamen regia vtramque & Laureacenſem, & Paſſauienſem complexus eſt Eccleſiam. Atque deinde Arnulphus Imperator ex Romanorum Rege creatus, & Carolo Craſſo patruo ſuo in Imperio ſuccedens, tertio Imperij ſui, Chriſti verò DCCCLXXXIIII. vel, vt alij, DCCCXCVIII. VVinchirdo Archiepiſcopo Patauienſi, totam hanc vrbẽ Patauienſem, vna cum integro telonio, cum vtriuſq; ſexus mancipijs, molendinis, piſcationibus, vineis, omnibuſque, & quibuſcunque alijs rebus ad eam ciuitatem pertinentibus, & quas ipſe vel in vrbe, vel extra eam, tanquam proprium poſſedit, dono dedit. Ad hæc Otto Imperator donat Chriſtiano Epiſcopo Patauienſi, omnibusq; ſuis ſucceſſoribus, eiuſdem ciuitatis mercatum, bannum, monetam, telonium, & totius publicæ rei diſtrictum. Ab Arnolpho itaque Imperatore, ad hæc vſque tempora, Vrbs Patauienſis Epiſcopis ſemper ſedes fuit, eiuſq; loci Epiſcopo immediatè ſemper ſubiecta, illique omni mero & mixto imperio ſubdita eſt. Quemadmodum & hodie Reuerendiſsimo, & Illuſtriſsimo Principi ac Do. Domino Vrbano, è perueteri ac nobili equeſtri familia Bauarica Trenbachia, Rodolphi optimi, & nobiliſsimi viri filio, ſingulari, debitaque obſeruantia, vti Principi, atque adeo Parenti ſuauiſsimo paret. Quæ hoc præſertim nomine felix & beata politia cenſenda eſt. Quod ſi enim Platoni, eæ fœlices exiſtimantur Reſpub. quarum moderatores aut Philoſophi ſunt, aut vitæ duci, animique culturæ Philoſophiæ operam nauant: Iuſtioribus de cauſis eæ hominum ſocietates, atque Reſpublicæ beatiſsimæ nuncupandæ veniunt, quibus diuina fauente clementia, viri philoſophia non fucata & ſuperſtitioſa, ſed ſancta & religioſa Theoſophia illuſtres contigerunt rectores, his præſertim turbulentiſsimis temporib. in quæ funeſtarum ſeditionum & hæreſum maturitas erupit. Fœlix itaque Bauarorum Patauia, cuius clauum eiuſcemodi gubernator nunc tenet, moderatur, & regit, qui his facultatibus atque ſcientijs præſtat, quarum præſidio plurimi ad optatum ſalutis portum peruenerunt. Qui rerum Eccleſiaſticarum, ſtudiorumque cura minimè intermiſſa, ædificia, vetuſtate collapſa tam eximiè reparat, atque reſtaurat, vt multo præſtantiora illa, quàm prius vnquam fuerunt, reſurgant, veteremque magnificentiam atque ſplendorem multis modis nunc ſuperent. Nam primarium vrbis templum, ædificijs longè magnificis ſplendidiſsimisq; exornando, ſimul & religionem fouit, & vrbi Patauienſi decus addidit. Antiſtitum quoque Palatium anguſtioribus ante limitibus comprehenſum, ædificiorum nitore, imprimis verò turri viſenda, ingenti pecuniarum ſumptu adauxit, quæ ſua ſe pulchritudine effert, & in tantam ſublimitatem exſurgit, vt ex ea veluti ex ſpecula, vniuerſa Patauia conſpiciatur; quam bibliotheca inſuper omni librorum genere inſtructiſsima, exornauit. Quis verò Cathedralis Baſilicæ ornamenta hîc referat, cuius faſtigium ad multos cubitos in cælum euexit, vnde maxima luminis abundantia in fanum ipſum diffunditur: pauimentum autem elegantiſsimo opere, nobili ex marmore conſtrauit. D. Stephani inſuper Protomartyris magnificam & admirandam noua ſtructura effecit baſilicam, vt ſpectaculo videntibus exiſtat. Epiſcopatum denique, grandi pecunia & alieno ære varijs in loci spreſſum, munificentia, & liberalitate ſua redemit, poſſeſsionibus inſuper & prædijs quibuſdamadau xit, &c. Deus opt. Max. tantum virum, ad Reipub. Chriſtianæ ſalutem & Patauienſis Eccleſiæ ſplendorem, quàm diutiſsimè incolumem tueatur.

SEPTEN TRIO.

PASSAW.



Patauia, Passauia, siue Patauium, quondam Boedurum, vulgò Passaw: Vrbs inferioris Bauariæ florentiß. Danubij, Oeni, Illiceti fluminum propinquitate, nobilis. Cuius accuratißimà delineatione Reuerendiß: Illustrißimus q. Princeps ac Dominus, D. Vrbanus, Prænobili & Equestri Trenbachia familia clarus Patauiensium Antistes, ornamẽtu ac decus operi nostro Geographico plurimum splendoris et ornamenti clementissimè contulit. Anno C. CIↃ. IↃ. LXXVI.

1. Pirch tor	11. Zum heilig Creutz	21. S. Gertraut	A. Die Statt Passaw.
2. Zum heiligen Geist	12. Niderburg	22. Ihntor	B. Ihnstatt
3. Die Wehr alt statmaur	13. Im Orth der Stat	23. Das vnder thor	C. Ilzestatt Schloß.
4. S. Iohans Spital	14. Ihn Thor	24. Anger tor	D. Oberhauß des Bischofs
5. S. Pauls pfarr	15. Ihnpruckh Thor	25. S. Elspet siech.	E. Das Niderhauß
6. Capitel hoff	16. Das thor zu Stadl	26. S. Iacob	F. Anger
7. S. Stephan Thomstifft	17. Das mitl tor im Ort	27. Eckhen toll	G. S. Nicla Aug: Clost:
8. Bisschofs hoff	18. Thor am Vessmarkgt	28. Bey vnserm hern	H. Hackhelperg Bischofs
9. Rhathauß	19. Donau thor	29. S Barthlme	I. S Seuerin
10. S. Michell.	20. Das ober Ihnstat	30. Fleisch hauß.	K. S. Egidij pfarr.

SALTZBVRGVM.

SALTZBVRGVM, perauguſta Bauariæ vrbs, eruditæ ſcriptorum turbæ Iuuauia; Auentino autem veterum diplomata eò oſtentanti, Ptolemęi Pœdicum; cum eam adpellationem vicinum vrbi pagum, etiamnum retinere cõfirmat. Franciſcus demum Irenicus, Gamanodorum, quemadmodum & Badacum Ptolemæo exiſtimat. Vrbs eſt decenti murorũ ambitu, turribus & propugnaculis cincta, & tam publicis, quàm priuatorum ædificijs culti ſima: Regia quodam ſedes & domicilium fuit, quando & ſuperbiſsima, ex marmore Fanorum ſtructura, præ cæteris caput extulit vrbibus. Præſtitit hoc maxima fluminis, ſitusq; opportunitas, de qua hunc in modum Munſterus. Germanos Iulius Cæſar aggreſſurus, in faucibus montium arcem munitiſsimam extrui curauit, vt milites ad eam refugium, & ſatellites iuuamen haberent, Et inde Caſtrum Iuuauenſe, Germanicè **Helffenberg** appellatum eſt. Fluuius quoque, cui adiacet, Iuuarius dictus, arci nomen dediſſe, à quibuſdam putatur, à qua & ciuitas inde condita, Iuuauia dicta eſt. Cum autem ciuitas olim floruiſſet, temporibus Attilæ Regis, Hunnorum ſuſtinuit incurſiones, vaſtationes, & incendia. Poſteà circa annum Salutis D XL. cum D. Rupertus, ex Regia ſtirpe Francorum ortus, V Vormatienſem rexiſſet Epiſcopatum, & poſt obitum Regis Childeberti, à ſede V Vormaciẽſi pulſus eſſet, Theodo, Dux Baioariorum, Ratiſponæ eum cum gaudio ſuſcepit, baptizatusq́ue eſt ab eo, vna cum Proceribus, & populo. Et circumiens Rupertus epiſcopus, per Noricum, vſq; Pannoniam, prædicansq́; Chriſtum, plurimos ad fidem eius conuertit. Veniens autem ad Iuuarium fluuium, vbi olim Iuuauia ciuitas fuerat, ſed tunc collapſa, virgultis operta, & deſolata, contemplansq́; locum cathedrali ſede idoneum, proprietate eius à Duce obtenta, extirpatis arboribus & vepribus, repertisq́; ædificijs, Baſilicam in honore D. Petri conſtruxit. Quin & cœnobium ordinis S. Benedicti, cum munificentia Ducis inſtituit, & Epiſcopatui annis XLIIII. præfuit. Nunc Archiepiſcopatu inclareſcit Saltzburgum, qui primæua quidem inſtitutione Laureaci, tum Patauij, ac rerum demùm viciſsitudine, huc tranſlatus fuit: Cuius quidem immutationis paulò altiùs initium referre libet. Certiſsimis hiſtoriarũ monumentis conſtat, Laureacum, præclaram & populoſam Norici vrbem, eo ipſo partim loco, in ſuperiore Archiducatu Auſtriæ, ſupra Danubij & Aniſi confluentiam ſitam fuiſſe, vbi hoc tempore Anaſianum oppidum, quod vulgo Ens nuncupari ſolet, conditum viſitur. Ea vrbs Laureacenſis, ante incarnationem Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, Ethnicorum Archiflaminum Metropolis fuit. Anno verò, poſt virgineum partum, reparatæ noſtræ ſalutis, circa quadrageſimum ſeptimum, à D. Petri diſcipulis, ac legatis viſitata, abrogatis Ethnicis omnibus Idolomanijs, ad ſynceram Chriſtianæ fidei profeſsionem conuerſa, Chriſtianorum Protoflaminum Metropolis deſignata eſt. In huius eccleſiæ miniſtros, cum antea ducentis ferè annis ſynceram Chriſtianæ veritatis recens per Chriſtum & Apoſtolos patefactam doctrinam latiſsimè propagaſſent, Imperatores Philippi pater & filius, multa non obſcura liberalitatis indicia contulerunt. Huic etiam Laureacenſi eccleſiæ, Anno Domini CC LXXXVIII. poſt alios S. Quirinus præfuit. Philippi Imperatoris regenerati ipſius, & ad Chriſtianam fidem conuerſi Filius, ei, poſteaquam pater crudeliter in fata conceſſerat, omne ſuũ patrimonium (cuius termini per Pannonios & Maſios patebant) munificentiſsimè aſsignauit. Labentibus deinceps annis, Noricis & Boijs, ob diuerſas Imperatorum in Chriſtianam plebem perſecutiones, ſolum vetere coactis, tandem verò recollectis viribus ſua recuperare, ſeq́ue in priſtinam libertatem contra Romanos, auctore & Duce Theodoro Bauaro, homine ſtrenuo & formidabili, aſſerere cupientibus, omnia bello ferroq́ue æſtuabant, vt nullus prædationum & cædium modus fuerit. Hoc bellum tempore Theodori Archiepiſcopi Laureacenſis, qui anno 524. vita exceſsit, exarſit. Diruto & expugnato Laureaco per Theodorum, magnaq́ue vndiq́ue ſtrage facta, in exulcerato iſto rerum ſtatu, archiepiſcopalis ea ſædes Paſſauium tranſlata eſt. Primus itaq́; Erehenfridus, anno 570. in Choriepiſcopum & Decanum Laureacenſem ſuffectus eſt. Poſtea etiam Patauienſis ciuitatis & eccleſiæ Archiepiſcopus, tempore Heraclij anno Domini D XCVIII. conſtituitur. Increſcentibus alijs temporibus (vt rem in pauca contraham: Non enim omnium Archiepiſcoporum res geſtas, aut nomina enarrare, noſtri muneris eſt) defuncto quodam V Valderico Archimyſte Paſſauienſi, & Laureacenſi, Arno, Salisburgenſis Epiſcopus, de Pallio conſequendo ſollicitè cogitans (fretus ope & auxilio Caroli Magni, qui eius in legationibus opera plurimum vſus fuerat) à ſummo Pontifice Leone, multis nominibus contendit, vt Archiflaminis dignitatem in eum ſuoſq́ue ſucceſſores conferret, cuius precibus Pontifex acquieuit, eumq́ue, & ſuos ſucceſſores hoc pallio Chriſtiani philoſophi decorauit. Ita Archiepiſcopalis dignitas Anno D CC XCVIII. de Patauia & Laureaco (vbi à primordio Chriſtianiſmi ſedem fixam hactenus tenuerat) Salisburgum tranſlata eſt. Quæ res maximum diſcordiarum incendium excitauit, fuitq́; fomes multarum litium, quæ quidem poſteà non ſine maximo totius Bauariæ detrimento extinctæ & conſopita eſt, Pontifice & Imperatore pacem concilian-

tibus.

Saltzburgk

DER SALTZA FLV

1. Das Furstlich Schloß.	11. Ainsidel.	21. Der Alm flus.	31. Klausen thor.
2. Das Kloster Nimberg.	12. S. Peters Kloster.	22. Der Frawgart.	32. Miln.
3. Das Nuntal thor.	13. Munch Berg.	23. Kirchgaß.	33. Sebastin.
4. Kumpfmil thor.	14. Frawen hoff.	24. Rathauß.	34. Pfar.
5. Khiemset.	15. Der Thum.	25. Das Klauber thor.	35. Nimberg.
6. S. Nicola.	16. S. Michel.	26. Das Schlos.	36. Siech hauß.
7. Pfeffer gaß.	17. Aßhof.	27. S. Johan.	37. Zu hoff.
8. Im Kay.	18. Dwang.	28. S. Andre.	
9. Dschuel.	19. Juden gaß.	29. Spital.	
10. S. Margreth.	20. Die Marckt.	30. Der Burger Thurn.	

RECENS, ET ACCVRATIS/
SIMA VRBIS SALISBVR/
GENSIS DELINEATIO.

TRIDENTVM.

Vrbis Tridentinæ per Paulum Gerardinum elegans & accurata descriptio.

VRBEM Tridentum, ad Athesim, loco amœno, & salubre positam, quam in decima Regione Italiæ inter populos Mediterraneos, Plinius & Strabo collocant, Gallos condidisse scribit Trogus, alij Ethnicos, qui Duce Rheto in Alpibus sedes figentes, Rhetiæ nomen dedere, sed auctam post fuisse à Brenno, Duce Gallorũ. Vt vt se res habet, ciuitas est perantiqua, quæ à Primordio varios sortita gubernandi modos, tandem Imperij Romanorum, cui diu subiecta fuit, inclinatione, cessit Ostrogottorum potentiæ, quorum Rex Theodoricus, vt regnum suum ab eo latere tutius redderet, cinxit eam muro è lapide quadrato, vt etiamnum licet videre, non ineleganter, complexus circiter mille passus, forma propemodum arcuata, munijtq; Castellum Verrucæ, ex altera fluminis ripa, Tridento imminens. Post electis ex Italia Ostrogottis, subiugarunt hanc ciuitatem Longobardi, titulóque Ducatus Imperio suo subditam, tenuerunt. Sed & his cum eorum Rege Desiderio à Carolo Magno profligatis, postliminio ad ius redijt Imperatorum, ex quo initium opibus amplificandæ Ecclesiæ Tridentinæ. Nam Carolus Ripam oppidum ad Benacum, Valles quasdam, & Iurisdictiones pro sua in Deum pietate, atque Ecclesias munificentia, Episcopo largitus, & præclare de hac ipsa Ecclesia est meritus, & successoribus suis Imperatoribus, Regibusq; Romanorum præbuit documentum liberalitatis. Sed supra cæteros eminuit liberalitas Conradi Saxonis, eius nominis II. Imperatoris, & Franciæ orientalis Ducis, qui Comitatum Tridentinum, seu Ducatum, seu Marchionatum, ité vallem venustam, ac Bolzamum Ecclesiæ huic donauit, ius profanum, quod temporale vocant, sacro, & spirituali coniungens; quam donationem deinde ratam habuerunt Sueuici sanguinis Imperatores, Fridericus primus, & secundus. Habiti sunt de hinc Episcopi Tridentini Principes Imperij, ijsq; ab Impp. diplomata (Regalia appellãt) vt cæteris Principibus data. Et vt huius tam insignis Ecclesiæ status perpetuo tutior, securiorq; persisteret, adscitus est ei defensor, & protector vicinus Comes Tyrolis, cuius potentia, atque auctoritas ipsi Episcopo & Ecclesiæ ad omnes casus esset præsidio. hoc onus vt alacrius susciperet Comes, ornatus fuit ab Episcopo beneficijs minimè vulgaribus, Castris videlicet, atque Iurisdictionibus: ex quo inter ipsos Comites & Episcopos ad totius Prouinciæ, & dominiorum securitatem, nata est mutuò succurrendi, atque auxilium ferendi necessitudo. Exercet itaque Episcopus præter spiritualem iurisdictionem etiam temporalem, quam acceptam fert Imperatoribus, quos solos, ac supremos ea in re dominos agnoscit, & honorat. In spiritualibus porrò est illi Metropolitanus Patriarcha Aquilegiensis. Et quanquam ciuitatem Tridentinam antea spectabilem multa reddebant, vt templum Cathedrale operis exquisiti, sancto Vigilio Episcopo & Martyri consecratum, Collegioq; Canonicorum, vel Nobilitate generis, vel doctrina Illustrium, ipsius Episcopi liberam electionem habentium, insigne: & in quo Sancti huius, atque eius matris sanctæ Maxentiæ, aliorumq; sanctorum corpora, & reliquiæ præcipua in veneratione habentur; vt, item in templo Diui Petri, quod Germanorum est, B. Simonis pueri ante annos centum à perfidis Iudæis martyrio coronati corpus, multis miraculis clarum: vt, Arcis, quam Episcopus inhabitat, magnificentissima, regijq; palatij in modum structura: vt, ædium priuatorum elegantia & commoditas tanta, quantam in nulla alia Ciuitate mediocri, qualis est hæc, reperiri affirmant illi, qui plerásque orbis regiones, Ciuitatesq; peragrarunt: vt riuuli, plateas omnes silice concinnè stratas perenni decursu irrigantes, atque immunditiem omnem abluentes: huic tamen Ciuitati tantum addidit celebritatis, sacrum, & œcumenicum superioribus annis in ea habitum, finitumque Concilium, vt propterea inter præcipuas Europæ Ciuitates meritò debeat numerari. Est quidem alpestris huius Regionis situs, sed tamen præter aeris miram salubritatem, ijs abundat ad viuendum commoditatibus, vt paucis, æquali magnitudine Regionibus debeat inuidere. nam frumenti, olei, lactis, carnis tam altilis, quam ferinæ, piscium quoque & omnis generis fructuum ea hic est præstantia, atque copia, vt VII. S. R. E. Cardinalibus, inter quos quinque erant Sedis Apostolicæ legati, III. Patriarchis, Archiepiscopis XXXIII. Episcopis CCXXXV. Abbatibus VII. ordinum generalibus VII. Theologis, tum secularibus, tum Regularibus CXLVI. Ferdinandi Cæsaris, tam Imperij, quam Regnorum suorum, Hungariæ, & Bohemiæ nomine, Regum Galliæ, Hispaniæ, Poloniæ, Portugaliæ, Venetorum, Ducum, Bauariæ, Sabaudiæ, Florentiæ, aliorumq; Ecclesiasticorum Principum: Item Heluetiorum VII. Cantonum oratoribus, eorumq; familijs, quæ in vniuersum quatuor millium Capitum numerum excedebant, cum omnium admiratione commeatus, aliáque ad sustentationem necessaria suppeterent. Gens ipsa hospitalis est & aperta, iras quacunque de causa conceptas facilè remittens, in quo Germanicam ingenuitatem refert: quæ si, quo valet ingenio, id ad publicam rem priuatáque amplificandam conferret studiosius, futurũ esset, vt Ciuitas hæc propter ipsius situ, fluminisq; opportunitatem, vicinas opibus vel superaret, vel certè æquaret. Argumento est, quòd, qui hinc aggressi peregrinis in Regionibus versantur, alij optimarum disciplinarum egregia cognitione, alij virtute bellica, militiáq; officijs etiam primarijs, alij negociatione, alij alijs bonis rationibus, & rem, & existimationem non parum auxerunt. Ac fuerunt inter eos omni tempore viri, & sunt, qui vel propter sacrarum, & Ciuilium legum, vel artis Medicæ scientiam: hi Imperatorum, Regum, aliorumq; magnorum principum tuendæ sanitati periti custodes accersiti; illi, iuri dicundo, legationibus, alijsve honestissimis muneribus præfecti, laudem magnam retulerint, hodiéque similibus ex functionibus referunt. Præter ius commune habent Tridentini leges municipales, quas eisdem episcopus tanquam ipsorum Princeps, confirmat. Vtitur ciuitas hæc Idiomate Germanico, & Italico, vtpote ex his nationibus cõflata, quanquam longe sit maior numerus Italorum. Et quod in Ciuitatibus limitaneis perrarum est, tanta est vtriusque sermonis puritas, vt vel in media Germania, vel Italia vix audias purius loquentes. Portas habet quatuor, sancti Martini, sancti Laurentij, sanctæ Crucis, & Aquilanam. Xenodochia quatuor. Parochias item quatuor, sancti Vigilij, sancti Petri, sanctæ Mariæ Maioris, & sanctæ Mariæ Magdalenæ. Monasteria in ipsa Vrbe duo, sancti Augustini, ad sanctum Marcum, virorum, & ad S. Trinitatem, mulierum obseruantium. In suburbio quinque, Cruciferorum, sancti Dominici, ad sanctum Laurentium, sancti Francisci Conuentualium, & alterum obseruantium ad sanctum Bernardinum. Item S. Claræ ad sanctum Michaelem. Numerat Ecclesia Tridentina à Iouino primo Pastore, & Episcopo instituto à S. Hermagora eiusdem Ecclesiæ fundatore, nunc Nonagesimum septimum Ludouicum ex Baronibus Madrutij, in ipso episcopatu oriundum, S. R. E. Cardinalem, apud sedem Apostolicam Nationis Germanicæ Protectorem; virum in quo siue doctrinæ in Theologia, ac Philosophia, omnibusq; liberalibus disciplinis excellentiam, siue rerum maximarum vsum, siue pietatem in omnes, siue denique religionis Catholicæ amplificandæ studium spectes, nihil queat desiderari; licet aliquot ordine sequentes ipsum Iouinum sine mitra Episcopali præsiderint huic Ecclesiæ. Inter Episcopos præcipuè celebratur memoria sancti Vigilij, doctrina, martyrio, & miraculis clari, cui dicatum est templum Cathedrale, & anniuersarium festum VI. kal. Iul. institutum. Et quanquam ecclesiæ huius opes magna ex parte temporum iniuria sint diminutæ, manet tamen adhuc illi dominium Ciuitatis, & eius Prætura subiecti Territorij. Oppidorum Ripæ, Trameni, Pertini, & Leuigi. Vallium item Nauni, seu Annaniæ, Solis, Lagarinæ, Iudicariarum, Flemarum, & Randenæ, in quibus vallibus permultæ sunt parochiæ populatæ, & Arces, Nobilium virorum sedes. Ecclesiæ huius beneficiarij seu vasalli etiamnum sunt, Comes Tyrolis, Dux Mantuæ, Comites Archi, Comites Lodroni, Comites de Lichtenstein, Barones de Mandrutio, de VVolkenstein, de Vvelsperch, de Firmiano, de Spauro, de Payrsperg, Nobiles domini de Gresta, de Biseno, de Thono, de Artzio, de Clesio, alijq; cõplures, Castra, iurisdictiones, Decumas, Prædia, Possessionesq; ab Episcopo in feudum recognoscentes. De Tridenti etymo sic scribit Printius in historia sua Tridentina: coniectura est, à tribus torrentibus ex propinquis montium iugis prope Vrbem cadentibus, Tridentum, quasi torrentum vocatum fuisse, quorum vnus per portam Aquilæ in mœnia delatus, angusto alueo per mediam vrbem Athesi cõmiscetur; alius qui Fersina appellatur, muros præterlabitur, tertium paulò longius delabentem, Saletum nominant. Alij existimant à tribus dentibus appellatum, quia inter tria montium cacumina positum sit. Sunt, qui à Tridente illi nomen datum fuisse disputant, quòd ea Ciuitas à principio fuerit Neptuno dicata: quod vt facilius persuadeant, verisimili vtuntur argumento. aiunt enim, sicuti Randenenses Saturnum, ita Tridentinos Neptunum coluisse, quem Deum Tridente vsum fuisse fabulata est antiquitas, ad hanc coniecturam validum adferunt testimonium. affirmant enim, eo in latere templi D. Vigilij, quod forum respicit, extare lapidem, vt licet videre, vetustissimum, & aliqua in parte corrosum, in quo cernitur Tridentis forma, quo facilè ducimur credere, Neptunum olim à Tridentinis, vt Deum cultum fuisse, atq; inde vrbem nomen traxisse.

TRIDENTVM.
TRIENTO.

IL CASTELLO.
Le stalle del Vello
Porta di S. Martino
Borgo di S. Martino
ADICE FIVME.
S. Lorenzo.
Ponte coperto
La Fontana
S. Marco
S. Pietro
Le Beccarie
Mercato
S. Benedet.
Contrada larga
Sacrato del Domo
S. Vigilio
Il Domo
Strada longa
La portella
Porta di S. Lorenzo
Molini
S. Ber.
S. Francesco
Piazza di la fiera
S. Chiara
S. Croce
Porta di S. Croce
ATESINE FIVME.
Prato del Palazzo
Palazzo del Cardinal di Trento di Madrizzo.

VERONA.

VERONA, Cenomanorum vrbs in Gallia Cisalpina, siue, vt hodie vocãt, Lombardia, à nobilibus Thuscis initio cõdita, & à Vera, nobili Hetrusca familia, Verona denominata, vti Cato, Semproniusq; scribunt, ac deinde pulsis, ac profligatis suis sedib. Thuscis, à Cenomanis refecta, & aucta, vt Liuius & Trogus testantur. Venetorum ditionis vrbs, vt Strabo. lib. V. amplissima; vt Martialis scribit, magna, cum inquit, Tantum magna suo debet Verona Catullo, Quantum parua suo Mantua Virgilio. Tacitus, lib. XIII. Coloniam validam appellitat. In vtraq; Athesis ripa, magnificè exstructa, & pontes quatuor, ripas ipsas cõiungunt. Qui quidem (vt Virgilius eum vocat) Athesis amœnus, vt Veronam pene mediam diuidit, sic eandem quoq; circumquaque cingit; itaque hodie vrbi custodiæ, ornamento, & vsui est. Qui eum quondã non intersecabat, verùm prope mœnia labebatur, Veronam ipsam ad ortum Solis relinquens. Quod apertissimè patet ex fundamento latissimo muri, per medium Athesin deducto, non procul à ponte Castri veteris quod & hyemali tempore decrescente aqua, conspicitur. Cuius etiam plurima inuenta fuêre vestigia. Præterea anno 1512. amnis ipse adeò excreuit, vt aquarum exuperantium æstuoso impetu, pars murorum fossæ castri veteris fuerit deiecta, prope templum D. Zenonis, &, nisi tot murorũ obstacula fuissent, alueum repetiisset antiquiorem. Scribit etiã Paulus Diaconus, Athesin fluuium tantũ excreuisse, vt circa Basilicam D. Zenonis, quæ apud Veronenses vrbis muros sita est, vsque ad supremas fenestras aqua pertingeret, sed, vt B. Gregorius Pontifex perhibet, in eandem Basilicam minimè penetrauerit. Verona etiam, à priscis veræ religionis cultoribus, Parua Hierusalem vocitata fuit; Siue verè similitudinem quandam cum ciuitate sancta, situ, & murorum ambitu perspexissent, siue impositis ijsdem nominibus, certis quibusdam locis, religionis zelo, erga ciuitatem sanctam pie fuisse affecti viderentur. Hinc vallem illam ad montem, cui castrum D. Petri subiacet, Dominicam appellauêre: mõtem verò, cui mox Rochi sacellum nomen dedit, Caluarium dixêre, tresque in eo cruces, ex imitatione erigi, ac constitui voluêre. Propè vicina est Aedes, Nazareth dicta. Nec longe D. Ioannis paruum Phanum extat, Bethleem vocatum. Inde parum distat sepulchrum. Propter quæ omnia, & qui plebiscita municipalia condidêre, Paruam Hierusalem appellauerunt Veronam. Quæ situ est optimo, iuxta colles, qui ad Austrum conuersi sunt, colonis lautis, ac nobilibus ædificijs, magnificis, ac splẽdidis, inter quæ peruetusta Cathedralis ædes, eximiaq; D. Anastasij sodalium prædicatorum. Habet multa insigniaq; vetustatis monumenta, inter quę Amphitheatrum, quod vulgus Arenam vocat, iuxta forum Boarium, plane admirabile & stupẽdum opus, inter omnia, quæ in Italia, alijsq; Europæ partibus extare creduntur, integerrimum, minusq; temporum iniuria, aut Barbarorũ furore laceratum. Vt autem incredibilis huius amphitheatri capacitas, ab ijs, qui eiuscemodi nunquam conspexerunt opera, penitius cognoscatur, placet ex lib. 2. de amplitudine vrbis Veronæ, ex Torello, pauca quædam excerpere. In gradibus, inquit, ipsis amphitheatri, hominũ 23184. sessionem commodam signari potuisse, comperitur, cuiq, hominum, spacio pedis, cum dimidio, attributo, demptis etiam portarum spacijs, vt per eorum commensurationem colligi potest. Capacitas enim supremi gradus, in circuitu perticarum CLXXXIII. reperitur, medij autem vigesimi primi à superiori descendendo, perticarum CXLII. cuilibet portarum latitudini assignatis pedibus quinq;, cum sesquipede, quæ cum numero XLVIII. sint, passus XLIIII. in se continent, quo numero duplicato, sic altitudine ipsorum duorum graduum existente, exeunt Perticæ LXXXVIII. Gradibus itaq; omnibus, à primo, ad vltimum reductis ad computum medij, Perticæ 5796. reperiuntur, sicq; spacio pedis cum dimidio, cuilibet homini assignato, 23184. hominibus, commoda, in hoc Amphitheatro sessio datur. Hæc ille. Conspicitur item Veronæ arcus Triumphalis, in cuius inscriptione, ea ipsa, COLONIA AVGVSTA VERONA NOVA GALLIENIANA, nominatur. Quin & alia quamplurima vetustatis indicia ac visenda monumenta, in vinarijs ciuium cellis, & subterraneis locis quotidie hactenus inuenta sunt, & etiamnum frequenter offenduntur, vt numismata, vitra, vrnę, lampades, frusta quamplurima simarum, coronarum, denticulorum, stylobatorum, epistyliorum, argutissimè elaboratorum, cæterarumq; huiusmodi molium, viuo ex lapide, & ex pario marmore mirificè sculptorum. Et, quod mirabile visu fuit, cum propugnacula in hac vrbe à Venetis ædificarentur, quo tempore Verona, pulsis Germanis, recepta fuit, in fossis, quæ tunc excauabantur, innumerabiles speluncæ, & cauernæ reperiebantur, quasi tophus ille, iuxta quem Fons est, qui à Ferro nomen habet, per hasveluti casas habitaretur. Aliud insuper hoc loci, admiratione maxima dignũ, videre fuit. Cum eodem namq; in monte foderetur, spectabantur Echini lapidei, Paguri, conchæ, cochleæ, ostrea, Stellæq; pisces, auium rostra, & id genus alia passim multa. De quibus quædam in indice commentabimur. Aëre Verona tenui gaudet, gens perlauta, magnifica, splẽdida, iucundo aspectu, ingenio summo, maximeq; ad literas idoneo: rebus omnibus, non solum ad vitam mortalium necessarijs, sed etiam ad delitias, & voluptatem vtilibus abundat. Fundatissimas alit familias permultas. Agro est optimo, frumenti, vini, olei, cæterarumq; frugum maxime fertili. Vellerum quoq; copia pernobilium affluit, vnde maximũ incolæ faciunt quæstum. Plura de florentissima Veronensi vrbe, Leander in Marchia Tarueſina, auido Lectori suppeditabit. Quemadmodum & quatuor peculiaribus libris, Torellus Saraynas, vir præcellentis ac curiosi ingenij, qui de origine, amplitudine, viris illustribus, de dominio, & monumentis antiquis patriæ suæ, peculiari omnium operum commemoratione facta, singulorum etiam picturam, Ioannis Carotti, graphidis peritissimi opera, repræsentans, tanta diligentia scribit, vt ne curiosissimus quidem, in ea narratione quidpiam desiderare queat.

49

MAGNIFICA ILLA CIVITAS VERONA

1. Castellum S. Felicis
2. Castellum Vetus
3. Castellum S. Petri
4. Villa Franca
5. S. Mantua

COLONIA AVGVSTA VERONA NOVA GALLIENIANA.

VERONA, celeberrima, amplissimaq; Cenomanorum vrbs, Ptolemeo; Euganeor, Plinio; Germanis vero, Dietrichs Bern

AMPHITHEATRVM IN FORO BOARIO SIT VM

PISAVRVM.

PIsavrvm elegans Piceni vrbs, cuius quidam adpellationem ab Isauro amne, quo alluitur, addita P. litera, formatam existimant, conditamque à Romanis anno eorum vrbis D C XXXIII. posteaque Coloniam ab ipsis effectam, cum Mutina, Parmaque, vti Liuius tradidit. Inter hos Colonos fuisse Lu. Actium Poetam Tragicum, parentibus Libertinis natum, Eusebius scribit. Nec defuêre, qui Farnatiani castelli, Pisauro finitimi, nomen, æuo nunc corruptum, ab Actio manauisse, tanquam prius Actianum sit dictum, existimarint. Vnde antiquitus quidam hanc vrbem Farnacianam adpellatam prodidisse videntur, sed meherclè, vehementer aberrant; aliter enim ac Pisaurum à nullo auctore classico, nominatam constat. Liuius multis in locis Pisaurum memorat, maximè, cum Ful. Flaccum Consulem viam Pisaurensem strauisse, templumque Iouis Pisauri ac Fundis ædificasse, itemque ad Pollentiam adduxisse aquam scribit. Cæsar etiam in commentarijs, alijq; veteres plurimi, huius vrbis fecére mentionem. Dirutam à Totila, refectamque à Belisario, Procopius, & Blondus, auctores sunt. Vrbs nunc est ædificijs lauta & elegans, in qua munitam atque pulchram arcem ad littus Ioannes Sfortia condidit. Et Franciscus Maria, firmis eam mœnibus cingere cœpit. Curiam habet sumptuosam, aliasque præterea nobiles ædes, sed cæli grauitate vehementer laborat, præcipueque mensibus æstiuis, vt adeò pauciſsimi hîc mortales annos quinquaginta superare, nec multi ad eam ętatem peruenire soleant: quamobrem æstuante aëre, potisimeque sub Canicula, tot absumuntur pueri, vt absque ingenti dolore commemorari nequeat, vnde nimirum Catulli illud est ad Iuuentium. Prętęrquam iste tuus moribunda in sede Pisauri Hospes, inaurata pallidior statua. Putamus tamen etiam nos, incolarum huius loci breuem vitæ cursum, non modo ab cæli grauitate, sed etiam à copia fructuum optimorum ac suauissimorũ, quibus immodicè vescuntur, proficisci. Generantur enim hinc in corporibus humores noxij, quos deinde perniciales morbi consequantur, necesse est. Ager vrbis peramœnus & vndique propemodum vitibus, ficubus, oleis, ac alijs id genus arboribus fructiferis refertus est, è quibus cum suauissima vina, tum alij fructus optimi percipiuntur, imprimisque mira copia ficuum, quæ arefactæ, tum huic vrbi vniuersæ sufficiunt, tum etiam exportantur, & apud Venetos, Bononienses, totaque Flaminia magno in pretio sunt. Pisaurum certis anni temporibus ad mercatum Italici, Illyrici aliarumq; partium negociatores conueniunt, propter locum mari conuehendis mercibus valde opportunum. Ingenia tulit magno numero celebria, cumprimis Anduinum summum Medicũ, & Pandulphum Collenutium, Græcis Latinisque litteris, quod eius scripta testãtur, pereruditum. Scripsit de machinę tormẽtarię, quam bombardam vocant, inuentione, item Baretam aduersus aulicos lingua vernacula, cum historia Neapolitani regni. Pisaurius quoque fuit Petrus Barinianus, excellens poeta, superioribus annis defunctus. Extra portam vrbis, quæ spectat in occasum, amnis est Folia, priscis Isaurus appellatus, prętęrquam Plinio, qui in sexta regione Pisaurum, vti & oppidum nominat. Oritur Apennino fonte, iuxta Cotili arcem, mœniaque Pisauri alluit, vbi pons lapideus viam Flaminiam, itemq; Picenum cum regione Flaminia iungit, moxque mari illabitur ostio sæpè arena fluctibus deferentibus adeò completo obturatoque, vix vt exiguas recipere nauiculas queat. Finis Anconitanæ Marchiæ, principiumque Flaminiæ est.

PEZARO.

ORIENS.

Neular Cas tello.

MARE ADRIATICVM vulgo GOLFO DI VINETIA

S. Domenico

BEL VEDERE

FOGLIA

ISAVRVS.

PISAVRVM
vulgo
PEZARO.

DEPINGEBAT GEOR.
HOEFNAGLE.

ORIVETVM.

ORIVETVM, Mediterranea Thusciæ ciuitas, sita est in excelsi, præcipitisque montis, spatiosa in vertice planitie, sine muris, quorum vice rupibus vndique præruptis, altisque cingitur, naturâ hoc modo creatis, vt ex summa crepidine despectum in ima, perquàm horribilem habeant. Cœlo est iucundissimo, præter quàm autumnali tempore, quum in amne finitimo Palea, cannabis solet macerari: tum enim aër, eo fœtore corruptus, colonis permolestus est. Templum hîc sumptuosissimum, cuius frontem pernobiles ex marmore statuæ, summorum artificum operis elaboratæ decorant. Inter cætera est historia costæ Adamo extractæ, ex qua summus conditor Euam figurauit. Hæc tanto artificio facta sunt, vt haud putem humano ingenio vinci posse. Templi fenestræ alabastreticæ sunt, non aliter, ac vitrum perlucidæ. Seruatur hîc magnis honoribus linteum, quod Bolsenæ miraculo magno sanguine est intinctum, ex hostia sacrosancta stillante. Id quotannis, die, qui corpori Christi festus agitur, per vrbem, ingenti cum religione deferunt, memoriæ tanti miraculi causa. Sunt hîc ædes splendidissimæ ab Vrbano V. Pontif. Maximo factæ. M. LXVII. post C. N. anno. Vrbs frequens olim admodum fuit, cæterùm auorum nostrorum memoria, partibus Muffatorum & Marcolinorum pernicioſissimis desolata propemodum, per plurimas illarum inter se cædes, expulsionesque: quanquam extinctis deinde factionibus, paulatim inter res pacatas, satis se tum populo, tum opibus refecerit. In planitiem hîc præcipiti via deuenitur ad Paliam, qui amnis à Catone Pelia vocatur, & infra Oriuetum in Tyberim cadit.

LAVRETVM.

IN Piceno, inter Ricinetum & mare, haud procul à Musone fluuio, inclytum toto Christianorum orbe Fanum, in colle D. Mariæ Lauretinæ iacet, fortissimo muro cinctum cum vico, quem ferè caupones, stabularijque, ac diuersorias tabernas exercentes, incolunt, ad eos, qui quotidie ex omni Europa, præcipua tamen frequentia primi veris & autumni temporibus, huc, votorum causa veniunt, excipiendos. Initium de hoc delubro scribendi vnde potissimũ facere oporteat, equidem ambigimus, ob excelsam loci religionem summamque magnificentiam: Attamen cùm illius sanctissimi conclauis in mentem venit, in quo nata educataque cœlorum Regina, semper Virgo Maria, mater filij Dei, ac vbi nunciante Gabriele Archangelo genitrix Dei adpellata, item vbi in ipsa carnem hanc nostram ærumnosam assumpsit Deus, quò nos à Tartarei Sathanæ tyrannide, ac potestate ad regni cœlestis portam, quæ tot sæculis, ob primorum parentum noxam occlusa steterat, traduceret; de illo, quanquã dignè haud posse, satis propter ingenij nostri tenuitatem intelligamus, tamen pij curiosique Lectoris gratia, breuiter aliquid commemorare instituemus. Primùm omnium haudquaquam dubitare oportet, hoc illud ipsum conclaue esse, in quo mundi regina in lucem edita; quandoquidem, præter grauissima, scriptorum hac de re, ac item, vti ab Angelis huc deportatum sit, quæ leguntur testimonia, nemo tam duri cordis, aut sceleratus esse potest, quin ingressu mollescat, ac seipsum diuina quadam vi, & instinctu moueat, ad locum honorandum, precesque ad Diuam, vt pro venia suorum criminum apud Iesum Christum velit intercedere, fundendas. Præterea verò id miracula confirmant, hîc diuinitus edita, quibus mortales Matri Dei supplices, votorum compotes facti, & etiamnum quotidie fiant; vt euidenter monumenta scriptorum, statuarum ex auro, argento, cera, picturæ, aliaque similia, quæ per multas ætates & sæcula, huc delata, suspensaque cernuntur, indicant. Etenim omnia hîc à Deo miraculosè facta, sigillatim recensere, quæ eiusmodi sunt, vt ijs incredibilia videantur, qui Deum Optimum Maximũ dulcissimæ Matris precibus, haud permoueri existimant, non solùm infinitum planè foret, verùm etiam perfectè nullo fieri studio, facultateque posset: ideoque hîc nobis consistere visum: orandaque sanctissima Dei genitrix, vt quod à me, vti oportebat, ac debiti erat mei, non laudatur, id benignitate condonet sua. Aedes hîc est magnificentissima, cuius in medio conclaue sacrosanctum, conclusum muro crasso, sic tamen, vt humanum opus diuino coniungi nunquam poterit, quemadmodum apparet, eo scilicet documento, id haudquaquam esse dignum, vt quos Christi Mater tetigit, parietes, contingat. Fanum totum mœnibus fortissimis, & omnibus armorum cùm ad defendendum, tum ad feriendum generibus, itemque tormentarijs machinis, instructis, munitum est, ne à piratis iterum, vt olim à Turcis, diripiatur, ac vastetur. Auctores huius operis fuêre Alexander VI. Pontif. multoque magis Iulius II. etiam toto vico muris complexo, vt nunc tutò hîc Canonici, & Sacerdotes, in fano sacris operantes, cum cætera plebe habitent.

ORVIETO.

S. Agostino
S. Domenico
S. Giouanni
Palazzo di S. Andrea conservatorij
Torre del papa.
S. Francesco.
S. Maria
Vescouato.
Palazone
S. Maria di Serui
La Rocca.
Porta Vrbana

ORIVETVM vulgò Oruieto Thusciæ, nobilissimæ Italiæ Regionis Opp.

LAVRETVM.

Mons Anconitan.
Strada
Torre di Romana

LAVRETVM, aori Recenatēn in Italia celebre Oppi: a D. Mariæ antiquissima ibi sita æde illustratum.

TYBVR.

TYBVR, venusta Latij vrbs, vulgo Tiuoli, olim etiam Herculea vocitata, vt auctor est Strabo, quòd Herculem præcipuè Tyburtes colerent, eoq; certa quotannis festa die, maxima populorum multitudo conflueret, vt ait Perottus. Quinetiam Cataracta nuncupata legitur, ob vicinas loci angustias, vnde fluuius Anio præcipitat, vbi primum nauigabilis esse incipit. Amnis enim ille, per nemora vsq; descendens, ibi ex editissimis rupibus, in subiectam conuallem delabitur, ac post in Tyberim intrat, vti etiam à Strabone perscriptum est. Liuius plurimis in locis memoriam Tiburis vsurpat, præsertim verò, cum bella Tyburtium, & Romanorum, pacemq; compositam inter eos refert. Et Ouidius in fastis inquit: Aspice Tybur. Posterioribus sęculis, Imperij Romani maiestate collapsa, florens etiam huius vrbis fortuna perijt: à Germanis enim euersam, etsi post, à Friderico Aenobarbo muris ampliata restitutaq; sit, didicimus. Arcem ibi, quæ nunc est, munitissimam, Pius II. Pont. Max. extruxit, cuius aditum Ioannes Antonius Campanus, Episcopus Aprutinus, homo doctus hoc disticho exornauit. Grata bonis, inuisa malis, inimica superbis Sum tibi Tybur, enim sic Pius instituit. Cœlum habet temperatissimum. Quapropter superioribus sæculis aulæ Romanæ Primores hîc æstatis feruentissima tempora soliti fuerunt exigere. Famam Tyburis Sibylla Albunea, Tyburtina cognominata, quòd iuxta fontem Albuneam, propè Tybur esset nata, plurimum illustrauit. Eam hîc ad Anionem diuinis honoribus cultam reperimus, in quo amne postea simulacrum eius, librũ manu tenens, inuentum est. Simplicij quoq; Pontificis Rom. patria Tybur fuit. sed & alios præterea multos excellentes summosq; viros genuit, quorum omnium commemoratio, nisi longissimè fieri haud posset. Inprimis tamen Vincentius Leoninus fuit, qui diu summa cũ laude, bellica studia sectatus est, & fratrẽ habuit Ecclesiæ, sua in patria, moderatorem sapientissimum. Extra Tybur altissimis in iugis, fons est, Albunea, quem sic ab aquæ qualitate dictum, ait Seruius in horum Virgilij versuum expositione:

———Oracula Fauni
Fatidici genitoris aditus, Lucosq; sub alta
Consulit Albunea, nemorum quæ maxima sacro
Fonte sonat, sæuamq; exhalat opaca mephitim.

Addit etiam Seruius, sub alta Albunea dici, quòd fons præcelsis in montibus sit: à quibusdam etiam Leucotheam vocari; præterea non solùm fontis, sed etiam syluæ circumiectæ nomen esse Albuneam. Infra Tybur, haud procul, multa vetustatis inueniuntur monumẽta, interque cætera, marmor insigne, quo Leo cum equo tam apertè cõmissus exprimitur, vt vera viuaq; pugna videatur. In læua, propinquo loco iuxta pedem montis, ruinę apparent mirificæ, ac peringentes, villę Tyburtinę, quã Adrianus Imperator immensis sumptibus ædificauerat, ita, vt in ea, & Prouinciarũ, & locorum celeberrimis nominibus inscriptis, veluti Lycium, Academiam, Pritaniũ, Canopum, Pœcile, ac Tempe partes vocaret, inquit Spartianus. Circũ Tybur Latomiæ sunt, vbi lapis Tyburtinus, de quo Plinius etiam meminit, cæditur. Ex hoc & ex Gabio, maior splendidorum ædificiorum pars vrbis Romæ constitit. Subiecta Tyburi planities, propter Anienem plurimis aquulis gelidis scaturit, quas Albulas vocant, multa medica virtute, cum potæ, tum balneo adhibitæ, pollentes, vt scribit Strabo. Nomen Albularum ab coloris albedine captum, quam metallum sulphuris, vnde fontes promanant, efficit. Quamobrem ita Martialis:

Itur ad Herculei gelidas, quà Tyburis, arces,
Canaq; sulphureis Albula fumat aquis.

Similes natura sunt Labanis, in agro Nomentano, ac item alijs, circa Eretum aquis, vt Strabo perhibet. Ad viam præterea, qua Tybure Romam itur, quibusdam in locis candentes generantur lapilli, dulciarijs condituris, velut amygdalarum, coriambri, anisi, cinamomi, ac id genus alijs, simillimi, adeò quidem, vt non nisi à prudentibus discerni queant.

TIBVRTVM vulgo TIVOLI.

MERIDIES.

Jl domo.

A.

B.

Bina huiusmodi Egiptiaca ex porfido marmore Idola Tiburti conſpicua ſunt.

A. *Templum Sibillæ Tiburtinę hodie nullo ſeruiens Vsui*

B. *Flumen Tiuerona cuius mirabilem naturam ac quietum (ſtagni iuſtar) ſub Jngentibus rupibus excitum Abrahamus Ortelius ac Georgius Hoefnagle ſtudioſe viſum eunt Jᵃ Febru: 1578*

Mirabilis Stupendiq; in Oppido Tiburtino Tiueronæ fluv. Lapsus. (cascatam vulgo vocat Jtalus) Repreſentatio.

DEFING. GEORGIVS HOEFNAGLE.

VELITRAE.

VELITRAE, antiquissima Latij, in Italia vrbs, in monte, mœnibus vndique cincta, venustissimo situ conspiciendam se exhibet, & non ædificia tantũ præclara, turrigerasq́; sacras Religioni ædes, sed & arua, pomaria atq; vineta ambitu suo complectitur. Quondam honestissima Volscorum vrbs, vt Halicarnassensis pluribus in locis indicat, præsertim autem, vbi cum Liuio Velitrenses, à Martio Rege Romanorum obsessos, & spe destitutos auxiliorũ, in deditionem venisse commememorat. Velitras quoq; Strabo & Ptolemæus nominant. Plinius Veliternos. Et Volaterranus scribit incolas huius vrbis aut Velitrinos, aut Veliternos, appellari posse. Oppidum Velitras alibi quoq; Dionysius à Romanis captum, subactosq́; Volscos, & alio loco lib. VII. Velitrinos se populo Romano dedidisse narrat, posteaq́; cladem Volscorum ingentem, eo potissimum argumento cognitam, quòd Velitris vrbe frequentissima, vix decimam populi partem à pestilentia superfuisse constiterat, paucos autem illos Romam legatione missa, ciuitatisq́; suæ calamitate Senatui exposita, eam in populi Romani potestatem tradidisse, refert. Liuius lib. VIII. Velitrinos seueriſsimè punitos scribit, quòd antiqui ciues Romani, toties defectionem tentauissent: diſsectos enim vrbis muros, optimatibus expulsis, & vltra Tiberim cõmigrare iussis, hac lege, ne citra flumen vnquam mille passus excederent, transgressoresq́; vel multam penderent statutam, vel in vincula ducerentur; ne verò desolaretur vrbs prorsus, colonos imposuisse nouos, à quibus dein, pristinæ formæ restituta fuit. Nomen, cũ ab antiquitate, tum ab Augusti maioribus hinc ortis, habuit. Populo nunc satis frequens est. A Plinio lib. XIV. Veliterna vina, cum primis laudãtur. Iucundissimus ex hac vrbe patet prospectus ad varia in vicinia loca, eruditorum scriptis celebria. Thyrrenum hinc mare videtur, Pontia & Palmarola insulæ; Pontinæq́ue paludes (de quibus plura in Indice.) Celeberrimus itidem Circæus ille mons, in quo quondam domus Circes. De quo hæc Plinij sunt verba. Circes quondam insula, immenso quidem mari circundata, si creditur Homero, & nunc planè. Clitarchus huic Insulæ mensuram posuit stadia LXXX. qui auctor, vrbis Romæ Anno CCCC. LX. scripsit. Strabo montem Circæum nominat CCXC. stadijs ab Antio, mari propinquum, ac partim eo, partim paludibus insulæ modo cinctum. Idem hoc; Virgilij in loco, Circeæ raduntur littora terræ, Seruius notat, addens, paludes in continentem pertinentes, amnium, ex monte Albano descendentium, limo tandem obductas, expletasq́ue. Dionysius lib. IV. Circeos locum oportunum ad mare situm, promontoriumq́; Thyrreno imminens, scribit. vbi Circe Solis filia dicitur habitasse. Fuit in eo quondam oppidum, sacellumq́; Circes, & Mineruæ ara. Strabonis etiam ætate, poculum ibi ostendebatur, quo bibisse dicebant Vlyssem. Mons efficaciſsimis herbis abundat, quarum vi, Circen homines in bestias cõ mutauisse ferunt, & socios Vlyſsis, quem hospitio exceperat, mutasse in porcos. Vti Virgilius, Carminib. inquit, Circe, socios mutauit Vlyſsis. Circæum Promontoriũ etiam Ptolemæus depingit, in quo ciuitas parua Circæum, Tarquinij superbi colonia, loco in Pomptinis campis totius Latij maximis, peroportuno, vt Halicarnasseus, & Liuius prodidere, qui præterea à multis alijs in locis, Circæi montis, oppidiq́; mentionẽ faciunt. Posteriore ætate oppido collapso, munitiſsima ibi arx condita, tutum antiquis Pontificibus à Tyrannorũ sæuitia refugium, vti anno post C.N. M.C.XX. sicut à Blondo scriptum est, Gelasio II. Pontifici contigit. Facius de hoc monte, sic ferè loquitur:

Aspice montem illum, vbi commorabatur
Circe frequenter, incantationibus vacans,
Ad stellarum, lunæq́; lumen.

VELITRAE VVLGO BLITRI.

A. B. E. C.

A *Mons Circeus vbi Circen habitasse fabulantur Poetæ*
B *Pontia Insula*
C *Mare Tyrrhenum*
D *Pontinæ paludes*
E *Palmarola Insula*

DEPINGEBAT GEORGIVS HOEFNAGLE.

SEPTENTRIO.

TERRACINA.

TERRACINA, Antiquiſsimum Latij ad mare Thyrrenum oppidum, Pomptinæ paludi quondam hoc loco celebri, imminens, mari, priſcis temporibus circumfuſum, vti Solinus teſtatur, & in hodiernum vſq; diem agnoſci poteſt. fuit enim primæua fundatione in monticulo, conuallibus vndique cincto, per quas aquæ marinæ diffundebantur, ijs verò deinde terra paulatim oppletis, nunc continenti collis hæret, vrbsq; ad litus inferiori loco ædificata eſt. Ciuitas eſt exigua, ſed frequens, & honeſta: agro gaudet fœcundiſsimo, amœniſsimoq;, vitibus, citris, limonibus, & id genus arboribus abundante. Ad nomen quod attinet, an Terracina, vel Tarracina ſcribi debeat, optimos quoſq; auctores, vtroq; dixiſſe modo reperitur. Strabo, Mela, Liuius, Antoninus, Cæſar, Ptolemæus, alijq; plurimi ſcriptores, Terracinam vocant, & Polybius Terracinenſes commemorat. Sed Tacitus, Solinus, & Procopius, Tarracinam nominant. Olim Anxur, lingua Volſcorum, eorũdem caput, vt Plinius, & Cato ſcribunt. Strabo Trachynam ab initio vocatam perhibet, id eſt, aſperam, propter montẽ ſaxoſum, in quo fuit poſita. Græcis enim, vt Herodoto, τραχὺ aſperum ſignificat. Liuius etiam Anxur, dicit, inquiens: Anxur, trecenti in Coloniam miſsi ſunt, bina iugera agri acceperunt. Seruius in eo Virgilij loco, Circeumq; iugum, queis Iupiter Anxurus aruis Præſidet, Iouem Anxurũ in hac Campaniæ parte, quondam cultum ſcribit, ita dictum, tanquam ἀνυξυρᾶς, id eſt, ſine nouacula, quia barbam raſiſſet nunquam, ideoq; ſignum eius imberbe fuit. Lucanus de Anxure: Iamque & præcipites ſuperauerat Anxuris arces: & Martialis ad Fauſtinum: ô nemus, ô fontes ſolidumq; madentis arenę Littus, & equoreis ſplendidus Anxur aquis. Item, pòſt, ad Frontinũ, Anxuris æquorei, placidos Frontine receſſus: & Silius: Quis Circæa iuga, & ſcopuloſi verticis Anxur. Terracinæ quoq; nomen auctores plurimi poſuerunt, in primis Liuius multis locis, prętquam; vbi ſpolia & prædam huius oppidi, cauſſam ab initio fuiſſe ſtipendij, militibus dati, prodit, in hanc ſententiam. Fabio ad Anxuris iuxta paludes (Terracinam poſteriores vocarunt) obſidionem profecto, ſimulq; capiendę vrbis expoſita ratione, Seruilius Hala, mox cum tribus cohortibus eam obſidere incipit. Eæ, colle quodam occupato, qui vrbi imminebat, cũ inde in muros euaſiſſent, maximumq; iam vrbis diſcrimen Fabius animaduerteret, edicto vetuit in oppidanos ſæuiri, bonis tamen eorum direptioni permiſsis: qua in re, cum paritum Imperatori fuiſſet, ideò poſteà militibus æra dari cœperunt, quod ante diem illum, in vſu nõ fuerat. Alibi quoque ſcribit, militum manum in montis anguſtijs, ad Lautulas, non procul Anxure conſediſſe, dein pugnatum ibi, poſt, ſub Aſdrubalis in Italiam aduentum, vrbem hanc immunitate donatam; inſuper alibi, angues immenſæ magnitudinis, piſcium modo iuxta portum Terracinæ colludere viſos, memorat. Suetonius Tiberium Imperatorem, in prætorio propè Terracinam cœnantem, ægrè repentinum ſaxorum lapſum, quo multi amicorum eius, & familiarium attriti ſunt, effugiſſe ſcribit: quam rem etiam Tacitus memorat. Terracinæ Palmarius conſul interfectus, quòd cædem in Adrianum moliretur, vt Spartianus ſcribit, qui & portum Terracinenſem ab Antonino Pio refectum prodidit. Tranſcurrit hac ad Terracinam vrbem Appiana via, quæ Roma Brunduſium ducit, maiori nunc ex parte paludibus ſubmerſa; quamobrem Roma Neapolim euntibus, ad eius læuam, verſus Terracinam in editiora paullum deflectere, neceſſe eſt. Strabonis ætate perelegans fuit. Traianus ſilice per Pomtinam paludem ſtrauit, pontibusque multis per foſſas & aquarum vias coniunxit, plurimis etiam ædificijs ad tutelam eius extructis, vti à Dione monumentis eſt proditũ. Erat olim iuxta viam Appiam foſſa profunda, perpetuis aquis, tum paludium, tum amnium vicinorum plena, per quam Terracina Romam nauiculis commeabatur. Eas ſub noctem conſcendebant, ſummoque mane in Appiam egrediebantur, qua dein ad vrbem deueniebant terra. Erat hæc via ſumptuoſo opere facta, ſpondylis elegantiũ lapidum artificioq; tanto compoſita, vt ad decimum quemq; pedem, quæ pertica vetus fuit, & noſtros pedes XII. efficit, lapides ſinguli medio pede præ cæteris eminerent, decempedæq; menſuram demonſtrarent. quæ quoq; ex tranſuerſo erat latitudinis. Monumentorum veterum ad hanc viam vtrinque, tum veſtigia, tum ingentes ruinæ, quin & integra etiam ædificia multa cernuntur. Iuxta fuerunt hæc olim municipia, Terracina, Formiæ, Minturnæ, Sinueſſa, Item pars agri Tarentini, Brunduſiniq;, ac alię multæ vrbes, de quibus plura Leander.

VETVSTISS. AD MARE THYRRHENVM
TERRACINAE OPPIDVM.

A TERRACINA olim dicta. ANXVR
B Monasterio di S. Angeli.
C THeatrum quadratum
D Antiquissima Arce hodie dicta la Rocca della Citta.
E Mare Thyrrhenum
F Via Appia Neapolim versus
G DIVersorium, Hosteria.

DEPING. GEOR. HOEFNA.



MOLA

MOLA, in Latio ad Appiam viam, à C. Caligula Silice ex Olibano monte, ſtratam, & vndiq; peramœnis hortis ornatam, longus, & perelegans vicus, A molarum, vt pleriq; exiſtimant, frequentia dictus, quas hìc è montium radicibus continuò profluentes, aquæ verſant. locus eſt, mę hercule peramœnus, horti vndique cultiſsimi, citris, limonibus, alijsq; nobilibus arboribus conſiti, omnia quoque riuuli puriſsimarum aquarum grato murmure perfundunt, & paſsim in habitationes magna cum voluptate ducuntur. Fuit hic, vt ait Volaterranus, Formianum Ciceronis, de quo ille lib. 2. de Oratore ſcribit, Lælium ferè ſemper cum Scipione ruſticari ſolitum, eosq;, quoties huc ex vrbe, tanquam è vinculis euolauiſſent, incredibiliter repueraſcere eſſe ſolitos. Multitudo ſane veterum monumẽtorum, & marmorum ſimiliter inſcriptorum, prætereaq; veſtigia magnarũ domuũ, olim hunc locum valde frequentatũ comprobãt. Et profectò, cæteris Italię peramœniſsimis iure debet annumerari; quamobrẽ & à Martiale deſcribitur huiuſmodi carmine.

O temperata dulce Formiæ littus,
Vos cum ſeueri fugit oppidum Martis,
Et inquietas feſſus exuit curas
Apollinaris, omnibus locis præfert.
Non ille ſanctæ dulce Tybur vxoris
Nec Thuſculanos, Algidóſue ſeceſſus,
Præneſte nec ſic, Antiumúe miratur,
Non blanda Circe, Dardaníſue Caietæ
Deſiderantur, nec Marica, nec Liris,
Nec in Lucrina lota ſalmacis vena.
Hic ſumma leni ſtringitur Thetis vento
Nec languet æquor, viua ſed quies ponti.

Spatio deinde P. M. V. Caietam vſq;, per ſinuoſam Caietani littoris oram, eadem via ſumma cum voluptate, amœniſsimi cernuntur horti, citris, limonibus, & id genus arboribus frequentes, aquulisq; lympidiſsimis irriguì, ad initium vſq; promontorij, cui inſidet CAIETA, quod Laconico vocabulo à curuitate nomen ſortitum exiſtimant. Lacones enim curua omnia, Caietas adpellabant. Solinus tamen auctor eſt, ſic ab Aeneę nutrice nominatum, quod etiam teſtatur Virgilius, inquiens: Tu quoq; littoribus noſtris Aeneia nutrix, Aeternam moriens famam Caieta dediſti: quem in locũ Seruius annotat, alios hanc Aeneæ nutricem, alios Creuſæ, alios Aſcanij dicere. Lectum tamen etiam in philologis, hoc loco claſſem Troianorũ caſu concrematam, indeq; Caietam ἀπὸ τῆ καίειν dictam, quòd accendere, adurereq; Latinis ſignificat. Verumenimuero Landinus in eoſdem Virgilij verſus aliter ſcribit, tradere quoſdam, olim, vbi nunc Caieta, modicum fuiſſe caſtellum Epicæ, ſic ab Epica vrbe Herleæ vocatum, Caietæq; mentionem etiam Homerum facere, cæterum prætereà concludit nihil. Sed auctorum melior pars, Virgilio conſentit, vti quoq; Facius, hac ſententia ſcribęns:

Vidi vbi Catillus poſteà vixit,
Quàm Thebas reliquit, & in vrbe fui
Cui Aeneæ nutrix, nomen adhuc præſtat.

Caietam quoq; Silius adpellat, & Ptolemæus, alijq; claſsici auctores: vbi portus ſemper celeberrimus fuit, ampliſsimè, vt Spartianus perhibet, ab Antonino Pio refectus. Vrbs eſt munita cum primis, & arcem habet inuictiſsimam ſummo in monte, quem ſuperioribus annis muro cinxit Ferdinandus Arragonum & Neapolitanorum Rex, Gallis ductu auſpicijsq; Conſalui Ferrantis è regno pulſis. Epiſcopus vrbi datus propter Formias à Saracenis exciſas. Plurimum eam Gelaſius II. Pontif. illuſtrauit, item ætate noſtra Thomas Vionius prædicatorum familię generalis magiſter, & poſt à Leone X. Põtif. Cardinalis creatus. Multa vir ille cum theologica, philoſophica, logica, tum de cõſcientiæ caſibus ſcriptorum monumentis prodidit: & profecto parem, aut ſecundũ aliquem, neq; noſtra memoria, neq; multis anteactis ſæculis habuit, quanquã nec æmulis caruerit multis. Obijt Romæ poſt C. N. M. D. XXXIIII. anno. Elatus vti monachus, quod ipſe iuſſerat, abſq; pompa funeris, & apparatu Cardinalitio, monumentoq;, conditus extra portã magnam Mineruæ ad dextrã, quod ipſe viuus ſibi poſuerat, cum hac inſcriptione; Thomas de Vio Caietanus Cardinalis S. Xiſti, ordinis prædicatorum. Vitã eius Ioan. Baptiſta Aquilanus tam proſa, quam carmine perelegãter ſcripſit. Maximis cladibus non ſemel obrutã Caietã didicimus. Ingẽs ibi clades anno à C. N. 1394. contigit, quãdo à Gallis direpta laceratáq; cũ ingenti oppidanorũ cæde. nec enim aut ſexus, aut ætatis, aut religioſorũ penetraliũ diſcrimẽ habitũ. Multis prętereà poſt id tempus in hunc vſq; diẽ regni Neapolitani mutationib. conuulſa quaſſataq; vrbis, cæterũ fide Ferdinandi regis Arragonum, Caroliq; V. dein Imperatoris Auguſti conſtantiſsimè pertinaciſsimeq; ſemper hæſit. Hæc de Caieta.

SEPTENTRIO.

TV QVOQ; LITTORIB⁹ NOSTRIS ÆNEIA NVTRIX ÆTERNÃ MORIENS FAMÃ CAIETA DEDISTI.

Æneid.

MOLA

CASTEL NOVO.

VIA Tirrhe

Georgius Hoefnagle elegantissimi ad Mare Tyrrhenum CAIÉTAE prospectus depictor

Abrahamus Ortelius studiosus Contemplator admiratorq; Itineris Neapolitanici comes Jucundissimus

CAMPANIAE FELICIS
DELICIÆ.

QVONIAM nusquam toto terrarum orbe, alma rerum parens, dominaq; natura, eius clementissimo gubernatore ita cœli benignitatem disponente, plures delicias, gaudia, oblectamenta, amœnitatesq; incredibili vbertate, quàm in Campaniam illam fœlicem, potissimum verò in Baianum, Puteolanumq; sinum profudit? Adeò, vt hoc loci potissimum, cum summa spectantium admiratione, amœnissimę orbis terrarum deliciæ, luxuriantisq; naturæ venustas adpareat; Dixeritq; ille verissimè, Nullus in orbe locus, Baijs prælucet amœnis: Plinius itidem Campaniam appellarit fœlicem, ob fœlicem, beatamq; amœnitatem, qua vno, inquit, in loco palàm naturę gaudentis opus demonstratur. Vt similiter tradiderit Strabo, cum omnium rerum ad vsus humanos affluentia, tum amœnitate iucunditateq; Campaniã omnes Italiæ totius partes, quàm longissimè superare: Idcirco peregrinarum Regionũ & historiarum studiosis, incredibiles Campaniæ verè fœlicis delitias, peculiari descriptione expressimus, vt vnico intuitu, in hæc tanta naturæ luxuriantis miracula visum pandere, fecq; oblectare, atque reficere queant. Ac primum quidem narrationem hanc nostram, à promontorio Miseno ordiemur.

PROMONTORIVM Misenum, siue mons Misenus, Cumis abest miliaribus quinis. Nomen à Miseno Aeneæ socio, qui hic perijt, ortũ, Dionysius auctor est, confirmatq; Virgilius libro 6, Aeneam anxium, vbi raptus fato Misenus humaretur, Achatem consuluisse, demum hoc in loco sepulchrum illi conditũ scribens, vnde monti nomen tum Miseno accesit, cũ prius diceretur Aerius. In hoc monte Pharus olim fuit, altissima nimirum turris, ad cuius è summo vertice noctu prælucentẽ facem, nauigantes cursum dirigerent. Vbi hic mons tribus in mare lateribus excurrens, formam promontorij nancisc̃itur, intimis visceribus adeò perfossus, & cryptis, ædificijsq; fornicatis, quę numerus columnarum maximus fulcit, ac sustinet, excauatus est, vt ijs fornicum pilis incumbere prorsus, & insidere videatur. Cryptam Traconariam vocant, à Traconibus nimirum, id est, fistulis, aut subterraneis meatibus, per quos in specum hunc olim aquæ pluuiæ consluebant.

PROCHYTA Insula, ante Misenum promontorium iacet, terrę motu à Miseno diuulsa, vt lib. 1. Strabo refert, licet idem auctor lib. 5. Et Plinius lib. 3. cap. 6. ab Aenaria distectam scribant, quod & eius nomen ostendit. Prochytam namque Profusam interpretamur. Habet eiusdem nominis oppidum, ac terræ frugibus, perdicumque aucupio nobilitatur.

ISCLA, Arime, Homero; Aenaria, Plinio; Inarime, Virgilio; (licet à plerisq; notetur) Pythecusa, Straboni, et Græcis dicta, à Miseno promõtorio terrę motu & ipsa discreta, vt libro primo auctor est Strabo, cuiusuis generis frugum, & auri quoque seracissima est. Balneas habet plures, & ad delicias, & ad valetudinem æque accommodas.

MARE MORTVVM hoc loci conspicitur. Nam promontorium Misenum, qua Cumas spectat, lacum habet aquæ marinæ, locorum accolæ Mare mortuum appellant, eius aquas, Puteolanus sinus effundit, & olim longe, quam nunc amplior fuit.

Circa mare mortuum vndique plurima sumptuosissimorum operum fundamenta, ac item partes conspiciuntur. Est præter alia descensu graduum 40. in ipsis terræ visceribus admirandum opus, latere, calcęq; factum, quatuor columnarum ordinibus, id est, quintuplici fornicatione. ædificium hoc vulgo Piscinam mirabilẽ appellant. Villa olim fuit L. Luculli Baiana, vbi ille mẽsibus hybernis agere solebat. De qua Plutarchus in vita Luculli scribit, Cam in Lucullano, quod nunc Frascatam vocant, Cn. Pompeius. M. Cicero, multiq; alij nobiles viri L. Lucullũ, æstiuo tempore conueniissent, Pompeium inter cœnã cum Lucullo familiariter ita iocatum, eam villã sibi in primis elegantem atq; sumptuosam, fenestris, cœnaculis, porticib. arte summa dispositis, nimirum ad vsum æstiui temporis, cæterum ad hyemem multitudine fenestrarum vehemẽter incõmodam videri. Lucullum Pompeio respondisse, dominum earum ædium, haudquaquàm minùs sapere gruibus, quæ natura duce, regionem cum tempore mutant, ideoq; domum illam æstati conuenientem, aliã autem in Baiano, nulla parte deteriorẽ, hyemis oportunitati ædificasse. In huius etiam peninsulę visceribus peramplum ædificiũ videtur, quod centũ Camerellas, ab cellularũ numero perarctis, at, artificij maximi ostiolis ingressum difficulter præbentiũ, appellãt. Id quoq; cisternã fuisse colligitur, cuius generis hoc tractu subterraneę multę cõspiciuntur, olim à Rom. qui in hac ꝑcipuè amœnitatis ora, rusticari solebant, ædificatę. Vestigia quoq; passim aliorũ operũ, nempe, monumentorũ, ac ędiũ apparent, vt hercule, perpetua quędã hîc vrbs nõ ville, videantur fuisse.

SINVS Baianus hoc circa mare mortuũ tractu, incipit, qui à Maris mortui faucib. vsq; ad intimã extremitatem Auerni, venustissime extenditur, quo quidẽ tractu, & inde ab Auerno Puteolos vsq; incedenti, tã varię magnificarũ ædium, operumq; tanq; perpetui vici ruinę conspiciuntur, vt equidẽ curiosa ingenia planè cogant obstupescere. Primũ circa Maris mortui fauces, asperrima rupes excauata cernitur, ita vt per eã nunc in sinum Baianum, è Mari mortuo cõmeare nauigia possint. Baiarũ inde vestigia sunt, ingentia nimirũ pelago demersa operũ fundamenta, cuius quidẽ vrbis interitus, à vi terrę motuũ exortus est. Non procul inde Balnea Baiana, quę vocant accolę, Medici verò Syluania, reperiuntur, in ripã nonnihil excauata. Iuxta, eadem in ora litoris, ampla domus ad rupis pedẽ, in saxum excisa conspicitur, vbi BALNEVM TRITVLI Medicis ita dictum, sed vulgo Ciceronianum, ac item Pratense; Ciceronianum quidem, quòd in villa Ciceronis, Academiæ nomine clara, extent. Pratense verò, quòd in prato sit.

CRYPTA supra Balneum Ciceronianum in rupe, graduum aliquot ascensu reperitur, mirabili opere excisa, altitudine pedum 6. Latitudine 5. Sed in longum, sinuoso anfractu plurimum extenta, suauem & iucundum exhalans odorem, quam, si quis erectus ingrediatur, repentè sudabit, si pronus, & ad solum inflexus, refrigescet. vlterius, ad dextram vergenti, aqua purissima, sed penè feruens, & tactu vix innoxia, quam plerique credunt in infimũ balneum occultis vijs diffluere, vulgo Fricatoria & Sudatoria Baiana appellantur, de quibus plura in Indice.

TEMPLVM Herculis Bauli, hîc ferè omissimus, quod trãsitis Tritulinis aquis, ad Auernum montem Orientali latere rotunda forma Plinius demonstrat. Id ad Baianum fuisse sinum Strabonis quoq; narratio probat, cuius etiamnum permagnæ conspiciuntur ruinæ.

LVCRINI, de hinc celebratissimi SINVS, Baianum portum, subsequuntur vestigia, Vbi aggerem, quo mare arcetur (vt perhibet Strabo) Longitudine stadiorum 8. latitudine, qua duo vehicula commeare queant, Hercules, boum Geryonis traducendorum causa, iecit, quoniam anteà propter vndarum, & fluctuum impetus, per oram sinus incedi vix poterat, etsi quoq; super vicinas rupes declinaretur.

MONS SIBYLLAE Cumanæ, hinc longe conspicitur, de cuius habitatione & antro, peculiarem descriptionem exhibemus.

LACVS AVERNVS, poëtis celebratissimus, hinc sequitur, ad quẽ ex Lucrino quondam cõmeare licebat, sed hic transitus conflagrationis Tripergulanæ violentia, prorsus immutatus, atq; conuulsus fuit. Auerni autẽ paludis aqua sapore salsa, colore nigra est, quod ob immensã profunditatẽ accidere putatur, cũ fundum eius imum, nõ posse deprehendi, Vibius Sequester asserat. Eius tamen fundũ à curiosis quibusdam hominibus inuentum fuisse constat, fune scilicet, passuũ 90. quos singulos vlnæ quaternę constituunt, vt sic altitudinẽ stagni 360. vlnarum esse constiterit. Sunt, qui existimẽt dictum Auernum, tanq; ἄορνον, quòd aues superuolantes, odoris eius grauitate concciderent enecatæ, tanquam ad Plutonẽ abriperentur. Indeq; stagnum Plutoni sacrum habitum. Cæterum Abrahamus Ortelius, & Georgius Hoffnaglius Antverpiani, viri eruditissimi, summiq; antiquitatis admiratores, dum superiore anno Baianum, Puteolanumq; sinum, ad visenda tum naturæ, tum arte excitata miracula studiosissimè perquirunt, experientia certa cognoscunt, paludem hãc iam ἄορνον non esse, quemadmodum Auctores permulti prodiderunt.

TRIPERGVLANA Balnea, hîc olim ad Auernum fuêre, ab loci structura sic cognominata, domo nimirum tripartitò diuisa, quòd vna pars cu stodiendis vestibus, altera lauationi, tertia lectis attributa esset. Sed hæc balnea, & frequentissimũ olim, amplissimumq; vicũ, & permulta nobilia ædificia, horribilis terræ motus, & conflagratio stupenda deformans, conuulsit, & maxima montis noui mole oppleuit, vt iam non amplius appareant.

MONS NOVVS, eo loci, vbi quondam Tripergulanus extitit vicus, Anno Christi 1538. mirabili & violenta naturæ operatione vna nocte est ortus, quaterna radicum ambitu miliaria continens, in medio remanente hiatu, latitudinis, vt æstimari poterat, L. passuum. Instar habet Theatri, leniter à summitate cliuo se pandens; intus lacuna est, tanquam area modica, quæ clarissimas aquas continet, fumũ sulphurei odoris exhalantes. Plurima mõs ille Tripergulæ balnea, virtute salutaria, imagnamq; Lucrini & Auerni partem contexit, præterea, marinas etiam aquas haud parum submouit.

PVTEOLANVS iam SINVS nos excipit, in quo ab ostio, quod olim per Lucrinum aquas Marinas in Auernum immittebat, tum in ora litoris, tum intus in continenti, collibusq; versus Puteolos, tam multæ splendidissimorum operum ruinæ conspiciuntur, vt admirationem incredibilem habeant, adeóq; nunc orbis terræ vires, opesq; cunctæ tot operibus extruendis haud suffectũræ videantur.

PVTEOLI, iuxta litus colli impositа ciuitas, à qua Sinus Puteolanus vocatur, Initio Dicæarchiam dictam, nimirum ab administratione iustitiæ, sanctissimoq; imperio, erudita scriptorum turba confirmat. Emporium Cumanorum Puteolos fuisse, posteaq; colonis Romanis admodum frequentes redditos, & nomen à Puteorum multitudine accepisse, vel, vt alijs placuit, à putore, quem hic passim aquæ calidæ, vi sulphuris emittunt, quapropter nõnullis etiam Phlegra vocatus sit Cumanus ager, Strabo memoriæ prodidit. Vrbis medio nunc templum antiquissimũ ex quadrato lapide cernitur, quanquam vi terræ motuum nonnihil deformatum. Id Christiani, D. Proculo dedicarunt. Portus ad huius oppidi pedem valdè commodus & tutus fuit, cuius nunc fermè nulla vestigia supersunt. Contra in mari 13. vastissimæ pilæ turrium instar, ex latere structæ, ac in ijs quibusdam arcus semiruti cernuntur, & aduersum illis pilis, quæ item in æquore iuxta Baias apparent, Pontem ab Caligula Imperatore superiniectum, quo transitus à Puleolano litore vsque in Baianum sinum iungebatur, Suetonius amplissimè memorat.

ORBIS TERRARVM DELITIÆ

NVLLVS IN ORBE LOCVS PRAELVCET AMOENIS BAIIS

LVXVRIÂTIS NATVRÆ VENVSTAE

HIC VER ASSIDVVM ATQ[UE] ALIENIS MENSIBVS ÆSTAS
BIS GRAVIDÆ FRVGES BIS POMIS VTILIS ARBOS.

A. Mare Tirrhenum

B. Promontorium Micenum olim mons aërius, nunc Micenus dictus a Miceno Æneę Tubicine ibi sepulto. Verg: 6: Æneid. In radice huius montis cryptа est stupendi operis quę vulgo grotta Jrachonara appellatur.

C. Prochiita Insula.

D. Ischia insula quę etiam Aenaria et Pithecusa dicta fuit

E. Mare mortuum

F. In Visceribus huius Istmi piscina mirabilis est quam L. Iuculli domus fundamenta fuisse perhibetur Visuntur etiam in hisce rupibus subterranea edificia que vulgo ab Incolis le cento camarelle appellantur, et supra montem locus Ingens est In circuitu Theatri Instar Ingentes ostendens ruinas, vbi olim celebrabantur quinquatria In honorem Mineruę hodie mercato del sabato dicitur.

G. Castrum baianum

H. Sinus baianus

I. Templum herculis, bauli, Vulgo truglio di baie

L. Balneum Trituli, siue frituli.
habet eadem hęc rupis In visceribus cryptam manu cauatam, ad modum arctam per ascensum multorum gradium In longitudinem protensam, odoris suauis In qua, si quis erectus Ingrediatur, statim sudore prehenditur si pronus et Inflexus friget: Vulgo sudatorio appellatur

M. Hic sub mare via videtur silicibus constrata quę Romam ducebat. Visuntur et fondamenta et moles claustrorum lacus lucrini.

S. P. D.
ABRAHAMO ORTELIO GEORGIVS HOEFNAGLIVS

Cum vt studiosis rerum excellentium prodesse fœlicis illius ac nobilis Campaniæ fœlicitates omnes, delitias, Venustates, et Naturę quodammodo oculantis, ibiq[ue] luxuriatis gaudia, et oblectamenta In situ Baianum Puteola numq[ue] ab alma parete amoenissime congesta, tribus Comprehendisse tabellis ab Hogenbergio nostro (id efflagitante) In lucē edidis. Cogitanti mihi cuinā amicorum potissimum hosce Ingenij mei lidos otijq[ue] pacifici fructus hosce deferrē, occurrebas tu solus, tu primus, tu Postremus mi Orteli, cui multis nominibus non solum conuenebant, sed etiam Iure debebantur: Tum Maxime quod cum nos Vulcis Parthenope simul ambos complexa et exosculata fuisset, horum omnium mirabilium visendorum tu mihi comes ΣΥΝΟΔΟΙΠΟΡΟΣ exstiteris. accipe igitur amice amoris monumentum, quod per nostrum Mercurium nostra tibi mittit Commendatq[ue] Mineruā et qualecunq[ue] sit pro tuo cādore boni Consulito Vale ex nostro Museo Bauarico cal. Martij

N. Hic esse solebat lacus lucrinus cuius adhuc pauca supersunt vestigia terremotu Anno 1538. terra oppletus.

O. Mons hic ab Incolis Monte sibylla dicitur quod in Illius radicibus antrum sit Cumanę Sibyllę

P. Lacus Auernus, qui et palus Acherusia dicitur post cuius montes olim fuit diues Capua.

Q. Mons nouus seu pumiceus terremotu anni 1538. incendioq[ue] horribili die vltimo Septembris vna nocte ibi congestus, vulgo Monte nouello Antiquitus hic esse solebant Tripergolę.

R. Mons Gaurus hodie monte barbaro.

S. Sinus Puteolanus.

T. Oppidum Puteoli. dicęarchia dicta primo.

V. Moles (vt perhibetur) pontis C. Caligulæ.

X. Via, quę per montem olibanum, Theatrum puteolanum, labyrinthum, per montes flegręos, et leucogęos, siue forum Vulcani, qui locus hodie la solfataria dicitur, perque lacum Auianum, sętaleq[ue] antrum. Neapolim ducit.

Y. Templum Antiquum, olim Ioui, hodie D. Proculo sacrum ex candido Marmore mira arte elaboratum. terremotibus conquassatum

ANTRVM SIBYLLAE
CVMANÆ.

CVMIS nobilissima & antiquissima quondam Campanię vrbe, ad Auernum Lacum proficiscentes, Sibyllę cauernam, vt vocant, obuiam habent. Antrum est, opere non minus admirabili, quàm sumptuoso, in Saxum effossum, de quo ita, venusta narratione Leander. Ego, cum à C. N. M. D. XXVI. primũ, & post decimum iterum ad hęc loca deuenissem, cuncta sigillatim inspiciendi, cognoscendiq; studio ductus, assumptis comitibus duobus, qui secessus omnes exactè tenebant, per sinũ Baianum & Puteolanũ, vbi multa conspiciuntur admiranda, (veluti quoque circa Mare Mortuum, vt nunc vocant) ad lacum Auernum, poetis celebratissimum, itemq; multis nominibus memorabilem, rate deferri volui, breuiterq; referam, quę viderim. Primùm in eam partem montis, circa lacum egressi, quę inter Septentrionem & Occasum iacet, de qua Virgilius, Facilis descensus Auerni, ad medium vepreti, quod ibi est, aut paulò inferius, inter dumos, & vrticas, antrum exiguum, instar aditus sepulchri collapsi reperimus. In id ingressi, per ruinas operum aliquandiu procedentes, viam elegantem in saxum excauatam, latitudine pedum X. altam XX. in longum D. extentam, vidimus: & quantum coniectura licet assequi, cùm obstructa muro sit, vlterius olim ad Baias procedebat. Hanc eam esse crediderim, quam Strabo scribit, Coccęium fecisse, qua Cumis, & ab Auerno, Baias commeabatur. Ad 450. pedem ostiolum in ea cernitur altum pedes 5. latum 3. per quod eiusdem mensurę via, in saxum excisa, longitudinis ped. 80. proceditur. Ad eius finem, dextra perbelum est conclaue, longum ped. 14. altũ 12. latum 8. Intus exaduersũ ingressui iuxta parietẽ, saxũ à pauimento eleuatũ, instar exigui tori est. penetrale hoc olim, vti etiamnum ex parte cernitur, magnificentissimè perfectum, ornatumq; fuit: summa testudo sile attico, cum auri notis depicta: parietes Zophoris distincti, ex margaritarum conchis, & coralio compositis, infra Zophoros vsque ad imum solum, opere tessellato ex gemmis, itemque coralio, & margaritarum conchis inducti erant, cuius operis etiamnum aliqua signa conspiciuntur, non minori sumptu, quàm artificio quondam facti. Vulgò fama est, hanc Sibyllę Cumęę habitationem fuisse. Ad lęuam introitus eius conclauis, eodem in pariete, quędam alia portula cernitur, paulò latior altiorque, per quam ad cryptam aliam latitudinis ped. 6. longitudinis 25. via lata ped. 4. alta totidem, sed longa 40. ducit. Inde tum via breui, & peranguſta, sed altitudinis pedes 4. in quandam cryptoporticum, altam, pedes 8. latam 10. longam 24. deuenitur, quę directò propemodum in alterius medium desinit, altę ped. 20. latę 6. longæ 42. Contra eius introitum, angustum item in saxo excauatum sacellum est, latitudine ped. 10. longitudine 6. altitudine totidem, ad cuius introitum in eodem pariete, dextra, alterum conspicitur, latum ped. 9. longum & altum vt superius. Huius in medio lacusculus aquę est, locusque tanta vi caloris æstuat, vt sudorem nemini non excutiat intranti. Qui recessus hos tenent, Sibyllam aiunt inibi votis operam dare consueuisse: mihi tamen sudatorium verius fuisse videtur. Hucusque à primo ingressu, qui lacum Auernum spectat, nullum omninò spiraculum est, sed obscuræ cauernæ, perpetuæ, in saxum excisæ, per quas absque lucerna commeari nequit: & si quis ingrederetur aliter, euadere profectò haud posset, vti cuidam accidisse constat, per cuius ossa nobis in ijs angustijs necessario fuit incedendum. Priùs etiam exitus in fine nullus patebat, sed ad ostium, quo introibatur, retrò erat commeandum, quod & prima vice nobis vsu venit: nunc etiam aulsa montis parte, versus Baias, antrum apertum est angustũ: per quod, non tamen præter difficultatem, egredi licet: vt manifesto appareat, hac olim via subterranea, Baias ab Auerno commeari solitum. Res est equidem admirationis plena, qua ratione tot cuniculi cryptæque ferro potuerint excidi, silexque cæsus egeri, cum præter vllum spiraculum, in tenebris opus omne paratum sit. Vtcunque aut Cymmeriorum habitationes, aut antiquorum vatum adyta, vel antrum Sibyllæ, vel quiduis denique fuisse dicamus, certè res est cum arte sumptuque tum raritate mirabilis. Enimuerò non malè puto conijciemus hic olim Sibyllæ Cumęæ sedem fuisse, quòd id à Virgilio probari videatur, cum inquit: Excisum Euboicę latus ingens rupis in antrum.

LACVS ANIANVS.

ANianvs Lacus, hodie, Lago Sudatorio, Aquà est, Puteolis vicina, vndiq; ripis altissimis, instar amphitheatri concluſa. Fundũ in ea deprehendi haud posse, Bocatius testis est: nihil præter ranas quicquam generat. Ad Septentrionem præcelsam habet rupem toto saxo vestitam, ex qua primo vere tot serpentium conuoluti globi decidunt, & in aquas magno cum impetu prouoluuntur, vt absque vehementi admiratione spectari nequeant. Earum in stagno, quanquã summa frequentia delabantur, nullam omninò conspici, ac ne signum quidem aliquod, postquam aquas subiére, locorum accolæ confirmant.

CHARONEÆ. SCROBES.

SPiracvla, in tractu Puteolano sunt, alij, Charoneas scrobes vocant, mortiferum spiritum exhalantes, Buco velenoso, nuncupat Leander in sua Italia, quod, antrum venenosum interpretatur. Scrobs est in rupe modicè excauata, nec lata, profundáue multum, posito signo, præmunita, ne quis eò proprius accedat, quòd exanimati repentè concidant vltra procedentes, vt iniectis sæpè animalibus compertum fuit. Collapsum tamen intus animal, si protinus educatur, aspergine ex stagno aquæ, vitales spiritus recuperat: sed auxilium ea in re, vel quauis alia, nullum est, si commoretur plusculum. Accolæ Carolum VIII. Galliæ Regem, cum Alfonsũ Arragonium regno Neapolitano pepulisset, asinum inijci iussisse narrant, qui & statim expirauerit.

SVDATORIVM S. GERMANI.

THermae Anianæ, vulgo Sudatorio, siue *le fumarole Agnano*, ad lacum Anianum in sinu Puteolano reperiuntur. Cellæ quædam sunt, concameratæ testudine, quarum solum, magna frequentia calidos emittit vapores, adeò, vt absque vestibus intranti, repentè sudor excutiatur, vnde sudatoria quoque nominantur. Humores crudos euacuant, corpus vniuersum alleuant, languidos reficiunt, ilia sanant, intestina vlcera desiccant, & podagricis vehementer auxiliantur. D. Germanum Campanorum antistitem animam Pascasij Cardinalis hic inuenisse, D. Gregorius in Dialogis commemorat, vnde & Sudatorium sancti Germani cognominatur.

A.
Hic est Introitus Antri Sibyllę Cumanę, quod vulgo appellatur grotta della Sibylla.

VERGILIVS VI. Æneid:
EXCISVM EVBOICÆ LATVS GRESSVS IN ATRVM
QVÒ LATI DVCVNT ADITVS CENTVM OSTIA CENTVM
VNDE RVVNT TOTIDEM VOCES RESPONSA
SIBYLLAE.

B.
Apollinis Templi ab Incolis hę dicuntur esse ruinæ



C.
Hic olim fuere Tripergole, nunc mons nouus, Anno 1538. terremotu conges tus, omnia tegit.

VERGILIVS VI AENEIDOS
Quam super haud vllæ poterant impune volātes
Tendere iter pennis, talis sese halitus atris
Faucibus effundens supera ad conuexa ferebat
Vnde locum Graij dixerunt nomine ——.
ΑΟΡΝΟΝ.

D.
Pos Thosce montes olim fuit Capua, nunc pauca apparent Vestigia

ORI ENS.

A.
LACVS Agnianus piscibus carens ranis ac serpentibus scatens.

B.
Charoncum antrum, siue spiraculum, mortiferum exhalans spiritum, quod vulgo appellatur Grotta de li cani

C.
Sudatorium S. Germani Vulgo dictum, sudatorio siue le fumarole Agnano



Vera deliniatio lacus Aniani, Antriq; lętalis, In mortem facti non Amplinec longi: sed sensim In arctum desinentis, In quod si animal viuum Ingressum seu Intromissum fuerit, subitò moritur, Si tamen repente extractum In subiectum lacum proiiciatur, paulatim ad se redit ac reuiuiscit, In canibus sępe facto periculo.

OCCI DENS.

FORVM VVLCANI.

FOrvm Vulcani, Leandro Sulphuraria, ad finem ruinarum, qúæ à Puteolis, Neapolitana via conſpiciuntnr, in Campania locus eſt, à conditione ac natura ſic dictus; quem Strabo, Forum Vulcani nominat, cum id Puteolis imminere dicit, & campum eſſe planum, vndiq; flagrantibus ſulphure collibus incluſum, atq; ſeptum, vnde velut à fornacibus exhalationes cum ingenti fremitu proficiſcuntur. Plinius hos ab antiquis campos Phlegræos ait appellatos, quod etiam probat Silius, inquiens: Illic quos ſulphure pingues Phlegræi legere ſinus. Loci natura planè mirabilis eſt. Primùm aream habet oui forma prelongiorem. extenditur enim fermè ped. M.D. ſed in latum non amplius M. patet, vndiq; perpetuis altisq; collibus, ita tanquam opere conſeptus, vt aditum vnum quà ſpectat Puteolos, tantùm habeat. Solum areæ totum ſulphure veſtitum ibi ſponte nato, quamobrē & inceſſu crepitat, cum ſit cauernoſum, vti vacua contactu ſolent omnia. In fine lata foſſa, verius rotunda, quàm formæ alterius cuiuſquam apparet, aquæ nigræ ſpiſſæq; plena, quæ perpetuò feruet, magnaq; vi, fumos ingentes emittit: qua de non ſolum vulgi fama eſt, ſed etiam experimento compertum, quicquid immergatur, protinus educi coctum, nunquam tamen non aliqua parte deficiente, quemadmodum ex Hieronymi Lini Bononienſis relatione habeo, qui quaternis in eam immiſsis ouis, tria ſe tantum eduxiſſe confirmauit. Non ſemper eodem in loco aqua, nec æquali magnitudine conſiſtit, vti nos teſtari verè poſſumus. etenim poſt annos decem iterum hàc proficiſcentes, parte fermè tertia minorem, quàm prima vice conſpeximus: cuius rei cauſſa ſpiſsitas aquæ eſt: concreſcentibus enim ſulphure ripis extremis, imminutio variatioq; contingit. Circa foſſam vndique ſcrobes in ſolo conſpiciuntur, ex quibus acutiſsimi vapores ſulphurei, cum intento calore prodeunt. Hac in area multæ ſunt officinæ, quibus album ſulphur conficitur. Ad foſſam, de qua diximus, equo periculoſum eſt accedere, quòd omnia cauernoſa ac infida voraginibus ſint: & aliquando quendam ſpretis peritorum monitionibus, eò adequitantem, ſolo hauſtum abſumptumque, ita, vt repentè ſpectantium oculis eximeretur, accolæ commemorant. De ſulphure, quod hîc prouenit, ita Plinius: In Italia inuenitur ſulphur in Neapolitano Campanoq; agro, collibus, qui vocantur Leucogabi, quod è cuniculis effoſſum, perficitur igni. Colles hi paſsim videntur flagrare, magnosque fumos cum odore ſulphureo emittere, qui per oram illam omnem, & vſque Neapolim ventorum flatibus defertur. Quanquam verò grauis atq; teter ſit, ad fluxiones tamen & rheumata vehementer confert. Aqua quoq; ſulphurarię foſſę, neruos emollit, viſum acuit, lachrymas & vomitum comprimit, ſtomachi doloribus auxiliatur, fœcunditatem ſterilibus conciliat, febres cum frigore pellit, & infecta ſcabie membra purgat. Colle tranſito, qui ſulphurariam includit, ab Oriente conuallis eſt, vbi alumen conficitur. Modus eſt huiuſmodi. Lapides è monte Sulphurariā cingente coquunt in fornacibus, eductosq; coaceruant, dein aquam certis ex puteis, qui hîc ſunt, ſpatio dierum aliquot infundunt, & adeò macerant, vt in cineres diſſoluantur. Ex ijs cineribus lixiuium confectum lignea in vaſa condunt, quod paulatim circum extremitates vncię plerunq; craſsitudine, coit, atq; ſolidatur, inſtar cryſtalli vel glaciei, ferroq; diuellendum eſt. Hactenus Leander.

ORIENS.

Mirabilium Sulphureorum Mõtium Apud Puteolos (campos Flegreos Plin. Vulcani forum Strabo Vulgo nunc Solfatariã vocant Neapolitani) genuina accuratißimaq; ad Viuum depicta representatio

A.
Ex horum montium Terra ac lapidibus Sulphur conficitur.

B.
Ex hisce albicantibus magna sit copia aluminis.

C.
Aqua hic est perennis nigra aspectu et crassa ita feruida vt ouum crudum intinctum coctũ etrahatur: cũ mare excestuat vsq; ad 24. palmos ebullitẽs sepe attollitur.

CHORAEAS SALMONEVS

DVM EXTENDAR.

VILNA.

VILNA, admodum populosa, ampla, & Episcopalis Lithuaniæ, Ducatus illius magni, vrbs; indigenis, Vilenszki, Germanis autem vulgo, Die Wilde/ communicatum habet à flumine præterlabente, eiusdem adpellationis, nomen; quod in Lithuania ortum, Niemen, fluuio coniunctum, Mari Prutenico miscetur, muro cincta & portis, quæ nunquã claudũtur. Domus in vniuersum sunt ligneæ, depressæ, ac humiles, nec cubilibus, nec coquinis, imò nec stabulis, licet iumenta, & bestias complures alant, distinctæ, nec optimo etiam delectu collocatæ, certis quibusdam plateis exceptis, in quibus ab exteris nationibus, quæ commerciorum gratia, hanc vrbem frequentant, lapideæ & elegantes cõstructæ sunt ædes, quibus Germanorum, & palatij vicus condecorantur. Regium est Vilnæ palatium, alterum admodum amplum, plana cœnaculorum structurâ celebre. Alterum, turribus in monte conspicuum, ad radices armamentarium habens, in quo machinæ bellicæ omnis generis non paucæ videntur, cum tamen in vniuersa passim Lituania, nulla vllius metalli sectura, venáue reperiatur. Templa sunt pleraq; lapidea, quædam etiam lignea. diuersis namq; diuersarum Religionum cultorib. sectæ suæ exercitium permittitur. Elegans est Bernardinorum cœnobium, secto ex lapide, venusta structura clarum. Quemadmodum & Rutenorum aula, in qua ipsi merces suas ex Moscouia allatas, distrahunt, vtputa luporum, vulpium, maximè albarum, Martrum, Zabelarum, Hermilinorum, Leopardorum, & nobilissimas id genus alias pelles. Fontes diuersis in plateis habent, ad publicos oppidanorum vsus varios, omnes tamen eodem ex capite, iuxta Germanorum portã cõstituto, deriuatos. Suburbia non sunt, quemadmodum in vrbibus benè cõstitutis, varia, diuersis discreta nominibus, sed vno & perpetuo quodam suburbio septa, & circumuallata Vilna conspicitur, vbi infinitus ædicularum numerus, nullo delectu, nullo platearum ordine, sed pro agresti barbarorum voluntate, prout fors & occasio tulit, quasi consitus videtur. Alibi namq; casas hasce suas, ex pinorum aliquot trabibus, rudi structura cõpactas, huc deferunt, & quò libuerit, indiscriminatim collocant. Extra portam, quæ regiam respicit arcem, dimidiato à Vilna milliari, Sigismundus Rex, domum regiam illam quidam, sed totam ligneam, ab vrbanis curis recessui, & recreationi construxit, cum nemusculo, & viuario, in quo omnis generis feræ, sumptu permagno aluntur; vulgo, VVersupa, id est, iuxta aquas, quibus vicina est, dicitur. Vilnensis porro populus, & quotquot itidem suburbanas incolunt casas, agrestis sunt, seruilisque ingenij, artibus plane nullis, aut liberalibus disciplinis culti, nec ijsdem dediti, inertes, desides, ac ignaui, libertate nulla fruuntur, sed serui sunt, & mancipiorum instar, à nobilitate habentur. Quo etiam ipsi genere vitæ (auditu mirum) delectari videntur. Dominos namque suos, tum primum amant, ipsisq; multo fidelius & promptius obsequia præstant, si verbis verberibusq; immitius tractentur ac durius. Ita, vt heros suos, à quibus non egregiè vapulant, tanquam eos, qui moribus ipsos bonis non imbuant, aut, qui minus propenso erga ipsos sint animo, deserant. Vino licet careant, poculis tamen indulgent, & genio. Medo ipsis, & cereuisia potus est; frequentissimus vini adusti, cepe, & allij vsus, in domibus suis, perpetuo fumo oppletis, (non enim vlla fumibula habent) videndi ipsis aciem adimit, vt non alibi plures, quàm in hac vrbe, cæci sint homines. Nullus in ædibus ipsorum ornatus, nec pretiosa videtur supellex. Videas parentes cum liberis, iumentis, ac bestijs ad focum eodem in hypocausto fœtido agere, vbi & hospitis coniux puerpera, duro incumbat scamno, & tertio, aut quarto puerperij die, grauissimos & domi & foris sustineat labores. Nullus in tota hac vrbe lectorũ vsus. Imò, molliter cubare vitio datur. Multum est, si ditiores vtantur scamno vrsina tantum pelle, contecto. Nec melior, aut ciuiliter nobilitate præstantium conditio est, nisi, quod præstantiore vestitu, multoque argento & auro, quo onusti, depictique incedũt, nobilitatem suam ostentent. Ciues, vxores suas splendidius vestiri gaudent: vilissimus rusticorum omnium, ciusdemq; coloris ac formę est habitus. Nulla in ampla hac vrbe sunt Xenodochia nulla paupertate afflictis assignata loca, vbi misericordiæ refoueantur operibus. Medone, vino adusto, aut crassa cereuisia temulenti, ac madidi, rixantur ac litigant, mutuis sese vulneribus conficiunt, & immaniter verberant. si occidant extraneum, capitale non est, sed decem & sex daleris vitam tunc redimunt; Secus, si Lithuanum interimant. tum namque, si homicidam fugâ elabi contingat, propinqui, & cognati occisi, cadauer aromatibus condiunt, vt inhumatum conseruari queat, quò, si homicidam elapsum, capi contingat, exanimum ipsi corpus exhibeant, alioqui, mortis supplicium ab ipso sumi nõ posset. Si autem quempiam occisum, ante captum homicidam, sepeliri contingat, capitale nõ est, nec pecuniariâ etiam mulcta punitur id factum, sed patrator facinoris captus, virgis ceditur. In suburbijs, Tartari, vt plurimum habitant, cultores agrorum, aurigæ, & baiuli, quorum operâ hyeme mercatores vtuntur, vt capentis suis, vicina in loca auehantur. neq; enim alio, quàm hyemali tempore, ad hanc vrbem accessus, vel recessus patet, eò, quod vniuersa Lithuania paludibus impedita sit, ac syluis horrida, hyeme autem, paludibus & stagnis alta glacie concretis, niueq; superinfusa, peruia sunt, non trita, & vsitata, sed, quę syderum vsus suppeditauerit, itinera. Iumenta autem, quorum operâ vtuntur, eâdem sunt, qua aurige, feritate robusta. Illi pane vtuntur tetro, allio, & victu admodum vili, & scamnum aut saxum aliquod, puluilli loco, deligunt. Hæc, stramentorum vsum ignorant. defatigata, vestitum, & niue contectum abiguntur in nemus, vbi vngula, ad abditum niue pabulum, viam sibi, & aditum parant. Tartari autem aurigæ, sedulam mercatoribus, quibuscunq; etiam exteris, fidem præbent. Nisi etenim scriptum fidei, diligentiæ, & probitatis testimonium, ab his, quos abduxerunt, ad dominos suos, quorum serui sunt, referant, præsentissimum ipsos manet suspendium. Religionẽ in hac vrbe miram profitentur. Missam in templis, magna deuotione audiunt: vbi Sacerdotem, ante velum extensum sacris operantem obseruant, quod quidem velum, vbi quandoq; reuoluitur, dictu mirum, quanta deuotione, non pectora tantum, sed & ora contundant. Quibus nocte præcedenti, matrimonij vel concubitus illiciti, vsus fuit, illi, religione commoti, eo die non ingrediuntur ecclesiam, sed foris subsistẽtes in porticu, per factum in muro foramen, sacrificantem conspiciunt. Atq; tanto quidem rigore eam consuetudinem obseruant, vt hac religione, adolescentuli lasciuientes, & constupratę cognoscantur iuuenculæ. Frequẽtes habent certis temporibus stationes, & peripherias sanctorũ, quibus SS. Pauli & Nicolai, quem vnicè venerantur & colunt, imagines circunferunt; populus verò, in eiusce modi Processionibus frequens, crepidas, aut par calceorũ in capitibus gestant, quo summam sese nobilib. seruitutẽ debere, profitentur. Viliores habent calceos plebei, ditiores verò, auro, & serico ornatos. Cũ morte, à seruitute hac dura, qua ipsi tamen se miseros nesciunt, liberantur; benè vestiti, & nummis, tanquam viatico, instructi, sepulturæ mandãtur, cũ literis abs cognatis, & his, quib. in vita chari fuerunt, ad D. Petrum conscriptis, quib. ipsi tanquã Ianitori cęli, cõmendantur, vt facilis ad cęlestia gaudia cognatis suis defunctis pateat aditus. Has, & pleraſq; alias superstitiones, etiãnum Christiana religione imbuti, obseruant, vt mirum non sit, priscis ipsos temporibus, serpentes, solem, malleos & ignem, pro dijs pœnatibus, coluisse, & adorasse.

VILNA LITVANIAE *Metropolis.*

1. Das hoche Slochs.
2. Das Slochs
3. Die Jong-Königinne haus.
4. Die Slochs kirche.
5. S. Barbara kirch.
6. Der Schatzmeisster haus.
7. Der König stall.
8. Der Lucerne.
9. Das Deutsch haus.
10. Das Trabanten haus.
11. Die Wersope
12. Die bernardiner closst.
13. Die Cancelrie.
14. S. Iohan kirche.
15. Das Wyeweten haus.
16. Das Bischops haus.
17. Der Grichz kirche.
18. Das Rhathaus.
19. Das Moskowiten hoff.
20. Die schwartze munche.
21. Das hosspitul.
22. Die Ketor kasste.
23. Die starcke sste.
24. S Iohan gosse.
25. Der Clatkens dor.
27. Die dir garte.
28. Vber Wasser.

Die Wilia

Die Mülln

Die Dreyfaltigkeit

Die Dreyfaltigkeit kirch

LIBRI III. DE PRAECIPVIS TOTIVS VNIVERSI VRBIBVS INDEX.

LECTORI.

QVam in prioribus vrbium Tomis, hactenus rationem obseruauimus, candide Lector, eandē & in hac tertij editione tenere decreuimus, vt dum in operis fine, depictarum vrbium Alphabetarium ordinē exhibemus, Indicem simul, & auctarium demus, in quo, quam ob loci angustiam in ipso vrbium dorso historicam enarrationem complecti minus integrè potuimus, in fine & Indice, liberiore calamo referamus, quo paulo plura historiarum amantes haberent, quibus auidā, & laudabilem sitim sedare queant. Accipe igitur labores hos nostros, quibus bene faueto, fruere, & vale.

A.

9. ACCVSIANORVM Colonia.
56. AENARIA Insula.
55. AETA vide Caieta.
57. AGNIANVS lacus.
41. ALBORESTADIVM.
52. ALBVNEA fons.
16. ALIZONTIA.
47. ANASIANVM, Opp.
57. ANTRVM Charoneum.
57. ANTRVM Sybillæ Cumanæ.
54. ANXVR, lingua Volscorum, quæ latinis Tarracina, Latij oppidum. Hoc prius Trachina dictum fuit, vt scribit Strabo. AXVR, in numismate Vibij Pansę legitur. Terracinā etiamnum nominari, tradunt Leander, & cæteri.

ARX antiquissima vltra Terracinam, in Appia reperitur, inter altissimam rupem, & Mare, loco perangusto munitoq;. Est ibi habitatio, in Saxum eminentiori excisa loco, vbi præsidium ad itineris propter angustias, tutelam, in statione degit. Accolę, ciuitatis arcem appellant. Locū hunc eum esse putat Leander, ad quem muniēdum, Liuius à Fabio Dictatore, Minutiū missum, infra Terracinam ad mare, narrat, vt Hannibalem ibi Appiæ vię trālitu in agrum Romanū, phiberet.

AMPHITHEATRVM, in hoc aspero monte, forma quadrata, prope monasterium S. Angeli, quod monti vicinū est, cernitur, cuiusmodi sanè nullum aliud adhuc, curiosis antiquitatum indagatoribus visum est.

17. AREVACVM.
56. ARIME, Insula.
17. ARNHEMIVM, vnum ex præcipuis Geldrici ducatus oppidis, beneficio Reinaldi, q vltimus Geldrię Comes fuit, ius cudendi monetam obtinuit, Iuxta Arnhemium, elegans est Carthusianorū cœnobiū, Münchhausen Vulgò, à Reinaldo, primo Geldriæ Duce, fundatum, vbi etiā anno salutis 1343. sepult⁹ fuit. Is etiā Canonicorū D. Vvalburgis collegiū ex oppido Tilēsi Arnhemiū trāstulit, ob cōtentiones & frequētes iniurias, quib⁹ Tilēses Tilani ciues canonicos affecēre.
54. APPIA via.
22. ATREBATVM, Artesiæ Metropolis, quā Iacobus Meierus Annaliū Flandricarū l. xv. Scutū, vallum, ac murū totius occidentalis Flandriæ nominat. Bipartito, peculiari murorum ambitu, diuisa est. Pars altera episcopo, altera Principi adscribitur. Illa, pulchra aspectu, sed minor, magnifica Cathedrali ecclesia D. Virgini sacra, celebris est. In qua permultis libris manu scriptis instructa Theologica Bibliotheca videtur. Hęc autē, multo amplior, pulcherrimarū ædium nitore, platearum latitudine, & foro imprimis spacioso, cōmendabilem se reddit: quinetiā Abbatia D. Vedasto nuncupata, quę opum magnificentia, reliquas monachorum societates superat. Aedes ciuium, præter cōmoditates alias, vinarias cellas longè maximas, & amplissimas habent, q̄ obsidionis & necessitatis tempore, incolis sunt latibulo.
26. AVENIAE.
10. AVGVSTODVNVM, Heduorum Metropolis, ab antiquitate commendata, an eadē sit, quam Cæsar Bibracte vocat, quamq; ipse inter Heduos populosissimam & magnitudine præcipuā facit, atq; ab ipsis Gallis, ne Romanis belli vsum præstaret, incensam refert, alij, rationibus haud contemnendis commoti, negant; alij affirmant. Petrus sancto Iulianus, apud Cabillonios Canonicorū Decurio, ingenij subtilitate, rara doctrina, & vniuersæ antiquitatis cognitione prę stantissimus, de historica hac controuersia, ea, quæ sequūtur, refert. Nonnulli, inquit, vocum etymologiā, & veluti collusionem secuti, discesserūt in sententiam vulgatā magis, quā rationi consentaneam, Bibracte Cæsari adpellatum esse, quā vrbem hodie Galli Beuureum, à bibendo, vt apparet, dicūt. Sed cūm Beuurei tam potentis, atq; opulentæ ciuitatis, quàm Bibracte olim fuisse constat, argumentum se offerat nullū; Augustodunum contra, tot antiquitatis notis insigne est, vt videatur iudicij errore se oblectare, qui rem veterum etiā iudicio, ac sententia comprobatā, neget? Et verò, qui Augusto dunum à Bibracte diuersum esse autumant, longè fallūtur, quasi protinus, vt Cæsar vita excesserit, Augustodunū vna veluti nocte & cōditum sit, & nomen acceperit. Ammianus certè Marcellinus, muros Augustodunēses antiquissimos vocat, non ita vocaturus, si nō ante perdomitas à Iulio Cæsare Gallias extitisset. Neq; verò quisquā negat, Cabilloni horreum fuisse alēdis Heduæ regionis prędijs, & quia difficilior esset, ruptis frequēti vectura itineribus, commeatus, atq; annonæ importatio, Cæsarem aggeribus à Cabillono Bibracte vsq; excitatis, viam muniuisse. Atq; horū sanè aggerum reliquias etiamnū videas rectà Cabillono Augustodunum pertinere, vt ipsi quoq; lapides, rei, quam probatam volumus, fidem abūdè faciant. Ad hæc, cùm narret Cornelius Tacitus, apud Heduos belli vim tanto maiorem fuisse, quòd eorū ciuitas, vt erat amplissima, ita expugnationem haberet difficilem, cùm quidam sacrouir Augustodunū regionis caput, occupasset, vtique noui isti, quos faciunt, huius vrbis conditores, nunquā cò confidentiæ progressi fuissent, vt Augustum de suo nomine, quod sacro sanctum à Romanis habitum, nō alijs vrbibus, quàm quæ Prouinciarum Principes essent, concedebatur, vrbi recenti, & modò natæ imponendo rogarent. Earum certè vrbiū exempla sunt Cæsaraugusta in Celtiberis, quos hodie Aragonas vocant, Augusta Taurinēsis, nunc Turinum, Allobrogū caput, aliq̄; non paucę. Ea igitur ciuitas Bibracte Cæsari fuit, quam hodie Augustodunum adpellamus, ipsius re vera Cæsaris culpa, & factionibus vastata, vtcunq; ille facto colorem quærens, in alios culpā reiecerit. Inde ab Augusto restaurata, & à Flauijs, Claudij Cæsaris genere, (nam à Claudio Flauiorū originē deducit Panegyricæ illius orationis ad Constantinum author) multis aucta beneficijs, etiam Flauianæ familiæ nomen tulit. Itaq; Panegyricus ille orator, Bibracte, inquit, ad hoc æui Iulia, Pollia, Florentia dicta, hodie Flauia nūcupatur, Heduorum gentis caput. Quo in loco illud venit in mentem quærere, vbi tandem legatur, Benureum Heduorū fuisse caput? sed neq; in eam dignitatē Bibracti antiquo, alia succesſit vrbs, quàm cuius meminit Panegyricus, Maximiniano, q̄ ante Constantinū Magnum Gallijs cū imperio præerat, nuncupatus, quam & nostrum Augustodunum esse cōstat. Sunt autē hæc Panegyrici verba: Quin & ipsa hæc ciuitas, cuius potissimum nomine

† mihi

mihi gaudendum censeo, hæc, inquã, animo erga te propensissima Heduorũ ciuitas, ea victoria, quam ex Britannis retulisti multos artifices, quibus abundat ea Prouincia, tuo munere consequuta, nunc quidé antiquarum ædium, publicarum substructionũ, & templorum instauratione, ad pristinã redit & pulchritudinẽ, & dignitatem. In eo verò, quẽ superius allegauimus, ad Constantinũ Magnum Flauiæ gentis Panegyrico hæc insunt verba: Itaq; ob egregia officia, & antiqua merita, diuinus ille tuus pater voluit iacentẽ Heduorũ ciuitatẽ restituere, idq; vt præstaret, non tantũ pecuniarum vim elargitus est, restaurãdis propugnaculis, theatris, balneis, verũ etiam nouis habitationibus accersendis, vt sola hæc esset Prouinciarũ caput ac Metropolis. Vtcunq; autẽ Panegyricus hic orator, siue is Eumenius est, siue alius, hæc coram Imperatore ad gratiã loquutus sit, hinc tamen colligimus, Augustodunũ Heduorum id temporis Metropolin, non aliud esse, quàm Bibractẽ, quod eiusdẽ Gentis caput Cæsar agnoscit. Atq; vt huiusce probationis finẽ aliquando faciam, adducã Ammiani Marcellini verba, quibus de Iuliano, cui Apostata nomen, cõmemorans, Augustoduni maximã antiquitatẽ ostendit. Cæsar, inquit, cùm in ea vrbe hyemem ageret (Viennã intelligit) inter cæteros, qui quotidie dissipabantur, rumores, intellexit, in Augustodunẽses muros, qui magnũ cõplecterentur spaciũ, & vetustate nimia exosi, corruptiq; essent, à Barbaris subitas fieri impressiões. Vides vt murorum huius vrbis nimiam vetustatem prædicet, nullã tum certè futuram, si temporibus primùm Augusti vrbs eadem cõdita, in id Iuliani tempus stetisset. Neq; enim ab eius conditione plus tum quadringẽtis annis exactum esse poterat, quæ nimia, in ædificio, vetustas, esse nõ potest. Quo fit vt ea vetustas à multis retro sæculis, atq; adeò, à primis Gallorum temporibus, repetẽda sit, vt proinde tam vetusti vrbis muri, ruinarũ Bibractis reliquiæ fuerint. Huc deniq; illud, pro inuincibili argumẽto addam. Quòd nisi Augustodunum Heduæ regionis caput fuisset nunquam illic primi Christiani Heduorũ Episcopi sedem fixissent, cùm præsertim & Cabillonum, & Matiscon, in eadem tum regione essent, atq; in ea semper Gentis Episcopos cathedrã habuisse vetera scriptorum monumenta declarent Sed hæc, de Historiæ ista cõtentione, & Augustoduni antiquitate, dignitateq;, nimis fortasse, pro ratione loci, multa. Qui plura cũ de antiquo, tũ de præsenti Augustoduni statu desiderat, is, præter Belloforestii historiam, Gulielmum etiam Paradinum consulat.

57. AVERNVS, Lacus Campaniæ, Plinio; Græcis, ἄορνος, dicitur, vt Strabo attestatur. Lago di Tripergola vocatur ab Erythræo & Georgio Fabricio. STIGA quondã appellatũ, ex hoc loco Silij apparet, l. 12. Ille olim populus dictũ Styga, nomine verso, Stagna inter celebrẽ nunc mitia mõstrat Auernũ. Appellationis etymõ hinc esse existimat Nonius, quòd aues superuolãtes odoris eius grauitate cõciderent enecatæ. dictum enim Auernũ, tanquã ἄορνον, vnde Lucretius inquit:

principio quod Auerna vocant, non nomen id abre
Impositum est, quia sunt auibus contraria cunctis.

Idem confirmat Seruius in hoc Vergilij loco: Diuinosq; lacus: Lucrinum & Auernum Lacus esse scribens. Auernũ autẽ antea dẽsitate syluarũ ita conseptũ, vt inde per angustias odor aquæ sulphureæ grauissimus exhalãs, aues superuolantes enecaret, vnde Auernus appellatus sit, tanquam ἄορνος. Philostratus etiam Auernum vocari locum quendam prope Nisam tradit, quòd aues ad se trahat. Adijcit autem Seruius, Augustum Cæsarẽ, ea re intellecta, syluis deiectis, è pestilẽtibus amœna hæc reddidisse loca. Virgilius eandem Auerni nominis etymologiam his versibus describit:

Inde vbi venère ad fauces grauecolentis Auerni,
Tollunt se celeres. Et infra:
Quam super haud vllæ poterant impunè volantes
Tendere iter pennis, talis sese halitus atris
Faucibus effundens, super a ad conuexa ferebat:
Vnde locum Graij dixerunt nomine Auernum.

Alijs præterea locis Auerni mentionẽ facit Virgilius, quẽ tamen exactius in hanc sententiã describit Strabo: Auernus & aditu & fundo, sinus est opportunus, atq; tã amplitudine quàm natura loci portus cõmodissimus, vsu tamen non frequentatus, quoniã portus illi Lucrinus præiacet. Rupes eũ arduæ, præterquã ad ostium, vndiq; circumplectuntur, hoc tẽpore cultu diligenti peramœnæ, quanquam olim horridis omnia saltibus occupata, ideoq; prorsus inania fuerint: vndè lacui dẽsitate nemorũ obscurato, religionis opinio accedebat. Apud accolas quoq; fama erat, aues superuolantes spiritus exhalãtis grauitate exanimatas, in eũ decidere, tanquã ad Plutonem abriperentur, indeq; Stagnum Plutoni sacrum habitũ: quinetiã vicinos illi Cymmerios fuisse, apud quos peractis ritè sacris, placatisq; Dijs Manibus, ad inferos descẽsus esset. sacerdotes enim in ea gẽte duces itineris ad Plutonem extitisse: quapropter & oraculum eo loco fuit. fons etiã ibi prorumpens in mare defluebat, à cuius vsu regionis incolæ, quòd Stygias aquas arbitrarẽtur, abstinebãt. ob propinquas enim feruẽtium vndarum scaturigines, & paludem Acherusiam Phlegetontẽ esse existimabant. Ita fere Strabo. Cymmerios autem vicinos huic Stagno fuisse, nimirũ in illis specubus antea descriptis, quorum introitus ad Auernum spectat, habitãtes, tum ex hac Strabonis narratione constat, tum etiam à Plinio traditur, qui gẽtis eius oppidum, ad Auernum lacũ extitisse auctor est. Adijcit etiam Strabo, maiorum opinione (quod ab Homero quoq; proditum sit, etsi fabula sibi videatur) Manium vaticinationes in Auerno fuisse, & Vlyssem etiam ad id oraculũ profectum. Arthemidorus docet, Auernum lacũ poetis celebratissimum, paludem Acherusiam esse, cuius mentionẽ sæpè facit Virgilius, & nominatim his versibus: Vnum oro, quando hic inferni ianua Regis Dicitur, & tenebrosa palus Acheróte refusa: in quorũ expositione Seruius Auernũ lacũ ait à poeta describi, quẽ Acherõ, inferorũ fluuius efficit; ita dictus tanq; ἄχαρῶν, i. sine gaudio: sed eũ locũ reuera nõ procul abesse à Baijs, mõtibus autẽ adeo cõclusum, vt nec orientẽ, nec occidentẽ, sed meridianũ solem tantũ aspiciat. Ita Seruius. Ad hanc paludẽ homines olim immolari solitos, indicat Homerus, Elpenorẽ apud eam ab Vlysse mactatũ Orco, itemq; Misenũ ab Aenea memorans. Quanquam verò Misenũ fato suo functũ, in aliorũ monumentis reperiatur, tamen ab Aenea cęsum immolatũq; verũ est. Et Elpenorẽ in vltimis Oceani partibus mactatũ, Homeri figmentũ esse sciri oportet, quoniam loci descripte circumstantię, manifestò cõuincunt, id hic ad Auernũ ac cidisse. Ad eius modi porrò immania sacrificia, speluncis cauernisq; subterraneis, præsertim horrendo illo Sibyllę antro, locum hunc peropportunum fuisse, nemo nõ intelligit.

6. AVRELIA, Orleans, Villanouano, in Gallia Lugdunẽsi eius gentis, quę Aulerci & Eburones cognominatur, vrbs florentissima, loco admodum opportuno sita, diues, ciuibus ar mis exercitatissimis, potens, munita, non in Gallia tantum, sed vniuersa etiam Europa clarissima. De memorabili, post omnium hominum memoriam, eius obsidione, qua Carolo VI. eius nominis rege, ANNO 1428. ab Anglis cincta fuit, & miraculosè abs Ioanna virgine, belli duce liberata, vide benigne lector, integrum libellum Ioan. Lodoici Micquelli Aurelianensis, ad Carolum Lotharingum Cardinalẽ: res enim paucis pro istius loci ratione, recenseri nõ potest. in eius liberationis perpetuam memoriam, 8. die Maij, quotannis, totus vrbis Magistratus, vniuersa plebs, & omnes Ecclesiasticorum ordines, vniuersali processione, gratulabundi, obire ciuitatem cõsueuerunt. Reges hic quoq; aliquot inauguratos, quemadmodum Rhemis fieri cõsueuit, historiarum scripta testantur. Episcopum etiam singularem habet, quem de suo nomine Aurelianensem dicunt, nõ solùm sedis antiquitate, sed maiorum etiam sanctitate in Gallicana ecclesia celeberrimum. Childeberto Galliæ rege, fulgure cælitus tacta, tota ferè cõflagrata. Nostro tẽpore, bello ciuili miserum in modum iactata est, ab Hugenotis proditione capta aliquandiu, multis in ea deformatis, & aliquot ecclesijs dirutis, in eorum potestate mãsit, postea abs Rege recuperata est. Franciscus Guysius, insignis belli dux, à Ioanne Poltrotio, latrone nefario, globo tormẽtario traiectus, hic occubuit. Qui plura de hac vrbe desiderat, legat Franciscum Belleforestium, & Leonem Trepautium, Senatorem Aurelianensem, qui & peculiarem de patria sua libellum conscripsit.

8. AVTRICVM.

B.

47. BADACVM, vide Salzburgum.
56. BAIANVM castrum.
56. BAIANA Fricatoria, vide Trituli Balneum in Indice
56. BAIANA, L. Luculli villa.
56. BAIANVS Sinus, vide Sinus Baianus in Indice.
56. BALNEVM Ciceronianum.
56. Balneum Trituli, vide Trituli Balneum, in Indice.
56. Bauli Herculis templũ, vide Herculis Bauli, &c. in Ind.
26. BELLOMONTIVM.
14. BERGA ad Soomam, hilaris, festiuæq; Brabantiæ limitaneum quasi oppidum, qua ista Belgarum regio, occidentem versus, Zelandiam respicit, à qua Scaldi separatur. Cuius qui dem fluminis, quemadmodum & maris vicinitate, situs etiã, aẽrisq; benignitate tam multis cõmoditatibus Berga gaudet, vt nobilium, & præstantium opum affluentia, hominum, vt plurimũ sit oblectationis, otij, & tranquillitatis recessus. Soma etiam flu, alluitur, qui isthinc non ita procul ortus, dimidio ferè miliari longus, à Scaldi, amisso nomine, recipitur.
46. BOIODVRVM.
39. Bonifacius, Tungrorum in Germania Apostolus. Bremensium Colonia, Riga, vide Rigam in Indice.
2. BRISTOLIA, celebre post Londinum in Anglia Emporium, á multis diuersarum orbis nationum mercatoribus, frequentatum, aquis, quæ onerarias ex mari naues eò deferant, instructum. Situs id ratio præstat, vtring; siquidem mõtibus clauditur, vt fluuius, cui adiacet, marinis æstibus auctus, nõ possit in latum diffluere, sed ad sexaginta sex pedes intumescat. Oppidum ipsum admodum est nitidũ ac elegans: nullus in eo carrucarum vsus, nullæ in plateis sordes, sed omnis per subterraneos ductus atq; canales immũdicia diffluit. Pulchrę sunt ecclesiæ, Cœmiteria spacio sa. Apud D. Iacobi ecclesiam vimus, tantæ magnitudinis conspicitur, vt truncum octo vlnarum filo, vix comprehendas. Quondam Episcopalis hic sedes fuit. nunc Episcopo Glocestrienſi subest.

C.

9. CABALLONIORVM Colonia.
55. CAIETA, vel, vt Strabo legit, Caiatta; etiam Aeta, teste Diodoro Siculo, hodie Gaietta nuncupatur. Campaniæ in Italia fœlicis, portus est iucũdissimus, naturali situ munitus, vt expugnari vix queat. Dura obsidione Anno salutis 1288. abs Iacobo Siciliæ Rege, Anno etiam 1435. decem mensium obsidione ab Alfonso, Aragonum, & Siciliæ Rege, sed frustra tentatus.
35. CAMANNI.
56. Camerellæ centum.
34. CAMPENA.
35. CANENEFATVM Insula.
26. CARLOMONTIVM.
8. CARNVTVM.
52. CATARACTA.
3. CESTRIA. Comitatus Cestrensis, siue Deuani, in Anglia vrbs primaria, quæ à Legionibus Romanorum ibidem hyemantibus, in hunc diem à Britãnis, Caer lheon ar dour Dovv. id est, ciuitas Legionum super aquam Deæ, ad differentiam alterius eiusdem nominis ciuitatis super Oscam fluuium dicitur. Ex Antonino patet, hanc olim Deuam dictam á Latinis fuisse, à fluuio, quem nos Dour dovv, id est, aquam Dei vocamus. Angli, hanc Leganceſtre, & postea, detruncato vocabulo, Cester dixère, ciuesq; gloriantur, se habere corpus Henrici quarti Imperatoris, quẽ affirmant abdicato Imperio, eremiticam vitam illic duxisse. Nec aliter de Heraldo, vltimo Danici sanguinis rege, credunt.
57 CHARONEAE Scrobes, siue antrum Charoneum, vulgò Grotta de li cani, spiraculũ, mortiferum exhalãs spiritũ. Nam loca pestilentis halitus cùm multa reperiantur, ad cautelam idcirco, propalandamq; accessus difficultatẽ factũ videtur, vt alio, vel alio nomine horribili nuncupẽtur. Quales leguntur apud Strabonem & alios Græcos, Charoneę Scrobes; quasi Charoneæs ianuas dixerint, seu Charontis cymbam, quas semel ingressi, irreuocabili iudicio damnati, ac desperati omninò lucis intelligerentur. Et Plutonia spiramenta, à Plutone, vnde oriri putãtur, sic dicta. Cui vulgaris adhuc assentit credulitas, hæc ora esse inferni: & quidam fabulantur præesse metallis, ac thesauris dæmonas fatales, qui illorum custodiæ adhibiti (vt dicunt) acutissimo sibilo subitarium accedentibus venenum illidant animæ, quæ antiqua est Pselli, & quorundam aliorum Platonicorum persuasio. Re vera tamen id referendum videtur, vel suffocatis in occultis terræ cauernis ignium vaporibus: vel metallorum virulentiæ in metallis suis, quæ aut excessiua qualitate vaporis crassissimi, aut alio, qui tota substantia humanæ naturæ aduersantur. Quam contagionis naturalem causam tetigit quoq; Lucretius, ex eo, quòd in sulphurarijs metallis, & in bituminosis, maximè verò in venis auri, atq; argenti, statim operarij squalorem mortis concipiant, ac breui spacio tabidi, intereant. Et cùm multa id genus loca is sub Auernis commemoret, subdit:

In Syria quoq; fertur idem locus esse videri,
Quadrupedes vbi, quo simul ac vestigia primùm
Intulerint, grauiter vis cogat concidere ipsa.

Talem in Phrygia Specum meminit Strabo iuxta Hierapolim, quod os Plutonium appellatur, crassam caliginem, ac halitum adeò pestiferum exhalãs, vt immissos experimenti gratia passerculos, mortuos illico extraxerit. Similis in Cilicia vltra Coryceum specum, quem Typhoneum vocant, Pomponio Mela auctore. Et item alius apud Babylonem, quæ abundat bitumine. Alius in Cariæ via, quæ est ad Tralleis, & Nisam prope Acaracam oppidum, Strabone. Alius in Lycia ad Sardis pagum, Galeno, qui & specum in Ionia scribit ad Tymbriam pagum propè oppidum Myunta, qui lethales expirationes mittit.

8. CHARTRES, opidum Regionis, in Gallia, Carnutensis, celeberrimum. quæ in Gallia Celtica duobus fluuijs, Sequana & Ligeri intercepta est, prima fuit, in qua, ob ipsius amœnitatem & solum fertile, Noe filij sedem fixerunt, in qua & Druidæ quondam præter causarum naturalium studia, moralem quoque disciplinam exercebant, & quia omnium opinione iustissimi, ideò & priuata & publica iudicia ipsorum fidei demandabantur. adeò, vt rem etiam bellicam antea iudicarent, & Martem collaturi, illis iubentibus desisterent: capitis quoq; iudicia horum sententiæ permittebantur. De horum autem secta & moribus, Cæsar lib. 6. commentariorum plura. Cæterum, apud Carnutenses olim, tametsi ad Druides omnia maioris momenti negotia referebantur, Res tamen pub. per vnum principem gerebatur, vti ex Cæsare licet cognoscere. qui lib. 5. commentariorum, Erat, inquit, in Carnutibus summo loco natus Tasgetus, cuius maiores in sua ciuitate regnum obtinuerant: huic Cæsar pro eius virtute, atq; in se beneuolentia, quòd in omnibus bellis singulari eius opera fuerat vsus, maiorum locum restituerat, &c. Verum post huius Tasgeti mortem, nusquam legas, fuisse vllos Carnutum reges. cùm enim Romani toti Galliæ imperarent, nullum in ea passi sunt principem, nisi quem ipsi constituissent. Ecclesiæ tamen Carnutensis monumenta, de nonnullis tradunt principibus, qui Comitum titulo Rempubli. in ea vrbe gesserint, ante, quàm etiam Galli Christo nomen dedissent. Huius porró Carnutensis vrbis inhabitatores, Druidum sapientia imbuti, multo amplius, quàm vlli alij Galliæ populi, ac præcipuè ipsorum Comites & reguli, qui rebus in ea gente, ante, quam Cæsar Gallias diuicisset, præerant, persuasum habebant, nasciturum olim in terris virginem, quæ partum vniuerso hominum generi salutarem ederet. hæc de futura virgine concepta religio, in caussa fuit, cur Comes, nomine Priscus, inter Ethnicorum simulachra signum statuerit virginis, puerum vlnarum complexu tenentis, eiq; sacrum fecerit, vt & Augustum Cæsarem, posteaquam virginis illius, quæ Deum nobis peperit, imaginem, demonstrante Sibylla, conspexisset, feciſſe tradũt. Religio, qua erga hoc simulachrum virgineum tenebatur Comes ille Carnutum, reliquos etiam Carnutes, vt idem facerent, induxit: & Montilerij Princeps Gaufredus, Carnutũ comitis cliens, certior factus, quo in honore suus patronus virginem illam futuram haberet, ad eius etiam cultum sese contulit. Ex eo deinde consequutum est, vt viri illi Principes virgini illi, haud dum etiam in mundum editæ, templum sta-

euerent,& donaria permulta offerrẽt,indies etiam eius templi virginei cẽsum augentes. id autem templum,vbi religio ne Christiana fuerũt imbuti,in B.Mariæ virginis collegium est mutatum, & hoc etiam tempore, huic vrbi singulari est ornamento.

8. CHASTEAVDVNVM, siue Castrodunum, ita enim Gregorius Turonensis;oppidum perauguſtum, amœnum,& naturali situ firmum,Comitatus titulo, dignitateq; præstãs, qui hìc senatum,& æquissimorum Iudicum consistoriũ habet,alia sub se quinq; Senatorum collegia comprehendentẽ. Gẽs in hac vrbe ingenioſa,acuta,ſubtilis, & quæ,quod dictũ velis,verbo ſtatim capiat, eadem pauci ſermonis, & magnæ breuiloquẽtiæ, quæ res & ſapientiam eius ſatis indicat, & Lacedæmonios olim præ cæteris Græcię populis maximè commendauit, & ſermo quidem gentis ſatis proprius,& purus, ſed ita ſunt, vel breuiloquentiæ appetentes,vel tũ in apprehendendo celeres,tum ad efferendum,quod ſentiãt,expediti,vt ne moram quidem ferant audiendi, quoad is, qui cum loquuntur, ſermonem abſoluerit, quem nondum finitum excipiant atque interrumpant. Quod gentis naturale vitium prouerbio locum fecit; quo ſiue damnetur ea reſpondendi præcipitantia, ſiue laudetur expedita ingenij promptitudo, dici ſolet; Caſtrodunius eſt, intelligit dimidiato verbo. Vicinus vrbi ager fœcundus eſt, & ferax, prout ingenium eſt regionum, ad quas pertinet. Quã enim ad Perchios vergit, ſyluæ ſunt,nemora,ſaltus, paſcua,lacus. Itaque pecorum illic & armentorum vis magna. At Aurelią verſus offerunt ſe vineta,& frumenti ſegetes;præterquam ea regione, quæ ſyluam habet, cui Marchiæ nigræ nomen. Cuius ſyluæ arbores,eam præ ſe ferunt antiquitatem, vt videantur ab ipſa terræ primæua conditione extitiſſe. Illud alioquin ſciendum,Caſtroduni vitibus à natura veluti limitem ad ſeptẽtriones atq; Normandiam eſſe conſtitutum. Neq; enim vites ibi aut vuas amplius inuenias,niſi agreſtes & labruſcas, non ad aliud ferè,quàm ad Omphacium,vtiles.

53. CIRCEVSmons.
27. CIMACVM.
56. Ciſterna,ad centum camerellas.
56. Ciſterna L.Luculli,vide L.Lucullus in Indice.
9. COLONIA Accuſianorum.
56. Crater; Vide Sinus Baianus in Indice.

Cruci gladiatorum quando exorta Societas,& quãdiu durarit,vide Rigam in Indice.

56. Crypta mirabilis ad Balneum Ciceronianum. Vide Trituli Balneum in indice.
56. Crypta Tracanaria, vide deſcriptionem mõtis Miſeni in Indice.
56 Cumanus Sinus, vide Sinus Baianus in Indice.
57. CVMANAE Sybillæ antrum.
Cupra, vide Lauretum in Indice.

D.

33. DAVENTRIA.

DELPHIVM, elegans ac munitũ Hollandię oppidũ, à foſsis ſeu aquæ ductibus ſic appellatum, omni propemodũ orbi notiſsimum ex cereuiſia quam abundantiſſimè eius incolæ coquunt,ac diſtrahunt. Oppidũ illud patriam habuit perditiſsimus ille impoſtor Dauid Georgius,peſtium, à quibus oppidum Veſtphaliæ infectum fuit,vna. Hic profeſsione vitrarius pictor, humillimo natus loco,literaturæ omnis expers,ea tamen fuit ingenij verſutia,vt non ſolum nouę ſectæ ipſe quoq; dux,& auctor fuerit;ſed etiam vt à ſuis quibus verum ſe eſſe Meſsiã perſuaſiſſet,tanquam Deus adoraretur, obtinuerit. Hic & vxorem habens,& liberos, cùm in ſpecie quidem modeſtè & ciuiliter,ſed ab omni re vera,tum religione,tum probitate alieniſsimus vitam ageret (ita hominum alij ſunt craſsi,leues, rerum nouarũ cupidi,alij ſubdoli,malitioſi,duplices,in omnes rerummalarum occaſionnes intẽti) non ſolum in diuerſas Belgij regiones,ſuum dogma promouerat, verùm etiam cum incredibili quæſtu, omnibus nouo Deo certatim munera offerentibus,non mediocrem habebat ſequacium turbam. Hoc retectum ſcelus,cũ Magiſtratus, qua decebat ſeueritate infectarentur, fuga Baſileã facta,& mutato illic nomine Dauidis Georgij,in Ioannẽ Bruchtium,cum hoc modo ſuam occultaſſet fraudem, eodem quoque ſuam trãſtulit familiam,& amicos,clientulosq; non paucos. Ibi & priuatim hoc dogma,tam inſulſum auditoribus tradebat,& litteris,per idoneos tabellarios miſsis, lõgè ad abſentes propagabat. Attamen,cùm ex eius cultoribus reſiliiſſet quiſpiã, ſimul metu,ne per eam occaſionem retegeretur monſtrum,ſimul dolore & ira percitus,repẽte ibidem mortuus eſt anno 1556. Id,cùm ad eius vrbis magiſtratum perlatum eſſet, diligenter in ipſius vitam inquiſitione facta,& deciſa demum lite, iudicum ſententia, in cadauer animaduerſum eſt, bona in fiſcum relata,eius familiæ, vt & cæteris, qui dogmate illo abiurato,ad ciuitatis religionem ſeſe adiunxiſſent,humaniter condonatũ, vniuerſæ rei geſtæ hiſtoria, typis euulgata.

Exiguo ab oppido Delphenſi miliari, diſtat Pagus,quem Hagam Comitis,vulgò Des Grauen Hage/vocant,omnium, quos Europa habet,pulcherrimus,ditiſsimus,ampliſsimus, ac capaciſsimus,ad domuum duo millia continens,tam ſumptuoſarum, vt nulli vrbium cedant,cùm ibi totius propemodum regionis nobilitas,ac Regis etiam palatium,curiaq; cõmorentur. Hinc ad ſemimilliarium diſtat Loſdunen,Benedictini ordinis monaſterium,vbi ſepulchrum extat Comitiſſę Margarethæ,cuius hiſtoria relatu non indigna videtur. Hãc quondam paupercula quædam,natos ex ſe gemellos vlnis tenẽs,petebat eleemoſynam,cui præter id,quod nihil ei largiretur,inſultabat,eamq; conuitijs proſcindebat,negans poſsibile eſſe,binos pueros,eodem partu edi, niſi binis etiã patribus geniti eſſent,proinde alterum horũ adulterio natũ eſſe: qua contumelia mota miſercula hæc,orabat Deum,vt ad vindicandam caſtitatem pudicitiamq; ſuam, permitteret hãc commiſſam,eodẽ partu tot infantes,quot dies annus habet,dare,idq; factum eſſe,teſtatur eius epitaphiũ quod ſic ſe habet. Illuſtris domini Florentij Comitis Hollãdiæ filia,cuius mater fuit Machtildis,filia Henrici Ducis Brabantiæ, fratrem quoq; habuit Guilelmum Alemanniæ Regem. Hæc præfata D.Margaretha Anno ſalutis 1276. ætatis ſuæ anno quadrageſimo ſecundo, ipſo die Paraſceues, hora nona ante meridiẽ, peperit infantes viuos promiſcui ſexus numero trecẽtos, ſexaginta quatuor;qui poſtquam per venerabilem Epiſcopum Guidonem Suffraganeum,præſentibus nonnullis procerib' & Magnatibus,in pelui quadam Baptiſmi Sacramentum percepiſſent,& maſculis Ioannes, fœmellis verò Elyzabet nomẽ impoſitum fuiſſet,ipſorum omniũ vna cum matris anima ad Deum æternaliter victura,redierunt,corpora autem ſub hoc ſaxo requieſcunt.

28. DORDRACVM Hollandiæ vrbs valdè munita,negotiationi idonea,vndiq; cincta mari, aquis peruia,opib' & celebritate inter alias longè princeps,ſita loco admodum ferti li,cuius initium propter antiquitatem neſcitur. Nũcupatur autem Dordracum,quaſi Durdrecht/ob fluminis,qui ibi ſemper fuit,traiectum. Incendio hæc vrbs aliquoties deformata fuit;ſemel,ob bellum Traiectenſis Epiſcopi,cum Guilhelmo Hollandiæ comite. Altera vice, anno ſalutis 1457. incendio fortuito media eius pars concidit, cũ ſumma,& D.Iacobi Eccleſia, cum Hoſpitali & Halla,quam vocãt, vrbis. Bellicoſos etiam & animoſos ciues Dordracum ſemper habuit. bellũ namq; contra Ioannem Hollandiæ Comitem ipſis fuit, priui legiorum defendendorũ cauſſa,potiſsimũ ſuper priuilegio de non euocando ciues ad aliud, quàm domeſticũ tribunal. Nam comes ipſos ad Delphenſe iudicium citauerat. Anno etiam ſalutis M.CCCC.IIII. Dordracenſes, Brabantiæ Ducem, qui totam Zuithollandiam, præter vnam hanc Dordracenã vrbem, poteſtatis ſuæ fecerat,Brabantinos omnes armorum impetu repellunt,diſsipãt & cædunt,complures pagos Vulcano litant, Buſcumduco & oppido S. Gertrudis imminent, atq; ingenti demum præda onuſti,victores,ad ſuos redeunt.

8. DRVYDES.

20. DVACVM, vrbs Flandris,Hannonijs, & Arteſijs vicina, videtur eius eſſe gentis, quam Cæſar Catuacos adpellat. Flumen Scarpa per mediam ſe vrbem diffundens, alueis eã plurib' diſtinguit. Cameraco, & Leſio quinto abeſt milliari, copioſa vrbs & firma,habens aquarum ſcatebras, domos veteres illas quidem,ſed ornatu ac ſplendore non poſtremas, templa verò auguſta,idq; imprimis,quod virginis matris nomen habet peruetuſtum: quippe, eam tum à Clodiuæi Regis Galliæ temporibus ſub annum Domini quingenteſimum ab Arcanolto Regni Curatore,ſeu(vt alij adpellare malũt)equitum Magiſtro,conſtructã. Qui de rebus Gallicis, & Belgicis magna cum laude hiſtoriam conſcripſit. Robertus Guaguinius magna virtute vir iſtam habuit patriam.

E

22. EDENBVRGVM, Scotorum Regia, Senatuſq; ſedes, cincta mœnibus, & arce, quæ ab aſſeruatis ſibi puellis, nomen ducit,valde inſignis. Ad quam ob viæ anguſtiã, & difficilẽ,præcipitemq; acceſſum, præcelſæ namq; imminet rupi, nullæ hoſtium copiæ ſubduci poſſunt. Proinde inexpugnabilis omninò putatur:quanquam tamen eo bello,quo Dauid Bruſius Scotiæ, Et Edouardus Britanniæ Rex, Magnã Angliæ partẽ, & Scotiam omnem ad internecionẽ vaſtarunt, occupãtibus eã Anglis,dolo ſit expugnata. Agris namque multis annis permanentibus incultis, tanta fame laboratum eſt in Anglia pariter,& Scotia,vt equos,canes,feles,ac ſimilia animalia penuria aliarum rerum ederint. Tradition inſuper à quibuſdam eſt,eò inopiæ redactos quoſdam, vt diutinam famẽ non ferentes,pueris à vicinis ſuffuratis,miſerabili calamitate nõ pepercerint. Eo tempore Arx Edenburgenſis,eiuſcemodi ſtratagemate in Scotorũ manus peruenit. Douglas, eques auratus, VValterum quendam, cognomento Turris, virũ opulentum admodum ſibi deuinctum habebat. Is,naui ſua,ex mandato Douglas in Forthiam proficiſcitur,fingens mercatorem ſe,vinaq; è Gallis adferre,& ex compoſito dolia quædam ſecum attulerat,ac poſtridie,depromptis aliquot lagenis ad arcem Edenburgenſem pergit. Oeconomum prodire iubet,veniẽti lagenas dat,vinumque guſtandum,cùm nõ parum placuiſſet,(quibus nimirum iam diu, maxima vini penuria fuerat) rogat,num vaſa ſe aliqua,ex eodem genere,adferre velint. Enimuerò,reſpondit Oeconomus, rẽ multo nobis gratiſsimam facturus es, ſi in tãta vini inopia,eam nobis beneuolentiam exhibeas. Ac,quo certior res ſit, de pretio nihil dubitet,pecuniam præſentem dat,poſtridie vinum adferri iubet,ſub auroram ſe ille adfuturum cum vino reſpõdet. Poſtero die,dubia etiamnum luce,adeſt,vaſa duo carpẽto adferens,portæ extemplo aperiuntur. Cùm verò in medio portarum conſiſterent,per fraudem ſoluto axe,carpentum procidit. Ac mox Douglas (nam haud procul iam inde cũ expedita militũ manu conſederat) cum paucis ſuperuenit, ianitores reſiſtentes occidit,arcemq; ipſam tandem occupat. Atq; tum Rex Dauid cum coniuge Ioanna ex Gallia in Scotiã reuertitur.

41. ELBORESTADIVM.

ENCKHVSA, ignobilis quondam Hollandiæ vicus, qui nec oppidi nuncupationem merebatur,nũc,inter cultiſsima,& lautiora oppida recenſetur. Ciues habet cõficiendarum & gubernandarum nauium peritos, qui, quo tempore vilis eſt halecum captura,(tota nimirum ętate) ex qua communis plebeculavt plurimum victitat,nauiculas piſcatorias deſerunt,retia,ad Nouembrem uſque menſem deferunt domum,& Naucleri,Gubernatoris,aut vulgaris nauitæ munia, mercede conducti,obeunt. Exercitati quippe ſunt nautæ, qui nauiculis ſuis piſcatorijs velocius,quàm alia quæcunque etiam nauis,tam aduerſo, quàm ſecundo vento velificare norũnt. Malum non in medio,ſed ad nauiculæ latus collocant. Et,ne ipſam,affixum lateri velum,ventorum impetu graue, in imum deprimat,aliud eiuſdem nauiculæ latus, ponderoſis lapidibus onerant,qualem vt curſum,nauigando teneat. Quin,& ſale conficiundo excellunt. Extra orientalem portam,ædes habent peramplas,& ſalinarias officinas, in quib' ex ſale prius ruditer cocto,tenue,& maximè candidum cõficiunt, vnde, vt laus Enckhuſanis maxima, ita vectigal haud contemnendum prouenit.

39. ESCHVVEGA.
40. ESSENDIA.

F

58. FORVM VVLCANI, officinæ aluminis apud Puteolos, vulgo Solfataria, quaſi Sulphuraria, quæ vndique tota collibus aridis ac feruidis circundatur, quos Leucogeos à ſqualore ac liuore ſulphuris, teſte Plinio, dixêre veteres, nõ nulli verò Phlegræos, ab aſsiduo crepitu, quem intimi ardores gignunt, quo etiam cognomẽto proximum ſinum maris circumſcripſit Syllius Italicus illis verſibus

——illic, *quos ſulphure pingues Phlegræi legêre ſinus.*

Iuxta hos colles officinæ exuitunt ſulphuris, quod vſque à Plinij memoria hinc mittitur electiſsimum. Atque ex his patet area ſulphurea, duorum circiter milliariorũ ambitu. Forum Vulcani, ab antiquis dicta, vt Strabo eſt author. Nec incongrue, quando primo aſpectu, caliginoſa, & quaſi caminũ fornacis ingreſſuris ęſtuet, & quam fremitu vndique colliũ, feruore lacunarũ, vapore, igne, inſtabili ſolo horridã, haud tuto quis auſit, niſi certis ſemitis adire; ob occultos, quos ſulphuris incendiũ continuo demolitur; anfractus, in quos miſerè aliquos peſſundatos, ac ſuffocatos, accepimus. Eſt autem ad caput hnius areæ lacuna, inter alios hiatus, aquarum feruentiſsima: quæ ob varium ignis, ac aquarum ſimul erũpentium impetum, modo amplior viſitur, modo anguſtior, ac ouata ſpecie, vnde Nauis, ſiue potius, (vt multis placet) Abyſſus, dicitur, quæ immenſi gurgitis inſtar, luridis, terris, ac putidiſſimis ſcatet aquis, tantoq; feruore ſalientibus, vt proiecta quæcunque animalia, citiſsimè abſumat, ac ad oſſa vſque conficiat. In hoc Vulcani foro, ſulphurea conflantur potoria vaſcula, quorum vſum, lienoſis prodeſſe, compertum eſt.

36. FRANICHERIA.
38. FRANCOBVRGVM, haud ignobile Haſsiæ, qua Regio ipſa VVeſtphaliam reſpicit, oppidum.
56. FRICATORIA Baiana.
56. Fricatoria Baiana, vide Balneum Trituli in Indice.
39. FRISLARIA, Haſsiæ oppidum.
57. Le FVMAROLE Agnano.

G

55. GAIETTA, vide Caieta.
47. GAMANODVRVM, vide Saltzburgum.
56. GAVRVS, Gallicanus, Maſsicus, Synonyma ſunt, mõtis Campaniæ felicis, qui hodie Gerro vocatur, vt referunt Blondus & Leander. Maſsici, & Gauri memoria eſt apud Plinium, Liuium, Ciceronem, Statium, & Vibium. Gallicanum fateor me apud neminem antiquorum hactenus obſeruaſſe. Sed Calligula mõs eſt apud Liuium; pro quo Gallicanus peramplam habent Blondus & Leander.
17. GELDRIAM, eam eſſe vrbem, vnde regio ipſa vniuerſa adpellationem obtinuerit, nominis ratio planè cõfirmat. Vrbem autem id cõſequutam nominis, ab immani quadam, eo loci, cæſa beſtia, ex aliorum ſententia, in ipſa deſcriptione, retulimus. Sunt tamen etiã nonnulli, qui vel à Gelduba, cuius frequentẽr meminit Tacitus, vel à Gerlaco, ſecũdo Geldriæ præfecto, Geldros appellatos, exiſtiment. Priorẽ tamen ſententiam, de trucidata ad Eſculam arborem beſtia, primæ Geldriæ inſignia, confirmare videntur, quæ tres Eſculanos flores, in campo flauo exhibebant. Anno ſalutis M. CCC. XXXIX. Reinaldus Geldriæ Dux, Carmelitarũ ſocietati Collegium, in hoc oppido fundauit.
57. S. GERMANI ſudatorium.
31. GOVDA, Hollandiæ opp. in oſtio aluei Goudæ, cuius & nomen refert, ad flumen Iſellę ſitum eſt, Leida, quarto diſtitum milliari, copioſum, diues, populo abundans, viros habuit complures litteris claros, vt Henricum & Ioannẽ, quos Tritemius in ſuo virorum illuſtriũ catalogo memorat. Guilielmum Hermanum, & Cornelium Aurelũ, Hiſtoriographos & Poetas. Hermannum Goudanum Theologum, & Iacobum Poetam inſignem. Vicinum Goudæ cœnobium eſt Regularium fratrum nomine, Stein, in quo Eraſmus Roterodamus, adoleſcens, inſtitutum monaſticum profeſſus fuit.
56. Golfo di Napoli. Vide ſinus Baianus in Indice.
9. GRATIANOPOLIS.
57. GROTTA della Sibylla.
56. Grotta Traconaria, conſule deſcriptionem montis Miſeni in Indice.
57. GROTTA de li cani.

H

Haga Comitis. vide Delphium in Indice.
41. HALBERSTADIVM, inſignis Saxoniæ vrbs, perauguſto Canonicorũ collegio celebris, quæ anno poſt orbẽ redemptum 1180. graui calamitate eo diſtidio eſt preſſa, quod Vlricus Epiſcopus cum Henrico Leone fouit, quando infeliciter pugnatum à ciuibus, capta vrbs, alioqui munitiſsima, ab hoſtib' exuſta, Eccleſia ſimiliter primaria, in quam clerus & populus, tanquam ad tutiſsimum aſylum confugerat: capitus &

ptus & abductus Episcopus: si quę ex incendio ciuium reseruata bona, à ferociente victore per vim ablata. Et in cadauer denique, vrbs tota conuersa. Truces sic sunt Bellonę fructus. Sed, vt sunt rerũ mutationes mirabiles: Qui superarent oppidani, situs opportunitate illecti, nouam ex cineribus excitant vrbem, & temporis deinde successu, harum calamitatũ obliti, debitam Episcopo suo obedientiam detrectãt. Quare Ernestus Magdeburgensis Archiepiscopus, & Administrator Halberstadiensis, ad iuga & plenam obedientiam, armis hãc vrbem redegit, accipiens eam in potestatem, & omne eius gubernandæ ius à cõsulatu in se transferens, ac tum Iudices ac Scabinos, qui iustitiam ex æquo & bono administrarent, constituit.

23. HANNONIA.

56. Herculis Bauli templum in Baiano sinu magnificũ fuit, quod ad Auernum montem versus, orientali latere Plinius demonstrat, vbi tum ætate sua, templum adhuc antiquissimum, rotunda forma conspectum ait. Id ad Baianum fuisse sinum, Strabonis quoque narratio probat, qua aggere Lucrinum lacum ab Hercule munitum scripsit, boum Gyrionis traducendorum caussa: quapropter & Baulos, ita vetustate corrupto vocabulo, Boalia primum dictos, auctor est Seruius in eo Vergilij loco. Et tenebrosa palus Acheronte refuso: addens insuper, Herculem istic Aeneæ visum. De Baulis quoq; commemorat Tacitus, Neronem matris fata præparantẽ scribens eam ad Baias euocauisse, vbi Quinquatriũ celebrabat, exceptamq; inquit, manu & complexu duxit Baulos: id villę nomen inter Misenum promontorium & Baianum lacũ est, quę flexo mari alluitur. Eandem villam compellat Silius inquiens: Et Herculeos vidit in littore Baulos. Hortensiũ oratorẽ apud Baulos in parte Baiana piscinam habuisse nobilẽ, & in ea Murenam adeò dilexisse, vt exanimatam fleſſe credere tur: in eadem villa Antoniam Drusi Murenę quam diligebat, inaures addidisse, eiusq; rei fama quosdam Baulos videre concupiuisse Plinius scribit. Mẽtionem Baulorum Agrippinę matris Neronis interitum insidijs filij circumuentę narrans, præter Tacitum etiam Suetonius facit, qui de Nerone quoque cum memoria huius oræ in hæc verba memorat. Inchoabat piscinam à Miseno ad Auernum lacum, contectam, porticibusq; conclusam, quò quicquid totis Baijs calidarũ aquarum esset, cõmitteretur: fossam ab Auerno Hostiam vsque vt nauibus nec tamẽ mari iretur, longitudine per CLX. milliaria, latitudinis, qua contrariæ quinquiremes commearent. Eiusdem fossæ Plinius insuper, vnaque Tacitus meminerunt.

52. HERCVLEA.

I

INARIME, vide Iscla.

58. INARIME Insula.

Inferum mare, vide Tyrrhenum in Indice.

19. INSVLA, Flandriæ, quam Gallicantem cognominant, vrbs præcipua, Germanis, Rissell. Gallis quorum hic lingua potissimũ præualet, Lille, dicitur. Quæ, vt potentia, diuitijs, & potissimum Mechanicis artibus quouis tempore floruit, ita Bellona, Vulcano, & varijs iniquæ fortunæ casibus, frequenter afflicta fuit.

45. INVTRVM.

56. IOVIS antiquum templum, nũc D. Proculo sacrum, in Campania felice medio oppido Puteolano cõspicitur, id in aditu, hanc inscriptionem adhuc habet. Calfurnius L. F. Templum Augusto cum ornamentis D. S. I. Etalia quoque pars huiusmodi: L. Cocceius L. C. Posthumi L. Auctus Architecti. Visuntur etiam hic ossa quædam humana, vastissimæ magnitudinis, hoc pomponij Lati carmine celebrata.

Huc quicunque venis stupefactus ad ossa Gygantum,
Discе, cur Hetrusco sint cumulata solo.
Tempore, quo domitis iam victor agebat Iberis
Alcides, captum longa per arua pecus
Colle Dicharchea clauaq; arcuq; Typhones
Expulit, & cesſit noxia turba Deo.
Hydruntum petijt pars, & pars altera Thuscos,
Interijt victus terror vtroq; loco.
Hinc bona posteritas immania corpora seruat,
Et tales mundo testificatur auos.

ISCHIA, vide Iscla.

56. ISCLA hodie Ischia, Hermolao, Volaterrano, Fabricio, & Erythræo, qui in suo indice Virgiliano, contra Plinium &, eius castigatorẽ Hermolaum docet, hanc maris Tyrrheni insulam, non Inarime, sed Arime ab Homero vocatã, Virgiliũque primum fuisse, qui Arime, cum w Ionum præpositione, iunctim legerit. Hanc Eretrienses, & Thacidẽses primi incoluerũt, quos ob feracitatẽ soli, fortunatos Timæus vocat. At Hiero senior Syracusarum tyrannus, qui postea & ei, & Campaniæ dominatus est, illis, ob seditionem, pulsis, colonos è Sicilia eò trãsmisit, qui oppidum Gerundam cognominatum, ædificauerunt. Horum tempore, & paulo ante Timæi ætatẽ, collis in medio insulæ situs, cũi Epomeus erat nomen, terræ motibus primùm frequenter concussus, mox incendia maxima, aperto hiatu, euomuit. Quibus cõterriti Siculi, & oppidum, & insulã deseruerũt. Sed & Lucio Martio, & Sexto Iulio Coss. & deinde Cæsare Augusto, Tito, Anthonio quarto, atque Diocletiano imperãtibus, plurimum arsit. Alberti pręterea primi, anno tertio, adeò vehemens ibidem profluuium ad menses duos prorupit, vt in suum quodammodo exitiũ conspiraſſe crederetur, cùm plurima bruta, ac multos homines consumpserit, & cæteri fuga dilapsi, in proximam Pandatariã, vel Capreas, vel Baias se contulerint. Remanent eius incẽdij adhuc vestigia, locusq; ille asperrimis lapidibus cõbustis tectus, simul & incultus, longitudinis p. m. circiter 3. Crematus nominatur. Oppidum in hac insula olim cõditũ, Iscla hodie dicitur, quæ & insulæ, abolitis vetustis adpellationibus, nomen dedit. Est natura munitum, edito atq; exeso in monte situm, quod mari olim undique cingebatur. At cursu temporis, vallo, quo ab insula discrepabat, iniectis saxorum ruderumq; machinis oppleto, insulæ connexum est. Ad ipsum accessus est peraccluis, magnaq; ex parte saxo cęso, atque excauata rupe, manufactus, quę vel duo milites tuto tueri possint. Iscla, Sirenes præterea & Prochyta quoq;, strictissimo gurgite à Cumarum littore disidẽt, ac tanquam moles pulcherrimæ, mare pingentes, prospectũ à regione agri Cumani, Miseniq́ue, iucundissimum præbẽt. Scribit Pindarus in Pythijs, (quod & lib. 5. Strabo verisimile arbitratur) tractum omnem æquoris, qui à Cumis & Puteolano agro ad Siciliam vsq; protenditur, ignitũ esse, profundasq; in vnum coeũtes, habere cauernas, eoq; insulas interiacentes igniuomas esse.

56. Iulium opus in sinu lucrino, vide de eodem sinu, Indice.

47. IVVAVIA, vide Saltzburgum.

54. IVPITER ANXVR.

L

57. LACVS AGNIANVS, in Puteolano est ad viam, quæ est à Puteolis ad Neapolim, admodũ celebris. Tum, ob L. Luculli villam, hic olim amœnissimam; tum ob spectabilẽ lacus ipsius naturam, quem amphitheatri instar continuis collibus vndiq; clausum, ijsq; sulphurosis, verisimile sit ab insigni olim aliquo harum terrarum incẽdio habuisse originẽ. Quam ob rem complura adhuc extant cõclusi eius ignis spiracula, diuersæ admodum, pro diuersitate terrarum, qua vapores ipsi transeunt, qualitatis. Quidã animalia quæcunque iniecta lethali spiritu enecant, ac mirã naturæ contrarietate cum eadem in lacum ipsum demissa reuiuiscant, ob temperatum (vt credo) aquarum eius teporem, in quo propterea ranę degunt, ac magna serpẽtium copia. Quidam verò ex his specubus ad sudationes recipiũtur, quas Fumarolas Neapolitani appellãt, summo hodie honore ac frequẽte vsu celebres, calefaciẽdo vtiles, exiccando, discutiẽdo. Vbi aliqui ad hũc vsum peranguſti hiatus existunt, in quos membra ipsa patientia, vt pedes, crura, brachia, seu contracta, seu tumida mittunt, ac fouent, reliquo foris corpore seruato incolumi, ac mirificè iuuantur.

26. LANDRECIVM.

47. LANDSHVTVM, lauta, elegãs, ac nitida Bauariæ inferioris vrbs. Senioris Bauaricę domus filij, nunc successoris paterni, residentiæ. Isarõ fluuio irrigatur, qui, vbi Landauiã, Sindelfingium, Monacum, Mosburgum, & Mittenvvaldiũ, vrbes famosas, allabitur, tandem se Istro associat.

47. LAVREACVM. Opp.

51. LAVRETVM, agri Piceni, ob tutelam inclyti, toto mũdo B. Mariæ Lauretanæ, oppidum munitissimum, quo in loco olim, vt quidam censent, Cupra montana fuit, à Plinio in Piceni quintę regionis mediterraneo, descripta, simulq; propter aliam Cupram maritimam, montana cognominata. Sũt etiam,

etiam, qui in D. Mariæ Lauretinæ fani loco, prius ædẽ Iunonis Cupranæ fuisse tradant, à veteribus religiosissimè cultã, vt Petrus Marsus ad hunc Silij versum notat: Et quis littoreæ fumant altaria Cuprę. Scribit enim, Cupram oppidum, ad mare quondam templum habuisse Iunonis, Thuscorum ędificium, qui Iunonem Cupram nominabãt, ideoq; Poetam, illic altaria fumasse, dicere, quoniã Cuprani, Iunonis colebãt sacra. Verùm enimuero, quod Cupram oppidum esse ad mare dicit Marsus, in hoc eũ falli, cum alijs quibuſdã animaduertendum est, qui immemores, duas Ptolemæum in Piceno Cupras designare, montanam, atque maritimam, nõ de alia, quàm litorali Cupra cogitauêre, cũ tamen Iunonis templũ intus in colle, non ad litus in planitie, situm fuerit.

30. LEVVARDVM.

Liburnum, vide Tyrrhenum mare in Indice.

19. LILLE, vide Insulam.

11. LOVANIVM, Brabanticarum vrbiũ præcipua, amplitudine, in Germania Agrippinã Coloniam, in Gallijs verò Lutetiam Parisiorum superare dicitur. Vniuersitate celeberrima claret. De cuius initio in Chronicis Coloniẽsib⁹ refertur, quòd Ioannes dux Brabantus, à Martino PP. V. impetrãrit Academiam Louaniensem, vt ibi omne artium & disciplinarum genus doceretur: quodq; anno M. CCCC. XXVI. cœperint profiteri: ac quanquam Martinus noluerit permittere, vt sacra Theologia traderetur, id tamẽ Eugenius IV. pmiserit. Quæ ex Colonienſi deriuata & procreata, tandem à maximis Pontificibus, Imperatoribus & Regibus, Reuerendissimisq; Cardinalibus, & Episcopis, acalijs clarissimis viris, partim amplissimis priuilegijs, partim etiam exstructis splendidissimis collegijs, egregijs fundationibus, & legata in vsus literarios maxima pecunia, in eum splendorẽ perducta est, vt celeberrimum in Germania omniũ literarum emporium, florentissimaq; Academia meritò appelletur. Nec enim bonarũ artium gloria omnes alias tantum hoc tempore superat: verùm etiam sic firmata, sic dotata, sic ornata est, vt vix vnquam interire posse, videatur. Est præterea cœlum Louanij, quod vel Italico, quamuis adamato, præferas, nõ amœnum modò, verum etiam salubre, & studijs aptissimum. Vnde Erasmus epistola quadam ad Ioann. Lodouicum Viuem: Nulla, inquit, me res inuitauit, vt Louanium commigrarem, nisi cælum salubrius & locus amœnior. Ioannes Geropius Beccanus, nullam vel in Italia, vel Germania, vel Gallia, Hispaniaq; Academiam reperiri affirmat, quę sit cum Louaniẽsi, situs elegantiã, iucũditateq; comparanda: &, quod, etsi Sala manca in Hispanijs, scholarum magnificentia omnib⁹ Europæ gymnasijs præstet, tamen situ & locorum facie, à Louanio superetur, nec vsquam alius locus reperiatur, cui meli⁹ Musarum domicilij nomen conueniat. Quare præstãtissimis in omni disciplinarũ genere Doctoribus, ingenuisq; adolescentibus quàm plurimis, inde ab initio semper abundauit, nostro tamen seculo (etsi satis celebris & florẽs erat) multis, ijsq; præstãtissimis & pulcherrimis ornamẽtis supra omnes alias excreuit. Nam præter alias innumeras commoditates, Adrianus VI. Pontifex Maximus quia hæreses in Germania exoriri videbat, & homines quosdam in eam curam incumbere, vt bonas literas, vnà cum ipsis academijs euerterẽt, egregium Louanij, vbi ipse tum Rector & Cancellarius erat, collegiũ, sub Adriani nomine, extruxit, vbi tenuioris fortunæ iuuenes, cum Doctoribus sustentarentur, qui cùm alias oẽs artes, tum verò in primis sacram Theologiam tã oportuno tempore docerent. Huius optimi Pontificis, glorioſissimiq; patris sui Caroli V. Imperatoris Romanorum præceptoris exemplo, vt videtur, permotus potentissimus & verè Catholicus Hispaniarum Rex, Belgijq; Princeps, Philippus II. non tantùm hanc amplissimam academiam mirificè semper honorauit, verum etiam superioribus annis, cùm hæreses etiam in Gallijs (quo multi ex suis ditionibus proficiscebantur) in ualescere videret, iccirco, vt innocuæ iuuentuti in alia loca, quæ erroribus abundarent, proficiscendi occasionẽ præscinderet, & nouam Duacensem academiam erexit, & Louanij aliarum artium atque linguarum studijs auctis, linguæ Gallicæ publicos Professores instituit.

Losdunum, vide Delphium in Indice.

16. LVCEBVRGVM, nominis eiusdem Ducatus Metropolis, vrbs ampla, partim montosa, partim æqualis, arce, & propugnaculis munita, etsi Martis frequenter deformata furoribus, quibus nihil cum Musis, otio & trãquillitate gaudẽtibus commune, illustres tamẽ eruditione viros edidit. Atq; inter multos Nicolaum Nanium, hominem vsque adeo doctrina, & rerum prudentia magnũ, vt Curię iudicialis apud Luceburgum Præses, nõ ante munus, quàm vitam, filium autem reliquerit sibi cognominem, qui paternas æquans virtutes, tantum apud Carolum Quintum Cæsarem gratia valuit, vt in toto Imperio Cancellarij vicarius ab eo constitutus. id muneris cum vita finierit.

56. LVCRINVS SINVS, iuxta portum Baianum in Cãpania, lacus est, scriptorũ elogijs celebratus. Ostreis quippe, & auratis abundare solebat, vnde Martialis:

Non omnis laudem pretiumq́ Aurata meretur:
Sed, cui solus erit concha lucrina cibus.

Et alibi:

Ebria Baiano veri modo concha lucrino,
Nobile nunc sitio luxuriosa garum.

Plinius etiã auratas, & ostrea Lucrini Baianiq; sinus celebrat. De Lucrino Vergilius.

An memorem portus? Lucrinoq; addita claustra,
Atq; indignatum magnis stridoribus aquor?
Iulia quã ponto longo sonat vnda refuso,
Tyrrhenusq; fretis immittitur æstus Auernis.

Quos versus exponens Seruius, duos, ait, in sinu Baiano Cãpaniæ contra Puteolos esse lacus, Auernum & Lucrinum, vnde propter vberes piscatus, amplissimum vectigal percipiebatur, aliquando tamen impetu nimio marinis vndis intrantibus, & eadẽ celeritate refluentibus, abduci cõtigisse piscẽ, & vectigalia deteriora fieri. Hac de causa Publicanis orantibus, vt prouideretur, Iulium Cęsarem eò missum, ab eoq; negotio toto perspecto, brachia duo, iactis aggeribus, ducta, quibus æstus marinorum fluctuum arcerentur, angusto tamen ostio relicto, per quod in Auernum piscis cõmeare posset, fluctus ingruere nõ possent: proinde opus id Iulium appellatũ. De qua re Suetonius etiam memorat, Cæsarem Baianum portum extruxisse, immisso in Lucrinum & Auernum mari. Lucrinum à lucro denominatum, nõnulli credunt, quod ex eo, quia piscosus esset, percipiebatur.

56. L. Luculli villa Baiana, lacus mortuo vicina, tã stupendum est, ob impensam & sumptuum magnitudinem, opus, vt vulgus Piscinam mirabilem nuncupet. Is autem Lucullus, nobilis Romanus fuit, virtute bellica, eloquentia, & diuitijs clarus, tãtas namque bello sibi opes parauit, vt eleganti sumptuosaq; vita, cui se postmodum dedit, eas non potuerit conterere. Aedibus namque & Prætorijs extruẽdis, hortis, & cœnationibus amœnissimis, incredibili sumptu paratis, & Bibliotheca insigni, vtriusque linguæ libris referta, atq; omnibus obuia & parenti, planè admirandam opum magnificentiam ostentauit. Villam quoque habuit Baianam, in qua mensibus hybernis agere solebat. Opus erat ad mare mortuũ descensu graduum XL. in ipsis terræ viscęribus admirandum, latere calceq; factum, quatuor columnarũ ordinibus, id est, quintuplici porticatione. Columnę quadratę sunt, crasſę pedes ternos, cum semis eleganti symmetria factis, altę sub fornicibus pedes duodenos: vnde, quantum ratione colligi potest, à solo, ad summum in testudine cœlum, altitudo fermè pedum XXV. erit, quippe quoniam intercolumnia duodenorum item pedum sunt, vnde nimirum gemina ferè in altum consurgere, duodenarij mensura videtur. Et hæc quidẽ porticationis mediæ descriptio est. nam aliæ, quæ latus vtrinque tenent, binis ped. angustiores sunt. In mediã quinque gradibus ex alijs descensus est: vbi ambulatio, per quam aquæ nõnihil, vsque ad exttemum porticationis caput, paulò humilius cætero destituit, vbi graduum etiam aliquot descensus: vnde iudicio colligi optimè potest, ædificium hoc quõdam ad vsum aquæ seruandæ, factum. Spacio inter extremos parietes in longum ped. D. in latum CCXX. patet. Altero capite, rursus totidem graduũ est ascensus, quot in priore esse descensum, diximus: spiraculaq; plurimis in locis apparẽt, tanto sumptu & artificio facta, vt non sine causſa, ædificiũ istud Luculli, vulgò mirabilem Piscinam appellari, ita suprà fassi simus. Deferri se in hanc villã Tiberium Imper. ingrauescente morbo voluisse, Tacitus auctor est, in hæc verba scribens: Mutatisque sæpius locis, tandẽ apud Promontorium Misenę consedit in villa, cui L. Lucullus quondam dominus.

M

12. MACHLINIA, elegantissima Brabantiæ vrbs, Archiepiscopi sedes, distat Bruxella, Louanio, & Antuerpia miliari

bus quatuor, situ & opere munitissima. Præterquam enim propugnaculis,mœnibus ac fossis circũdata est,vicina decliuiora loca;aquarum septis recluſis,stagnantur,vt hostib⁹ nullus ad eam aditus pateat. Hæc vrbs, ob præstita in obsidione Nouesiensi(oppidũ est ad Rhẽni ripas infra Coloniã Agrippinam)Carolo Burgundionum Duci officia, multis priuilegijs,etiam ad inuidiam vsque vicinorum,est dotata:vectigalium,maximè in Brabantia, immunitate. Qua Antuerpia itur ad portam Catharinariam, vrbi Machliniæ cõiunctus est amplissimus circus, castelli instar,muro clausus,domicilijs plenus,vbi celebre etiam templum cernitur, D.Alexio, vt tutelari numini dicatum,quo loco in frequentissimo mulierũ conuentu,plus minus sesquimille,omnium ordinum fœminas semper reperias,quę religionis ergò,commoratũ eo con cesserint,omnes verò,quatuor primis vniuersæ parẽt, & obediunt,in quibus sunt,quæ de suo luculentè viuunt,lõge verò maxima earum pars,lana,ac tela victum quæritat.Sed hic non modo lubet,dumque ita res postulat,extra septa egredi, verum etiam contradicente nemine,quãdo sic visum fuerit, nubere licet.cęterùm nunc,quod equidem vehementer dolẽ dum,magnificum hunc circum, virgineo cœtui nuncupatũ, quemadmodũ & elegantissima vrbi Machlinienſi vicina cœnobia,etiamnum sæuientes domesticæ seditiones,quę initiatis potissimum, & locupletioribus ciuibus funestæ hucusq; & noxiæ fuerunt,solo adæquatũ,funditus euerterunt.Machlinienſibus,ne omnem antiquitatem, ab Aboriginibus,excutiamus,quondam imperarunt Bertholdi,gens vndiq; spectata,& illustris,ac,vbi eius familiæ stirps vtraque excidit, nouissimè post diuturnum bellum, ligitiosamq; contentionẽ, pars eius vrbis Eburonum Antistitem,pars Geldriæ Comitẽ agnouit.Sed illi ipsi, (vt Meierus atteſtatur) postremo iure suo cedere,annoque M.CCC.XXXIII. Ludoico Niuernienſi Flandrorum Comiti vniuersam dominationem diuendere, id,quod ancipitis belli seminarium extitit. Recusabat enim Ludoicus,Brabantiæ Ducis cliẽtelare beneficium,quod maiores aliquando,vt ferebatur,non abnuerant. Tandem verò post longissimam,eamq; inutilem litigatorum altercationẽ, Ludoicus Maleanus,iam dicti Ludouici filiorum natu maximus,Margaritam Ioannis III.Brabantinorum Reguli filiarũ alteram duxit vxorem,cuius matrimonij ratione vtvt cõfectum bellum,restinctum non sit, ad extremum rebus compositis,Flandriæ Brabantia coniuncta est. Philippus autem cognomento bonus,subinde singulare huius vrbis imperiũ constituit,quale eriamnum manet.Inde secundo lapide. præclarum occurrit municipium Heista,colli impendens, cum appendicib⁹ septem castellis.Machlinienſium territorio circũscriptum,cęteroqui per se liberum,&omnium rerum immune.Habet insuper hęc vrbs(vt scribit Barlãdus)suas minimè vulgares dotes,aeris multã clementiam,& salubritatem,incolas sermone blãdos,moribus mãsuetos,comes,ciuiles,belicosos etiam,cùm res exigit,placet in hac vrbe virorũ multitudo,placet mundicies;habet concilium Regiũ, & ædes sacras complures decenter ornatas. Vrbẽ hanc Machliniẽsem multo celebriorem nunc reddidit Illustrissimus D.Cardinalis Granuellanus,nouæ scholæ institutione, quam velut seminarium quoddam morum,ac litterarum ex Concilij Tridentini præcepto,magnifici viri,non modo de hac vrbe,sed de vniuersa Brabãtia eo ipso bene meriti,instituere nũc moliuntur.In qua pueris,quibus parentes,ob fortunarum angustias,necessarios ad studia sumptus,suppeditare nequeũt,Illustrissimi D.Cardinalis munificentia,ad victum & cultum necessaria,perpetua fundatione,concedentur.Hominũ memoria celebrantur Machliniæ oriundi præstantissimi,doctissimiq; viri,Franciscus Costerus, Philosophus & Theologus celeberrimus,Societatis Iesu,iam hoc tempore,in superiore Germania prouincialis,Ioãnes Hoechus,& Arundineus,Gratuis vterque Auctor.Item Nicasius Vordeus,is,qui licet visus vsuram ei casus trimo,eripuerit, in literis tamen vsque adeò profecit,tantosq; fecit progressus,vt vtriusque Iuris professione,Doctureq; dignitate clarueriit, ac idcirco abs Trithemio inter naturę miracula adnumeratur.Louanij.n.ac Coloniæ,Iura publicè docuit,interpretatusq; est,& discipulis nõ nulla theoremata dictauit,quę typis impressa,etiamdum extant,æternum alioqui duratura.Obijt rarus ille vir anno M. CCCC.LXXXXIIII.Hinc ibidem editus est, (quemadmodũ ipse in oratione ad Senatum Machlinienſem apertè fatetur.) Christophorus Longolius,vir, cum propter raritatẽ doctrinæ,tum propter virtutum cumulum, omni Europæ notissimus,quę,non modo summo semper honore, priuati quiuis homines,sed etiam Principes viri coluerũt,quemq;certatim multi,multis honorarijs muneribus donare voluerũt, sibiq; ita eius consuetudinem conciliare,vel potius emere. Sed omnium vniuersę ordinum dona aspernatus,vnius Reip.Florentinę,cuius aliquandiu officiosus,studiosusq; extitit,pensione annua contentus, multorum auctor operum, Patauij anno M.D.XXII.libris immoritur. Contra D. Erasmus ille Roterodamus,in quadam familiarium Epistolarum, ad Damianum suum Goesanum,data scribit, Longoliũ re vera fuisse Hollandum,Schonhouia oriundum. At ipsi auctori, patriã professo,citius fides ponẽda videtur, quàm cuiuis peregrino.Scitum enim illud est,Cuiq; suus imperat affectus.Superant etiam num inter literatos & claros homines,ciueisq; Machlinienses,Rẽbertus Dodoneus,insignis Medicus, idẽq; Mathematicus peritissimus,à quo multa, nec ea parua opera,subcisiuo tẽpore lucubrata.Deinde Philibertus ille Bruxellensis,albo geniorũ Regiorũ adscriptus, vir cęteroqui fi teratissimus,& excellẽs Orator. Iacobus Vuastelius,in sanctum illud Machlinienſe consilium cooptatus, vir vndiquo eruditus,& honoratus,cuius fili⁹ Petrus,patrię dignissimus, vt doctrina,sic eloquentia valet.Adeo,vt eius ore indigenæ Senatus grauioribus quæstionibus,postulatisq; respondeat. Pereruditorum Illustriumq; cæterorum virorum,quib⁹ aliqua scientiæ laus datur, multitudine, breuitatis studio supersedere in præsentia malumus,quàm ieiunè sobrieque de singulis dicere.

Malatestarum familia.vide Pisaurum in Indice.

27. MARIEBVRGVM.

56. Mare mortuum, lacus est promontorij Misẽi, iã non ea latitudine,qua quondam fuit,conspicitur, quippe Cæsarem Augustum in eo classem instructam ad præsidium inferi maris habuisse,Suetonius auctor perhibet,in hęc verba scribẽs, Classem Misẽi,& alteram Rauennæ ad tutelam inferi,& superi maris collocauit.Præfecturam eius classis Plinio auun culum gessisse,cum incauto animi desiderio,ad Vesuuij mõtis ignes propius explorãdos,profectus interiit,Plinius Nepos tradit.Augusti institutum, vt classes Misẽi Rauennæq; teneret,Imper.Tiberius etiã sequutus est, vt Tacitus scribit. Circa mare mortuum vndique plurima sumptuosissimorũ operum fundamenta,ac item partes ædiũ,opere,vt videtur, reticulato structarum,cernuntur, vnde manifesto colligere est,à Mortui maris faucibus,vsq; Baias,inde per Lucrini, Auerniq; ripas,& post,eo litoris flexu ad Puteolos, olim perpetui vici instar,ædificia prope contigua, perpetuaq; fuisse, quorum hac ætate,nullũ omnino supereſt integrum, omnia quippe,vel concidêre,vel mari hausta,vt hinc insigne liceat exemplum fragilitatis rerum humanarum desumere.

56. Mirabilis piscina,vide L. Lucullus in Indice.

56. Misenus,felicissimæ Campaniæ mons,vnde nomẽ sortitus,cũ priscis diceretur Aêreus,hęc Virgilij verba indicãt:

Præterea iacet exanimum tibi corpus amici,
Quem socium exanimum vates,quod corpus humandum
Diceret,atq; illi Misenum in littore sicco
Vt venere vident indigna morte peremptum,
Misenum Aeolidem,quo non præstantior alter
Aere ciere viros, Martemq; accendere cantu,
Hectoris hic magni fuerat comes.

Et post:

Nec minus interea Misenum in littore Teucri
Flebant,& cineri ingrato suprema ferebant.

Ac deinde post cõmemoratos humationis ritus, ita subijcit.

At pius Aeneas ingenti mole sepulcrum
Imponit.suaq; arma viro,remumq; tubamq;
Monte sub Aerio,qui nunc Misenus ab illo
Dicitur,æternumq; tenet per secula nomen.

Solinus etiam & Mela tradunt,Misenum hunc,à quo montis appellatio profecta,tubicinem Aeneę fuisse,quem ab illo cęsum iuxta lacum Auernum,auctor est Homerus.Quanquã verò Misenum fato suo functum,in aliorum monumẽtis reperiatur,tamen ab Aenea cæsum,immolatumque verum est. Sed nos in hac diuersitate auctorum, suum legentibus iudiciũ concedimus.Quam sumptuosa sint in isto monte Misẽo fornicata ædificia subterranea,cryptæ,& columnæ frequentissimæ,quibus quasi vniuersum Promontorium Misenum excauatum incumbere videtur, verbis explicari vix potest. His sanè tã admirandis operibus inspectis,obstupescere mihi planè cõtigit, inquit Leander,vt adeò falli præstigijs, aut per quietem, nec veras operum cernere fabricas mihi viderer : quanquam plurima quoque nunc magna ex parte ruinis deformata iaceant.Excusso tamen stupore,quędam ex his ædificijs metiri incepimus,præterq; cætera,quod Cryptã Traconariam vocant,à traconibus nimirum,id est fistulis,aut subterraneis meatibus, per quos in specum hunc olim aquæ pluuię confluebãt.Itaq; per vepres,dumos,& vrticas ostiolo modico graduũ aliquot descensu, in profunda mõtis penetralia deductus,cryptam immensam hac forma reperi.Patet vtrinque longitudine,latitudineq; plurimum,altitudo quoque maxima est:tota rationem structuræ conuenientissimam obtinet:partim tamen integra, partim ruinis deformata, & collapsa.Quæ pars eius etiamnum cõspicitur,huiusmodi est. In medio ambulacrũ apparet longum ped.CC. latum IIXX. adhærent vtriq; cellæ fornicatæ quaternæ,latitudinis quædam ped.XII.nonnullæ XVI. spatium etiam, quo distant inter se singulæ,nõ est idem.alibi ped.XII.alibi XVIII.Singulæ cellæ suas portas habent,omnes eadẽ,& pari latitudine ped. XII. quæ vicissim inter se singulæ distãt in pedes XVI. primæ tamen ab altera spatium aliquanto maius pedes IIXX. cæterarum, vt diximus,æquale est. Camerarum fornices decussatim iuncti parietibus intermedijs incumbunt. Hoc ædificiũ, vti tum fama fert,tum etiam agnosci facilè potest,castellum, vel cisterna quondam aquis recipiendis fuit. Alia quoq; prætereà tot in intimis viscęribus montis,quædam integra,quædam ferè collapsa conspiciuntur, vt admirationem prorsus ingentem habeant,neq; sanè possent,nisi longissima narratione describi,præterquam, quod etiam pleraq; veritatis fidem excedere profectò viderentur.

55. MOLA, oppidum fuit quondam ad Appiam viam in Latio perelegans,hodie vicus, quem Thomas Fazellus decadis ix. cap. ij. de rebus Siculis, Caietæ suburbium nominat. Tullio Ciceroni,Molæ Formianæ dictæ, quod à Formijs non longè abessent.

53. MONS CIRCEVS.

56. MONS NOVVS,ad Puteolanum sinum, perhorrẽdo casu est ortus.Anno namq; post C.N.M.D.XXXVIII.Mẽse Septẽbri,die qui D.Michaẽli festus agitur,antea diebus aliquot auditis terræmotibus,repente tam terribili mugitu fremituque cœlo sereno terra dehiscẽs Tripergulano se in vico aperuit, vt vniuersa mundi machina ruere arq; dissipari videretur:quam rem cùm attoniti accolæ spectarent,ex illo telluris hiatu flammæ oriri visæ,cineres ardentesq;,lapides cũ ingenti fumo proijcientes.Saxa tanto cum impetu in cœlum eiacu lãbantur, vt intuentes admiratione prorsus obstupescerent. Cineres vndiq; venti erumpentes quàm latissimè dispergebant,præcipueq; versus Puteolos,ac Neapolim,adeò,vt ad oppidum Sanseuerinum vsq;,quod à Neapoli P. M. IIII. & XX. abẽst,cum animalium & agrorum maximeq; arborum ingenti clade lues ea peruaderet. Circum diuulsionem illã & voraginem soli,cineres,spõgiosiq; lapides cũ flammis eiecti,montem altissimum amplissimumq; constituêre, quaterna radicũ ambitu milliara continentur.

43. MONS REGIVS,Konigſpergum,Latinè non inelegantèr,Mons Regius,Prussiæ nunc Principis sedes ad Chronum, seu Breglam amnem.In quo Magni Magistri ordinis Teuthonicorum sedes erat aliquando: opus est Regis Boiemici, idq; ea occasiõe.Pruteni Christiana religione violata,Magistroq; in Prussia à Friderico Cęsare constituto ad resistendum impare,vim intolerandam omnibus Christianis domi, forisq; vel in Mazouia,vel ad Pomeraniam accolentibus,spolijs cædeq;, & strage inferebant,ita,vt in illos Romanus Pontifex vexillum crucis sustolli iusserit.Induit crucem Orhogarus cũ Boiemis,& Austriacis,similiter Brumo nuper Episcop⁹ Olomucẽsis creatus,cum Morauis.Accessit mox in itinere haud procul à Vuratislauia Otho Brãdeburgensis Marchio, ex sorore Orhogari prognatus,quibus copijs in vnum coniunctis,procedebat Rex quadrato agmine,sperans futurum,Prutenos in aciem obuios prodituros.Quod vbi non est factũ,edicit Rex, ne quisquam militum Christianis, eorumq; possessionibus noceret,cæterùm in perfidos hostes,iure belli vt agerent,datiq; à Magistro ductores,qui rectà milites ad agros hostiũ deducerẽt.In illis nullum maleficium omissum,donec per agmina duo Prutenorum Duces diuisi, se à longè ostenderunt, repenteq; accurrẽtes,castra Regis tumultu non nihil turbauerũt:vnde animo accepto,die postero haud segniter aciem instruunt, pugnamq; cũ Rege conserere audent,in qua post primùm impetum sustentatum, qui acerrimus erat, hostes adeò statim animis conciderũt,vt certamine abiecto,alij,quo quisque potuit,ipsi verò Duces in vicinum oppidũ mœnibus munitum perfugerint:in hac fuga, multi viui capti, atq; omnes vita à Rege donati, quicunq; tingi,aut reuerti ad Christianismum non dubitauerunt,cæteri perfidam retinentes pertinaciam,ad internecionẽ cæsi.Itumq; hinc ad expugnandos Duces oppido inclusos, in quo nullum oppidani commeatum præparatum habebãt, quo obsidionem paulò diuturniorem possent tolerare.Requirunt illi oppidanorum cõsilium, qui respondent,se iam dudum deliberasse,vt religionẽ Christianam libentius amplectantur, quàm cum liberis & fortunis intereãt.Ergo & nos,inquiunt,pariter illi manus damus,posteaquã apertè cognoscimus, frustra nos cum Deo pugnare, sequẽti die deditionem,imperataq; faciunt.Manè Duces,primùm à Brumone Episcopo,aqua & chrismate tinguntur, & vt amici à Rege consalutantur.Post hos,cætera multitudo certatim ad fontem sacrum properabat,nõ ex eo loco tantùm, sed ex tota insuper Prussia, quam Rex, vsq; ad mare victor peragrauit, vrbemq; in littore maris præclaram condidit, quam ex titulo suo Regio,Monte Regalem appellauit,vt tanto Prutenos in officio retineret facilius. Atq; hæc quidẽ de vrbis origine,de eius autem politiæ magnificentia plura in indice.

N.

35. NAVALIA.

32. NAMVRCVM.

5. NEBRISSA,vulgò Le Brixa,Hispaniæ Beticæ,agri vbertate,olei,vini;q; præstãtia nobile oppidum.Cuius fi abundantiam vidisset,fi dulcedinem degustasset Munsterus,nunquã à Gallia,vini,frumenti,& carnium copia Hispaniam vinci asseuerasset.Situ est admodum iucundo,eo itinere,quod ad oppidum S.Lucar de Barrameda, Ducis de Medina Sidonia ducit,ad ostium Bœtis fluuij. Distat milliaribus inde quinque Xeres de la Frontera,qua deinde Calizium, & ad Gaditanũ fretum peruenitur.

32. NEMETOCERNA.

1. NORVVICVS,quondam Venta, amplissima Angliæ vrbs,Londino non immeritò comparanda,Mercatoribus insignis,ædificijs planè magnificentissimis referta,muris lapideis circundata,ac fossis,(Nisi in orientali eius parte, vbi natura ipsa tam fluuio Yero, quàm excelſis montibus satis defensa videtur)circumuallata,Per portas numero xij. vndiq; ingressus habens.Templa cum cœmiterijs tot olim,ante,quã incendio periret,quot septimanas colligit annus,habuit. In præsenti verò præter Ecclesiam Cathedralem,octo & triginta,ijsq; ornatissimis,decoratur.

10. NOVIODVNVM, vel, vt pleriq;, Niuernia,vulgo Neuers,Niuernensium ducatus, vrbs tam antiqua, eoq; loco sita, vt sine errore ea dici possit, cuius in Commentarijs suis meminit Cæsar,hisce quidem verbis. Oppidũ diruit,(de Genabo loquitur)atq; incendit,prædam militibus donat,exercitum Ligerim transducit,atq; in Biturigum fines peruenit. Vercingetorix,vbi de Cæsaris aduentu cognouit, oppugnatione desistit,atq; obuiam Cæsari proficiscitur:ille oppidum Biturigum,positum in via,Nouiodunum oppugnare instituerat, &c. Vides,vt Gergobinæ vrbi à Gallis obsessæ,auxilio proficiscens,Nouiodumo iter habuerit,quæ vrbs,non alia potest censeri,quàm quæ nunc Niuernia dicitur, ad Ligerim sita,eo prorsus itinere,quo Cęsari eundum erat,vbi is veritus, ne malè ab exercitu Gallico acciperetur,quamuis vrbem teneret, videns tamen aduersum occurrere Gallorum equitatum,qui prælium deposceret,eam reliquit.Itaque hodie quoque in ipsius vrbis mœnibus,videas antiquum propugnaculum,magnæ omninò amplitudinis, & altitudine ipsos vrbis muros æquans.Et verò Niuerniam, esse Nouiodunum Cæsaris,docet Aimo ille monachus historiæ suæ initio,vbi Celticas vrbes enumerãs,Nouiodunum,quam hodie Niuernis esse putant,inquit. Qui eadem etiam historia sua perhibet, vrbem hanc,(quemadmodum vniuersum Niuernensem ducatum,cuius Nouiodunum caput est)initio Comites habuisse, qui Rempub.Regis nomine curarent,sed Comites deinde eius possessionem ac dominatum vsu cœpisse, successu deinde temporis, Comitatum hunc ad Ducalem dignitatem peruenisse.Primumq; Niuerniæ Ducem fuisse Franciscum, filium Caroli Niuerni, & Mariæ Atrebatanæ,cui vxor fuerit Margarita Borbonia,Caroli primi Ducis Vendonij filia.

18. NOVIOMAGVS,ex quatuor Geliriæ ciuitatibus,Ruremunda,nimirum,Arnhemia,& Zuephania, nominis vetu-

 state

ſtate, populi frequentia & opum magnitudine, primas tenet. Alij Nouiomagium, alij Nouiomagum, alij Nouimagum, alij Neomagus dicunt. Eſt, qui & Neomegiam vocet, ne dicã Nimmegam, Neomagium, Numaga. Et deniq; Neomagium in Badua legitur apud Rhegionem Prumienſem, quaſi diceret: Nymmegen in der Betawe. Vrbs partim cliuo, partim plano in loco ſita: patria & natale ſolum eruditiſſimi, facundiſſimiq; viri, & ſtudioſorum omnium Mœcenatis, Franciſci Craneueldij, qui Cæſari Carolo à conſilijs Machliniæ fuit. Hic fabulam refutare libet, qua huic vrbi Ducum Cliuenſium ortũ plerique ſine ratione, in hiſtoria nimis creduli, attribuunt. Qua de Elia nugãtur, qui dicitur ex paradyſo nauigio per aqueum Rheni tractus cygno, aurea cathena nauiculæ præfixo, Anno Domini D.CC.XIII. Vbi puella, domina ditionis Cliuiæ, & vicinarum prouinciarum parentibus orbata, illũ Neomagij conueniens, maritum duxit. Verior certè eſt hiſtoria: Anno ab vrbe condita CCCC. XLII. ante Chriſtum natũ annis CCC. ſub Alexãdro Magno, duos fratres ex Vrſinis, familia Romana, Samniticam cladem volentes euadere, fugiſſe in Galliam, & ſecundo Rheni flumini, ſeſe committentes, tandẽ eo perueniſſe, vbi Rhenus à ſe reijcit VValam ac Iſſulam, vbi in mõte prærupto, arcem cum caſtello excitauerunt, Cliuis hodie dictam. Confirmat id, quod cùm Anno M.CCCC. XLIV. præceſſa caſtri turris ſolo tenus corruiſſet, ingẽtes lapides inuenti ſint, cum inſcriptione, quæ Vrſinos Fratres, primos eius molis conſtructores, apertè coarguit. Eam deinde turrim Adolphus, primus eius nominis Dux, qua hodie adparet forma, erexit, quam Den Schwanen Torn nuncupauit. Poſt ab vrbe cõdita, D.C.XC.VII. C. Iulius Cæſar, cũ in Gallijs ageret audiẽs Vſipites, & Thẽchteros Germanos à Sueuis patria pulſos, traiecíſſe Rhenum, Menapiorum agros, & aliarum Gentium Rheno incumbentium, loca, deuaſtare, traductis ſuis copijs, iubet, vt à deuaſtatione ceſſent, & regione excedant. At, cùm dicto audientes non eſſent, conſerta cum illis manu, trecenta ferè hominũ milia, partim gladio, partim aquis peremit. Cumq; Vrſinorum caſtrum, Cliuis ab his euerſum Cæſar videret, id reſtituens, ipſorum ditionem longè dilatauit, atque diſcedens, Vrſinis ripam, & accolas Rheni commendauit. Eodem quoq; tempore, Iulius Cæſar, duas validiſſimas arces in Rheni ripa erexit, dearſi Druſæ, & Magiæ ijſdẽ adpellationem tribuens. Quarum proinde altera Duisburgum, altera Neomagum dicta, quas etiam Vrſinis pro defenſione Galliæ, ab incurſionibus Germanorum commendauit. Hæc ex Sichardo Cremonenſi ſunt deſumpta.

56. Nouus Mons.
Notium mare, vide Tyrrhenum in Indice.

O.

Obtrincenſe, An Traiectum ad Moſam, vide Traiectum in Indice.

53. OENOTRIDES, vide Pontiæ.

51. ORIVETVM, vrbs Thuſciæ mediterranea, in alto, præcipitiq; mõte conſpicitur, Catoni, Oropitũ dicta, Deſiderio Longobardorum Regi, in edicto, Orbitum. Annius, Oropitũ ſcribendum dicit, ab Oropito, Pelaſgorum vrbe, in Achaia, Deſideriumq; Regẽ, per ſyncopen p. conſonante, in b. mutata, reiectaq; vocali o, dixiſſe Orbitũ. Hinc cõſuetudine Græcorum, qui b, pro u, pronuntiant, vti etiam multi Italiæ populi, Oruitum factum, ac dein, euphoniæ gratia, vocali e, addita, Oriuetum, quod Latinis vrbs vetus eſt. Leonardus Aretinus, & Blondus aliter ſcribunt, Vrbẽ hanc à Florentinis ortam, nec ſupra mille annos ante ſe natos, eius memoriam inueniri vllam. Volaterranus, Herbanum eſſe Plinij, iuxta Ortam, cenſet, idq; multorum auctoritate confirmat, qui non ſolùm vicinitate locorũ, ſed etiam nominum ſimilitudine ducti, ac ſi Oriuetum, pro Herbano, vel Herbana, dictum ſit, idẽ credidêre, præterquam quod antiquum omnino ædificium eſſe patet, vnde quoque non difficilis coniectura capi queat, Herbanum eſſe, cùm hoc ſitu æquè propinquum Ortæ oppidum ſit nullum. Alij vrbem veterem dictam aiunt, quod veteranis olim, ad quietem reliquæ vitæ incolenda, fuerit aſſignata, propter cœli ſalubritatem. Et hi etymon nominis, ad veteranos referunt, quorum in numero eſt Facius Vbertus, inquiens:

Vrbs Oriuetum alta eſt, & præceps,
Nomen à Romanis accepit veteranis,
Qui propter aeris temperiem eo conceſſere.

A Procopio ciuitas Vrbeuetana dicitur, & Vrbibentum.

P.

53. PALMARÓLA, alij Palmariam, alij Pandatariam nominant, maris Thyrreni inſula, ab ora Italiæ 40. fere p. m. diſtans, in qua Tyberius Cæſar nurum Agrippinã poſt viri obitum, exilio mulctauit. Quę ibi poſt flagra & graue oculorum diſcrimen, ſeptem dierum inedia, deceſſit. Nam ante diem ſeptimum lætalis nõ eſt inedia, licet vltra vndecimum plerique vixerint, vt lib. 11. cap. 53. Plinius docet. Hæc autẽ inſula poſt Strabonis ætatem, multorum Martyrum & Chriſti Confeſſorum exilijs, fuit inſignis.

53. PANDATARIA, vide Palmarola.

46. PATAVIA, vulgo Paſſaw/inferioris, ac fertiliſſimæ Bauariæ vrbs Epiſcopalis, magnifica, & elegãs, de cuius adpellatione ac nomine, cùm nihil monumentorũ ſuperſit, certi nihil conſtat. Boioduri Ptolomeus, & Antonini Itinerarium, in Norici & Pannoniorum deſcriptione meminerũt (quanquã pleræq; Antonini æditiones, Bolodurum legant) & complures Patauiam interpretãtur. Alij verò eam adpellationem vbi Oenanæ, ab Oeno fluuio hoc tempore cognominatæ attribuunt. Quibus & antiquiſſimus auctor, qui D. Seuerini vitã conſcripſit, ſuffragatur. Adde & hoc tempore vſitatum fluuio Ii cognomen, qui extra vrbem Oenanam, qua meridiem ſpectat, ex vicinis molendinis, inter oppidi portam, proximumque D. Seuerini fanũ delabitur, & Oeno ibidẽ permiſcetur, Die Beſetta cognominatus, qui argumẽtum minimè fallax ſuppeditant eam ipſam Oenanam vrbem, ab hiſce fluuioli oſtijs, antiquitus Boiodurum cognominatam. Quo & ædificiorum accedit vetuſtas, quæ eandem vrbem Patauienſi longè antiquiorem, non obſcurè confirmat.

47. PETREIA, vide Saltzburgum.

27. PHILIPPOPOLIS.

50. PISAVRVM, ad Fogliam, olim Iſaurum flumen in agro Piceno, vbi Adriaticum mare id ipſum abſorbet, vrbs ad modum elegans, diu imperio Malateſtarum illuſtris familiæ habitam conſtat, ex qua Malateſta Pandulphi F. mirificè vir cùm doctrina, tum moribus exornatus, tres filios generauit, filiam vnam Paulam Mantuani Marchionis cõiugem. Ex Malateſtæ filijs Galcatius partim pretio, quod viginti milliũ aureorum nummũm fuit, partim dotis Conſtantiæ nomine, Piſaurũ, Alexandro Sfortiæ, Franciſci, qui deinde Mediolani Dux factus, fratri tradidit, vt Corius & Sabellicus ſcribũt. Alexandro filius in dominatu ſucceſſit Conſtantius, vir litteris & virtutibus præditus, à quo plurimum vrbs ædificijs exornata fuit. Coniugem is habuit Camillam, illuſtrem ac eruditam mulierem, ex nobiliſſima ſtirpe Anagoniorum Neapolis, cuius nuptiæ, tam magnificum habuêre apparatũ, quàm maximum Regi cuiquam potuiſſe fieri arbitror, quemadmodum ex illorum ſolennium auditu lectuq; iucundiſſima narratione, ſcripto vernaculo, per vniuerſam Italiã diuulgata, intelligere eſt. Iuſtos liberos Conſtantius non habuit, nothos autem duos, Ioannem atq; Galcatium, è quibus natu maior Ioannes Philoſophiæ ſtudijs mirificè deditus, cùm paternũ principatum auctoritate Pont. Max. aſſumptum diu tranquillè geſſiſſet, eo à Cæſare Borgia Pontificis Alexãdri VI. filio deiectus eſt, qui & ſororem illi ſuam Lucretiam à Pontifice deſponſatam, abſtulit, falsò criminum quorundam inſimulato. Sed Alexandro Pontifice mortuo, cùm à Venetijs, vbi aduerſis temporibus conſtiterat, adducta ſimul vxore Geneuene Theupola, lectiſſima optimaq; muliere, Piſaurum rediiſſet, humaniſſimè eſt à popularibus exceptus, ac vrbis imperio aliquandiu mirificè cum lenitate agitato decedẽs, Conſtantiũ filiolum, ex Geneuene ſucceſſorem reliquit: quo non multò poſt etiam defuncto, mater ſpretis mundi vanitatibus, religioni D. Claræ Morani virgineo multis annis vſque ad vitæ finem, operam dedit. Conſtantino mortuo, gubernationem Reipublicę Galcatius patruus ſuſcepit. Sed quoniam imperij confirmationem, à Iulio Secundo Pont. nullo pacto impetrari poſſe videbat. cum illo bonis conditionibus ita depactus eſt, vt vrbs in poteſtate eſſet Pontificis, à quo mox Franciſco Mariæ Roboreo nepoti, pro magna vi pecunię, quã ei nomine ſtipendiorum Eccleſia Romana debebat, omniũ etiam Cardinalium voluntate & aſſenſu collata fuit. Hinc poſt obitũ Iulij, Leo X. ſucceſſor, poſſeſſione ſpoliauit, vrbisq; dominatũ Laurenzino, nepoti ſuo, tribuit, à quo in extremis fratri patrueli Iulio Medicæo Cardinali aſſignatus. Atè vita deinde

ſublato

ſublato Leone poſt C. N. M.D.XXI. anno, Franciſcus Mariæ protinus ad priſtinum Imperium renerſus, mirificaq; ſuorũ lætitia receptus, in eo, ad vitæ finem vſque, magna fœlicitate ac inclyta iuſtitia fuit, ſimilemq; reliquit ſucceſſorem filiũ, qui nunc ſupereſt, Guidubaldum.

56. Piſcina mirabilis, vide L. Lucullus in Indice.

56. PISCINA MIRABILIS.

52. POLYSTEPHANON, vide Tybur.

53. PONTIA, ſiue vt multitudinis numero Diodorus lib. 59. legit, Põtię, Oenotrides Plinio, maris Thyrreni inſula eſt, paruis à Palmaria, eiuſdem maris inſula ſpatijs, vtraq; verò ab ora Italię 40. ferè p. m. diſcernitur, olim carcer fuit illuſtrium, quo à Nerone ex Germanico nepotem relegatum, & ad voluntariam mortem actum, Suetonius memorat: hodie verò ad fauces portus arcem habet. Hæc inſula poſt Strabonis tempora, complurium Martyrum, & Chriſti cõfeſſorum exilijs, fuit inſignis.

53. PONTINA Palus, in latio propè oppidum Velitras deſcribitur, quam Vibius Sequeſter, Pontiniam vocat. Nomẽ à Pontia vrbe deductum exiſtimat Strabo, quæ Romanorum olim Colonia ſimul cum Sueſſa facta, quod & Liuius teſtatur. Fit palus ab amnibus duobus, Aufido, vt Strabo vocat, aut Vfente, vt Plinius, & altero minore. De primo Virgilius, Vfens inſignis fama, item Silius, Cogit aquas Vfens. Nunc, Aufentem appellant, vel, vt alij volunt, Baudinum. De palude Pontina Plinius, eum locum xxiiij. vrbium fuiſſe tradit, idq; Mutianum ter Conſulem prodidiſſe. Nec, vt ego quidem puto, difficilis erit huius rei fides apud eos, qui Dionyſij, Pictoriſq; monumenta legerunt. antiquis enim tẽporibus exiguæ ciuitates, vti nunc vici, fuêre, quamobrem facilè credi poſſit oppida tot ſpatio p. m. viij. vel paulo maiori extitiſſe. Paludes hæ fertiliſſimi quõdam Pometini campi erant, neglectis quippe vijs, quibus aquæ huc propter loca depreſſiora cõfluentes, in mare ſe prius exonerabãt, neq; ſtagnare, vt nunc, poterant, in hanc paluſtrem formam ſunt redacti. Liuius à Cornelio Cethego Conſule quondam egeſtas maiori ex parte & ad culturam reductas ſcribit. Poſtea tamen iterum, neglectis meatibus, effectæ paludes, quas Theodoricus rex Gothorum exiccauit, vt in marmore quodam hic poſito, legi, Volaterranus auctor eſt. Nunc denuò nullo patente aquarũ ad mare exitu, amnes fontesq; plurimi vicinis è montibus orientes hic ſtagnant, & paludem ingentem faciunt.

56. PRATENSE Balneum.

56 PROCHYTA inſula.

56. PVTEOLI, Vrbs Campaniæ felicis, Plinio, & alijs. Puzzole hodie. Putioli legit Stephanus. Antea Dicærarchiam appellatam, ſcribunt Strabo, Pauſanias, & Stephanus, qui eam quoque Diceam vocat. Dicarchia apud Silium legitur. Delos minor, etiam nuncupata, vt tradit Feſtus. A Liuio Puteolorũ mentio ſæpiſſimè fit, præſertim autem, vbi Colonos eo deduxiſſe Fabium Max. vrbemq; muniuiſſe, neque multò pòſt, Annio conſule referente, decretum à Senatu, Colonos in quinq; ciuitates marinas, Puteolos mitti narrat. Alibi etiam Annibalem ad Auernum, prætextu ſacrificij profectum, ſed animo capiendi Puteolos. alio denique loco, Romanorum Coloniam factam, ſcribit his verbis, Coloniæ ciuium Romanorum eo anno deductæ ſunt Puteolos, Vulturnum, Liternum, &c. De Puteolis etiam in libro Coloniarum hæc leguntur. Puteoli Colonia Auguſta, iter populo Romano debet ped. xxx. Ager in iugeribꝰ veteraneis, & Tribunis legionarijs eſt aſſignatus. Plinius huius vrbis memoriam plurimis in locis vſurpat, nominatimq; Sil. cœruleum Puteolanum commendat, itemque natiuos, factitioſq; colores referens, purpuriſſum, inquit, Puteolanum potius laudatur, quàm Tyrium, aut Getulſum, vel Laconicum. Sunt, qui nouam hanc vrbem dicant, & vetus oppidum Puteolos, nõ hoc in colle poſitum fuiſſe, ſed aliquanto remotiore loco, vbi nunc ingentes adhuc ædificiorum ruinæ ſuperſunt. Leander contra, haud quaquam hanc recentẽ, ſed ipſam vrbem antiquam putat eſſe, nõ modò ſitu eius præſenti, quod propinqua litori portuiq; ſit, ſed etiam reliquijs pontis ab huius collis radicibus olim incipiẽtis, prætereaq; veterrimo illo templo, quod etiamnum media vrbe conſpicitur, adductus. Quanquam multo quondam ampliorem fuiſſe, quàm nunc ſit, cùm omnium antiquorum monumentis celebretur, minimè negandum, ideoq; veriſimile, illa operũ propinqua veſtigia, vel partem vrbis aliàs, vel ſuburbia fuiſſe. Portus dein ad eius pedem, valdè cõmodus, & tutus erat, quem opere factum, iactis in mare pilis, Strabo ſcribit: nam ad huiuſmodi moles, puluerem huius agri, peroportunũ eſſe, quòd cum alia materię mixtus, validiſſimè conglutinetur in aquis, atq; ſolideſcat. Cuius rei Vitruuius etiam teſtis eſt, ac item Plinius, his verbis de terræ varietate ſcribẽs. Quis enim ſatis miretur, peſſimam eius partem, ideoq; puluerẽ appellatũ, in Puteolanis collibus, opponi maris fluctibus, merſumq; protinus fieri lapidem vnũ, inexpugnabilem vndis, & fortiorem quotidiè, vtiq; ſi Cumano miſceatur cæmento. Puluerem quoq; Romanum, qui è rupibus intimis ad ſtructuras hac memoria ſolet effodi, ab huius præſtantia Puteolanum dici conſtat. Portus autem Puteolani veſtigia fermè nulla ſuperſunt, quòd partim à mari occupatus ſit, partim, vti alia plurima Regionis opera, nemine curante, per ſe, perierit.

PYTHECVSA, vide Iſcla.

Q.

41. QVEDELINBVRGAM, vrbem antiquã, & primorũ in Saxonia Principum decus, Crantius lib. 12. cap. 16. in ſua Saxonia nuncupat. Eam Ernеſtus Saxoniæ Dux, Marchio Miſnę, oppugnauit, quod malè ciues parerent dominę ſuæ Abbatiſſæ, quæ ſoror erat Principis memorati. Hac enim radice multa oriuntur bella, dum per ſuperbiam ſubditi vocant in contemptum præſidentes. Expugnauit ille & deiecit Rolandi ſtatuam, quam pro ſigno libertatis ab antiquo habuêre. Direpta eſt vrbs à militibus, & in extremam pauperiem, vnde neccũ ciues reſpirarunt, perducũtur. Ruunt domicilia: nemo curat reparare, viuunt in diem, tempora terunt in labore agriculturæ, quæ ſi victum præſtat quotidianum, diuites iam ſe computant: obligare ſua prædia non ſinuntur, vt redditum cõſtituat alter apud alterum, liberas poſſeſſiones, mundas ab auro manus habere præcipiuntur: Ita per ſolam contumaciam vrbs hæc antiqua corruit.

R.

7. RHOTOMAGVS, Galliæ Narbonenſis vrbs admodũ vetus, hodie Rouen, ad celebre Sequanam flumen, quam Ammianus Marcellinus ex Beroſi libris à Mago, ſecundo, vel tertio Celtarum Rege conditam, affirmat, abs quo & Galliæ cõplures aliæ vrbes nomẽ ſumpſerint, ac ſub Rege deinde Rhomo, Rhomomagum, ac poſtremo Rhotomagum appellatã: Tota hæc narratio, vt vero conſentanea, eruditis placet: Rhomi tantũ nomen excipiunt, perſuaſum habentes, ex Roto potius, quàm ex Rhomo vrbem appellatam. Fuit enim Rothus idolum quoddam à S. Mellone Rhotomagenſiũ Archiepiſcopo euerſum. Quo autem loco ſanctus ille Præſul idolum euerterat, templum condidit, vel potius exſtructum antea idolo templum, Deo vero, ſub ſanctiſſimæ & indiuiduæ Trinitatis nomine, conſecrauit, in quo deinde Canonicorum Auguſtiniani ordinis, cœnobium inſtitutum, hodie à ſancto Loo, nomen habet. Nec verò abſurda videri debet hæc idoli appellatio, quamuis dura: Cùm & Gothi ſuum olim Deum habuerint, nomine Roſtarum, non nimium à Rotho diſſidentem, qui Deus Gothorum Saturnus erat, quem non ſecus humano ſanguine placabant, quàm Galli ſuum Teutharé, hoc eſt, Mercurium, de quo Lucanus, libro 1. belli ciuilis. Robertus Cenalis, Aranchiorum Epiſcopus, in ſua Gallia, inquit, Rhotomagum, non ab idolo Rotho adpellatam, ſed à rubore lapidum pontis cuiuſdam, vrbi vicini, quod Roth, antiqua Gallorum lingua, rubrum ſignificet. Eam verò ſententiam vt confirmet, Eccleſiæ ſuæ tabulas, & codicillos adducit, vt certum & irrefragabile teſtimonium. Idem interea non reijcit Magi nomẽ, à Rege vrbi datum, quod & maximum in hac vrbe antiquitatis argumentum credat. Quod autem exiſtimãt quidam, hoc verbum, Roth, Germanicum eſſe cohortem ſignificans, & ab eo ductum eſſe vrbi nomen, quod Magus Celtarum Rex, vrbe condita, eo Coloniam deduxerit: de Colonia nihil plerique repugnant, ſed, cùm Magus, Gallus eſſet, inter Celtas natus, non autẽ Germanus, nec verò Germanicè Galli loquerentur, vix poſſunt credere, ex Germanico vocabulo, inditum vrbi nomen fuiſſe. Cæterùm, vndecunque profectum ſit Rothi vocabulum, nomen certè latinum à Rotho vrbi remanſit, & tertio ab ea milliari, vicus eſt, in quo etiam illud colebatur idolum, hodie quoque Gallis, Montroth, quaſi dicas, Mons Rothius, adpellatus. Hinc intelligere eſt, vrbem hanc, quæ à primis Gallorum temporibus ortũ habuerit, antiquitate, nulli,

 a tota

tota in Europa cederẽ. Atq; illud mirum, istos ruinarum Troianarum ostentatores, subtilem aliquam rationem non excogitasse, qua Rhotomagensium etiam murorum auctorem, fugitiuum aliquem Phrygem constituerent. Cæterùm, qui primi hanc vrbem condiderunt, veluti, præsagirent futurã eius amplitudinem, & ex negotiatione diuitiarum affluentiã, locum etiam ei delegerunt mercatui, & commercijs externarũ gentium accommodatissimum. Ad Sequanæ videlicet ripas, nec longè à sinu quodam maris, qui suo refluxu vrbis propemodum muros pulsat.

RIGA Liuoniæ fertilissimæ Metropolis, quam mercatorum Bremensium excitauit deuotio, illi siquidem aliquot verbi diuini præcones ad sacram in Liuoniam deduxerunt militiã, milites sine numero, ciues ac mercatores in hoc negotio militantes pro Christo, multi cæsi, terram suo sanguine sunt mercati, sæpè perpulerũt hostes crucis Christi obsides dare, pacis subire conditiones. Denicq; efferuescẽte multorũ deuotione, nouum inter se ordinem Crucigladiatorum fratrũ instituunt, cuius quidem professionis, duo ex ordine fuêre Magistri. Quorum primus Vinno, validas in Liuonia arces Segẽ vvoldam, Vvendam & Ascheradam excitauit. Et, dum annis xviij. præfuisset, à latrone domestico, cum sacellano trucidatur. Alter Volquinus, arcem Velliram construxit, ordinis Magisterium annis xv. tenuit, grauissimis bellorũ agitatus procellis, in confictu cõtra Liuones, cum decem & octo fratribꝰ cecidit. Deinde, ob nimiam barbararũ gentium potentiam, Fratres ordinis Teuthonicorum implorati, venerũt in Liuoniam, anno incarnationis dominicæ, 1228. Quorum ordo Gladiocruciatorum societatem absorbuit, quẽ vltro in professionem ordinis beatæ Mariæ Teuthonicorum transijt, quorum habitus, pallium album, nigra cruce insita, à primo militiæ Teuthonicæ Magistro, Hermano Valck, siue Balck, in Liuoniã transfertur. Illi autem hanc regionem multo tempore felici gubernatione tenuerunt. Cæterùm, quod vehementer equidem dolendum, & non Reualiensibus, atque Rigensibus modò, cæterisq;, quos Ruthenorum nondum occupauit crudelitas, Liuoniæ vicis, arcibus, & oppidis, vnicè defendum. Statim ab initio coniunctionis istius nouæ, priuati commodi studium, intestina dissidia, æmulationes, florentissimarum societatum & vrbium pestes pernicioſissimæ, de vrbis Rigensis, & totius Liuoniæ inter Episcopum Rigensem, & ordinem rixas excitant. Illi, potentiam & vires, quas contra communes patriq; hostes exercere debebant, in sese mutuis dissidijs, acceptis & illatis cladibus, conterunt. Hinc primo bellum apertũ est natum contra Rigenses & ordinem, anno 1298. & ab oppidanis Teuthonicorum Magister Bruno, cum LX. ordinis fratribus est cæsus. Nouo deinde orto dissidio, Rigenses Dunemundam ordinis Vicum euertunt, in plurimos promiscui sexus, & diuersæ ætatis homines, immaniter desæuiunt. Quare ab Euerhardo de Monhem, Riga arcta obsidione sepra, ad deditionem coacta, auita priuilegia amittit, murorum & portarum spoliatur auxilio, arcisque ædificatione ab ordinis Magistro cõpescitur. Rursus, ob nouas seditiones domesticas, ab ordine, Riga obsidetur, quæ Stephano Archiepiscopo suo ferente suppetias, acerrimè patriæ libertatem defendẽs, profligatis hostibus, Arcem Rigensem & Dunemundam funditus euertit, ordinis Magister, ob iniquum Rigensibus illatũ bellum, à Pontifice Romano Sixto, eius nominis quarto, excommunicatus, à Præfectura deijcitur. Paulò pòst, anno salutis 1495. Adolphus de Plettenborch, nouis viribus Rigenses adegit, vt proprijs impensarum sumptibus, arcem, quã Rigæ demoliti erat, restauraret. Dunemundam, proximum Rigæ castrum, Vvendam similiter, ad hostiles sustinendos impetus, muniuit. Anno demum 1556. Rigenses & Teuthonici fratres, aperto Marte rixantur, quibus quidem domesticis Christianorum, Moscus, inuitatus dissidijs, facili nunc negotio, deuniuersa ferè Liuonia triumphat. Atque has quidem calamitates, ab his est Riga perpessa, qui eã initi fœderis, & religionis causſa, defendere & tueri debebant, cum funesto etiam eorũdem ipsorum interitu. Qui, quàm crudeles in rusticos tyranni exiterint, quàm misera eos seruitute vexarint: (quanquã tamen sint, qui scribant, id duram ipsorum seruicẽ popoſciſſe:) quàm segniter hostiles sustinuerint imperus, quàm potenter & strenuè Bacchũ, noctu dieq; coluerint, quãtos, in priuatos suorum vsus, thesauros cõuerterint: quàm turpi fuga elapſi: quam inuictas hostiũ arces omni commeatu, & ad diuturnas obsidiones ferendas, rebus necessarijs instructas, patẽtes reliquerint, pudet sanè referre. Ad hæc. Vulcani quoq; rabie anno 1557. grauiter Riga deformata fuit, vt mirum sit modernam adhuc eius Reipub. formam posse subsistere. Cùm Moſcus potentissimus hostis, Rigensib, & maximè Reualiensibus, grauiter immineat, occupariq; octuaginta præcipuas nobilium arces, quarum ipsi præsidio ante Liuoniam gubernabãt, Moscouiam exercitu impetebant: Iam verò nihil Christianis in Liuonia sit reliquum, præter ditionem Haringensem cum vrbe Reualia, Churlandia & Semigallia, cum oppido Rigensi, & arcibus fortaſsè trib⁹, aut quatuor, quas Deus Opt. Max. potenti dextera sua, clementer tueri dignetur.

9. ROMANVM Opp.

31. ROTTERODAMVM oppidum, in ostio Rotteri fluminis, à quo & nomen habet, in Hollandia situm, literatis hominibus maximè semper celebrandum & venerandum, eò, quod magnum illum Erasmũ, de re litteraria quàm optimè meritum, parente Goudano pastore, ediderit.

8. RVBE CLARA.

17. RVRAEMVNDA, Geldrici Ducatus Metropolis, oppidum quondam perelegans, habitatore admodũ humano cultum, à quo nũc ferè omninò, ob bellorum furores desertum, occupatibus nũc id præfidiarijs militibus. Ab Otthone, eius nominis tertio, cognomẽto Claudo, penultimo Comite, sub quo Geldriæ Ducatus, maxima incremẽta sumpsit, Rurẽmunda, tum temporis pagus, cum alijs plerisque vicis, murorum ambitu cingitur, & ciuilibus donatur priuilegijs. Oppidum est nunc ædificijs ciuium, & religioni nũcupatis, celebre. Est ibi Monialium cœnobium abs Gerhardo sexto Geldriæ Comite fundatum, qui cũ coniuge Richarda Nassouica, ibidẽ sepultus est. Idem & Carthusianorum, & Minoritarum cœnobium, primæuâ fundatione constituit. Quorum alterum, Minoritarũ videlicet, à Reinaldo, vltimo Geldrici Ducatus Comite, dotatum. Qui & ius cudendæ monetæ, à Cæsare Rudolpho, Ruremundanis obtinuit.

S

47. SALTZBVRGVM, vetustissimum Norici oppidum, nunc cultissimæ Bauariæ Metropolis, Iuuania dicta, à iuuando, eò, quòd sal iuuet. Alij à Iunaro fl. Teuthonicè, Die Saltz. Vnde Otto lib. 5. cap. 3. Virgilium quendam vocat Episcopũ Iuuauiensem. Dicitur & Petreia: à Ptolemæo Camandurũ nuncupatur. Hanc ciuitatem Iulius, victis Germanis, ac secundũ aliquos, arcem ibi, Teuthonicè, Helffenburgk, condidit. Attila hanc destruxit, verùm à Roberto ipsorum Episcopo, Anno Domini Octuagesimo supra Millesimum, instaurata est. Hic Episcopus, quem Patriarcham nos vocamus, residet, & altare, cuius simile non videri credunt, cernitur. Aeneas Iuuauie tensem, & Arminẽsem dici, ait, Metropoliticam insignem inter Bauaros, opibus & auctoritate memorabilem vrbem. Antoninus Pius, in Itinerario, huius vrbis meminit, eam Iuuaiuiam dicendo. Alij etiam hanc vrbem, Budacum dictam fuisse à Ptolemæo, adserunt. Hæc Franciscus Irenicus lib. xj. Exegeseos Germaniæ. Solo optimo, montoso, & metallifero hęc vrbs gaudet, de quo hunc in modum Celtis cecinit.

Qui mihi de celsis nuper fuit Alpibus actus
Oenus vbi, atq; Athesis, murmura rauca facit,
Argenti aterno scaturit qua vena metallo,
Et dicat totam patriam Alemaniæam:
Hic halant liquido, puro & de fonte salinæ,
Ditantes Bauaros, Austriacosq; Duces.
Hic turba est terræ, migraq; simillima morti,
Quæ soluunt vastis ignibus æra suis.
Haud credas nostris decocta metalla per ignem,
Sed Phlegetontei mundificata vadis.

57. SCROBES charoneæ.

51. SEPTENILIVM, oppidum cum castello, in finibus vtriusq; Hispaniarum, & Granatensis Regni positum, postremo Granatensi bello in Ferdinandi Regis potestatẽ deuenit. Existimabãt namq; Hispani, id oppidum, quia inexpugnabile cum, tentari debere, quo expugnato, hostium vires fierent tenuiores. Igitur Rex cum exercitu cohortibus ordinatis, è Corduba profectus, Marchionem Gaditanum cum duobus equitũ millibus, & conuenienti peditatu præmittit, qui, vt fieret certior, quo in statu oppidani essent, curauit ex pastoribus, & rusticis aliquot comprehendi, à quibus accepit, nullos esse hospites, sed castelli tantùm incolas, & habitatores, qui tamẽ putarentur ad mœnia, munitionesq; tuendas posse sufficere. Fixis deinde tabernaculis, machinisq; & tormẽtis suis in locis dispo-

dispositis, machinarij, & tormentorum præfecti, opus suum aggrediuntur, perq; dies tres, noctesque cõtinuas, nõ cessant maioribus tormentis turres, murosque quatere, minoribꝰ verò intra muros saxeos orbes passim intorquere. Principio cũ obsiderentur, cœperunt cum Hispanis pugnæ simulachra cõferero, sed, cùm viderent, se non esse numero pares, & sagittarum ictibus, & sclopetarũ glandibus ex paucis in horas pauciores fieri, statuunt cõtinere se intra munitiones, portas oppidi non solum obserant, sed structili opere ex lapidibus & mortario claudunt. Cumq; intellexissent, parari oppugnationẽ cui non possent resistere, cùm viribus & armis nõ sufficerent, cœperunt de se dedendi conditionibus agere. Quod facile impetrarunt, quoniã ex direptione prꝑda tenuis erat, & non tanti æstimanda, vt vel vno die tantum exercitũ vno in loco immorari oportuerit. Iusi sunt igitur ex cõditione, vt bonis suis suffarcinati, abirent, datis custodibus, qui illos ad Arundæ vsque terminos deducerent. Rex oppidũ ingressus, murorum ruinas instaurari iubet, oppidi præsidiũ cum ducentis equitibus Frãcisco Enriquez commendat, quos armis, & alimẽtis instructos relinquit, &c. Hęc ex Antonij Nebrissensis lib. 3. decadis 2. de rebus Hispanicis.

37. SIBYLLAE Cumanæ antrum.

56. SINVS BAIANVS, Maris inferi, prope Neapolim, Crater à Strabone dicitur, eumq; inter Athenæum, & Misenũ Promontorium describit. Idem dicit eundem ab Erathostene, Cumanum nuncupari: funt, qui eum hodie Golfo di Napoli, dici credant: Baianus, à Baiarũ oppido, qui cùm propter summã cœli temperiem, & luxuriantẽ agrorum amœnitatẽ, tum ob varietatem aquarum salubrium tam frigidarum quã calidarum, frequentissimus olim Romanorũ ædificijs, & Poetis commendatissimus fuit. Hinc Martialis ad Flaccum:

Vt mille laudem Flaccie versibus Baias,
Laudabo dignè non tamen satis Baias.

Quemadmodum & Horatius scribit:

Nullus in orbe locus Baijs prælucet amœnis,
Hic ver assiduum, atq; alienis mensibus æstas,
Bis grauidæ fruges, bis pomis vtilis arbos.

Atq; hæ quidem Campanię delitiæ, inuitârunt Romanos, vt Baianũ sinum, & loca passim vicina, superbissimis ædificijs exornârint. Nam, à Mortui maris ostio, per orã Baiani sinus ad Auernum, inde vsq; Puteolos incedenti, tot eo tractu, magnificarũ ædium, operumque, tanquam perpetui vici, ruinæ conspiciuntur, vt inde satis manifestè cõlligi, eum tractum olim vrbibus, oppidis, vicisq;, ac villis, item balneis, theatris, molibus, cisternis, aquæductibus, cryptis, cauernis, specubꝰ, ac id genus magnificis, & sumptuosis operibus prope continuis, olim refertum, & quasi consitum fuisse, vt incredibile putem, relatu, & certo mihi persuadeam, narrationis hæc fidem excedere. Quippe, quoniam (vt Blondus etiam ait se sentire) nulla, totius Europæ parte, Roma tantũ excepta, plures, maioresque ruinas inueniri posse, persuasum habeo. Sumptuosissimorum etiam operum partes, pilæ ingentes, & fundamenta in æquore tantæ magnitudinis, & admirationis apparent, vt curiosa equidẽ ingenia planè cogãt obstupescere, adeoq; nunc orbis terræ vires, opesque cunctæ, tot operibus extruendis, haud suffecturæ videantur. Quorũ hac ętate, nullum omnino supereit integrum, omnia quippè, vel cõcidere, vel mari hausta, vt hinc insigne liceat exemplum fragilitatis rerum humanarũ desumere. Baiarum etiam in hoc sinu vestigia sunt, ingentia nimirum pelago demersa operum fundamẽta. Vrbis interitus à vi terræmotuum exorsus est, qua de causſa, paulatim emigrantibus colonis, tandem omnia marini inuasêre fluctus, vt adeò iam nullum hic integrum ædificium supersit præter balnea quędam iuxta vicinas rupes, vbi plurimæ quoque cauernæ cernuntur.

56. Sinus Lucrinus, vide, Lucrinus sinus in Indice.

56. SINVS PVTEOLANVS.

21. SLVSA, celebre quondam Flandriæ opp. ob frequẽtia, cum vicinis Brugẽsibus dissidia, re ac opibus lapsum est. Exaduersum huius oppidi posita exigua insula, nomine Cassãtia, in qua & eiusdem nominis pagus, multo prius diremptus maior erat, cum & vrbẽ haberet, & pagos complures amœnos, ac diuites. Ad hanc prælia naualia, diuersis temporibus multa commissa fuerunt, cum eo fere semper Flandrorũ aduersarij Britanni, Batani, & alij quiuis ad portum adpellerent. Sed partim Oceani tempestatibus, partim eiusdẽ fluxu, & refluxu, plus dimidia parte, ea insula consumpta est. Hinc prodijt Georgius ille Cassander, homodoctissimus, & scriptis, aduersus Anabaptistas & Caluinum, libris, clarus.

58. Solfataria, vide Forum Vulcani.

57. SPIRACVLVM mortiferum.

57. SVDATORIVM S. Germani.

58. SVLFATORIA, vide Forum Vulcani.

37. SVSATVM, copiosa & elegans Vvestphaliæ vrbs, Canonicorum sodalitio præstans, & agro, rerum omnium ad vitã necessariarũ copia, dempto vino, feraci, cuius oppidani inopiam, præstanti cereuisia leuant, quæ in Vvestphalia passim, tum hìc Susati delicata coquitur. Hæc autem eius Germanię Gentis vrbs non ignobilis extitit, vnde omnium Europearũ insularum celeberrima, denominationem, hoc etiam tẽpore obtinet. Angari quippe, siue Engeri, quos Hũfredus Lhuyd, Anglos; Volaterranus autẽ, Angilos nũcupat, populi fuerunt Germaniæ admodum celebres, adeo, vt, adserente Crãtio, Saxoniæ Duces, longo etiam tempore Angliæ Duces vocarẽtur, quos Britanni, cùm à Pictis Scotisq; molestarentur, in auxilium euocârunt, qui quidem terrę amœnitate bonitateque inuitati, eos ipsos, quibus contra hostes tulerũt suppetias, circumuenientes, Insulanorum bona inter se sunt partiti, vnde Britanni, postmodum sunt Angli nuncupati, qui leges, etiam hoc tempore, antiqua Saxonica lingua, quam ipsi Angli modò non intelligunt, conscriptas habent. Hi autem, ipsos Germaniæ populos, Saissones, & linguam ipsorum, Saissonaeg appellitant. Et, vt ex Anglia iam in nostram tandem redeamus, quæ Susato commendatur, Vvestphaliam, Angarorum extat satis manifestum vestigiũ in castro Engeren, inter Osnabrugum atque Heruordiã. Sedes olim extitit Saxonicæ gẽtis, quę vniuersam occupauit Britanniã, cuius primariam fuisse vrbem Susatum, ex fide digno auctore, in ipsa enarratione retulimus.

35. SVVOLLA, vrbs Transisulana celebris, vbi initiũ Bructerorum, in superiore parte Traiectẽsis ditionis, Arnoldus Vvesalius, in suã Germaniæ partitione assignat.

T

56. Templum Bauli Herculis; Vide Herculis Bauli templũ in Indice.

54. TERRACINA, vide & Anxur in Indice.

Teuthonicorum ordo, quando in Liuoniam venerit, & Crucigladiatorum ordinẽ absorpserit; vide Rigã in Indice.

Teuthonici milites quando & cur Liuoniã deseruerint. Riga in Indice.

Teuthonici ordinis & Rigensium bella: consule Rigam in Indice.

13. THENAE, Brabãtiæ opp. Canonicorũ collegio, &, quod verè elogium, viris bonis commendatum, eò, quod mercaturæ, & delitijs, nõ nimis laxas habenas concedãt, sed, quia cũ primis parẽtibus nostris, rei rusticæ, pecuarię & agriculturę quęstu, cõtenti viuant, facultatesq; suas, honesto ruris labore comparent. Vnde ob lætam agrorũ vbertatem, & omniũ rerum ad vitam necessariarum copiam, ab ipso statim Fracorum initio Principes viri his maximè locis egerunt. Ac inter cæteros Carelmannum, & Pipinum primum in ijs natos esse, ac nomẽ ab oppido Asbaniæ vetustissimo sumpsisse, quod, Landas vocatur (nõ procul à Thenis distat) quasi diceres, Regionis alimentum; eò quod caput esset eius regionis, quæ ab alimento, populoq; Asbania nominatur. Ager itaq; Thenẽsis, & bonitate, & vetustissimis Carelmãni, & Pipini incunabulis, præstans est, & valde nobilis, eò, quod ab his Principibus Caroli Magni progenies, & omnium deinde, & Ducũ, & Regum, & Imperatorum, vsque ad Hispaniarum Regẽ Philippum, noui orbis Monarcham, longa multarum ætatum serie descendat. Adeò. vt nulla sit in toto orbe terrarum nobilitas, quæ principia habeat tam augusta, quæ continuationem generis, vel tot sæculis productam. vel tot rerum gestarũ decoribus insignem, quę deniq; præsentis temporis maiestatẽ tot regnis, tot imperijs, tot insulis, tot diuersarum linguarũ populis habeat extensam, & ornatam. At ager nõ solùm Pomonæ magna varietate. & Liberi patris diuino liquore, & Cereris beata fruge, & Palis pinguissimo munere luxuriat, sed nobilissimus etiã & Sabarij, siue Zagræi, vetustissimi Prosperinę filij, lętissimis poculis, quibus curę, & graues molestię, multò magis, & præsẽtius, quàm iunioris Bacchi dono discutiuntur. Hogardica enim cereuisia, nihil est ad cerebrũ tristibus cogitationibus exuendũ præsentius, nihil ad hilaritatẽ, ad carmina modulãda, ad amores, & cętera, quæ largos vini cyathos sequuntur, plus habẽs incitamenti; nihil in tota hac regione celebrius, & notius ijs, qui citra magnum crumenæ

 dispen-

disprendium,insanire volunt.
57. THERMAE Anianæ.
52. TIBYRIS, vide Tybur.
44. TIGVRVM, proximis aliquot sæculis Turegum dictũ, vulgo, Zurich/Heluetię vetustissima est vrbs, sita in amœno loco ad exitum lacus magni, qui hâc desinit, excluditq; amnẽ Lindmagam, vulgo Limnat dictum, quem haud procul à Glarena recipit, & diuidit vrbem in duas ciuitates, maiorem & minorem, quæ tamen tribus coniungũtur amœnis pontibus, in quibus frequẽtes ciuium fiunt deambulationes. Solũ per circuitum ciuitatis est valde fœcundum, feraxq; vini & frumenti plurimi. Vinum tamen plerunq; est subacerbũ, nec potest ob vicinas alpes, ad perfectam peruenire maturitatẽ. Maturescit vinum, seu potius mitescit à sua austeritate, post aliquot annos in penu conseruatum. Extenditur mons ad orientem ciuitatis & lacus, ferè ad tria miliaria, perpetuis cõsitus vitibus. Est quoq; in vrbe amplissimum frumenti forũ, quod vndiq; aduectum, & distractũ, per lacũ Tigurensem ducitur ad loca Heluetiorum superiora, præsertim ad Glaronã. Quin & ex eo lacu in alium trãsportatum lacũ, quem vulgo Vvallstertensem lacum vocant, qui longitudine duorum miliariorum Germanicorum inter altissimas & præcipites rupes, & montes patet, transuehitur ad Curiam, & Grisones ipsos, itinere 10. aut 12. miliariorum. Est autem forum illud hebdomadarium. Quàm bonis piscibus abundet lacus Tigurinus, præsertim assatilibus, nouerũt hi, qui in hac vrbe fuerunt. Quando verò, & à quo, prima huius vrbis iacta sint fundamẽta, mihi non constat. Maior Ecclesia Canonicorum fuit fundata ante tempora Caroli Magni, Deinde item Carolus auxit fundationem illã circa annum Christi 810. vocaturq; Ecclesia præposituræ sanctorum Felicis & Regulæ. Anno Christi 853. Ludouicus Rex Germanię, nepos Caroli Magni fundauit Abbatiam dominarum, quæ vulgo vocatur Frauwen Munster/ ex patrimonio Ruperti Ducis Alemannię, quod ille designauerat, & tradiderat Regi Ludouico, etiamsi idem Ludouicus ex bonis suis nonnihil quoque cõtribuerit. Prima Abbatissa vocata fuit Hildegardis, filia iam dicti Ludouici. In litteris huius fundationis, vocatur ciuitas ista Turegum in Ducatu Alemannico, in pago Turgaucensi. In fundatione illa loquitur Rex Ludouicus in hunc modum: Nostram Iurisdictionem, & præfecturam in Turego, in Ducatu Sueuiæ seu Alemãniæ, quæ est in circuitu Turgoiæ, cum omnibus attinentijs & dominijs pertinẽtibus ad hanc præfecturam, præsertim cum regione Vri, & Foresto, quod Albis vocant, donauimus dominarum monasterio, quod situm est in oppido Zurich, vbi deinceps religiosæ fœminæ susципiantur, & cõseruentur. Paterno quoq; animo moti, designauimus & tradidimus prædictũ monasterium cum omnibus attinentijs prædilectæ filiæ nostræ Hildegardi, in proprietariũ, vt memoratis fœminis præsit, easdemq; sub sua disciplina, regula & ordine teneat. Datũ 19. Augusti, anno 20. nostri regni Austrasiæ, in ciuitate Ratisponensi. Multis postea elapsis annis, circa annũ scilicet Christi 1083. liberata est vrbs ab administratione Ducatus Alemãniæ siue Sueuiæ.
52. TIVOLI, vide Tybur.
36. Tracanaria Crypta; vide descriptionem Montis Miseni in Indice.
15. TRAIECTVM ad Mosam, elegãs & celeberrimi nominis vrbs, originem à Romanis, ex Geropij Becani sententia, sumpsisse videtur. Cùm enim illi bis ad Varucã, aduersam fortunam passi essent, semel legione, & cohortibus quinque cęsis, & rursus Cicerone in præsidio locato, duabus cohortib⁹ à Sicambris repentino impetu deletis, castrisq; summo metu cõturbatis, videtur existimasse, geniũ loci Romanis infensum, hæc mala inflixisse. Ex eo igitur tempore, videtur Varucam non amplius placuisse ad castrorum metationem. Quò verò post Sulij discessum sint translata, locus ad Mosam proximus Traiecto, commonefacit; cui Caster, hactenus nomen mansit. Neq; enim verisimile est, locum illum, quo Mosa ponte traijciebatur, citra præsidium maximum fuisse: imo cõtra, credẽdum, Romanos & pontis & oppidi auctores tum tẽporis fuisse, cùm huc castra sua transtulissent. Nam Traiectum vrbis nomen, à traijciendo flumine videtur factum: quamquam nescio, vnde Ammianus Marcellinus acceperit, Obtrincense Mosæ oppidũ, quo Traiectum super Mosa situ, intelligere videtur, nisi fortè id mutuatus sit à Thungris, qui Traiectum in Vtricht/ mutarant. Et, quia Traiecti nomine, duo oppida vocabantur, alterum inferius apud Batauos, alterũ superius in Thungris, hoc Opper Vtricht/ id est, superius Traiectũ, & syncoptòs, Vptricht vocarunt, à quo Obtrincense oppidũ, Marcellinus fecit: Illud Vterstricht/ id est, exterius Traiectum, & cõcisè, Vtricht/ nominarunt. De Traiecto ad Mosam à quibusdam annotatum est, eius adolescentes præcoci quidẽ esse ingenio, sed raro ad litterariã frugem peruenire. De diuturna huius oppidi obsidione, & quonã pacto, Illustrissimo Parmensi Duce, belli præfecto, tandem expugnatum fuerit, alio quandoque loco, dicetur.
7. TRIDENTVM, ciuitas in finibus Venetiæ Prouinciæ, inter mõtes in planicie posita est, muris vallata lapideis, quam ex Septentrione alluit Athesis fluuius, ambitu miliaris Italici. In ea vias latas & lapidibus structas, domos verò ita honorificas cernas, vt nouam, non veterem ciuitatem præ se ferat. Templa satis pulchra cõspicias, sed in omnibus ijs parũ structuræ. Arcem habet conspicuam, vt domum aureã dicas potius, & quam possint, & Imperatores, & Reges percommodè inhabitare, à Bernardo Clesio Tridentino Præside auctam & illustratam, non multos ante hac annos. Influit placidè in vrbem per muros ab Oriẽte aquæ riuus, super quo ædificia sericea, & molæ frumentariæ multæ sunt, vnde itẽ plurimi riuuli deducuntur per medias vias in vsum, & publicam cõmoditatem. Super Athesim ad portam quæ dicitur S. Laurentij, Pontem habet magnificum, sed ligneum, centum & quadraginta passuum longitudinis. Monte scircum se habet niuib⁹ cõtinue obsitos, scopulosos, inaccessos, præcipites, & ita præaltos, vt dicas, cœlum summa montium cacumina contingere. Fauces habet duas, quarum altera vergit ad Septentrionẽ, altera verò ducit Veronam. Planitiem admodum paruam, sed ridentem, & arboribus & vitibus mirũ in modum consitam, quam Athesis circuit, & lambit vndequaq;. Promiscua habitantibus lingua, scilicet, Theutonica & Italica. Sed Italici omnes etiam, cùm placet, Theutonicè loquuntur. Tridentum Germanorum sentina, Italorum verò refugiũ est, cùm quid infortunijs illis occurrit. Parum frumenti, sed plurimum vini, persuaue habent, album & subrubeum. Per æstatem cœlũ temperatum est, diebus autẽ canicularibus, sol apprime feruens. Hyberno verò tempore, propter niuium & glacierum ingentes horrores, vix huiusmodi regio habitari potest: neq; satis sunt hominibus hypocausta ad depellenda frigora, quę eo tempore tam magna sunt, vt non finant aquas in terrã descendere, sed statim venientes, conuertant in niueis. Et, quod datur miraculo, vt putei ipsius ciuitatis, per tempus id, aquis omnino careant. Boues & vaccas pro mulis, asellis, & equis onerarijs habent, cum eorum plaustris, tã ad res conuehẽdas facilibus, vt ad montium cacumina sic properent, ac si essent in planitie, à viarumq; publicarũ curatoribus ita iugata aptata sunt, vt vsque ad culmẽ acceſsibile, quorumcunq; montiũ ab eisdem iri possit. Nunc demum ciuitas ista & opulẽta & clara effecta est propter Concilium, quod in ea fuit per plurimos annos. Nam hîc cõuenêre quinq; primum Cardinales Præsidentes & Legati Concilij pro Pio IIII. Pont. Opt. Max. Duo similiter Cardinales, Lotharingus & Madrutius, Patriarchæ tres. Archiepiscopi XXXIII. Episcopi CCXXXV. Abbates VII. Ordinum Generales VII. cum Theologis CXLVI. & vltra, Ferdinandique Cæsaris, Regis Galliæ, Hispaniarũ, Portugalliæ, Hungariæ, Bohemiæ, Poloniæ, Venetiarum, Septem Cantonum, Heluetiorum, Bauariæ, Subaudiæ, Florentiæ, & aliorum Principum Ecclesiasticorum Oratores.
56. TRIPERGVLANA BALNEA.
56. Trituli Balneum, in sinu Baiano, Ciceronianũ est, nõ solum ex opinione vulgi, verùm etiam ex Bocatij sententia. Enimuerò, Cicerone viuo, nondum hos fontes, apertos haud ignoramus. namq; post eius excessum, Antistio villam possidente, primum erupisse, carmineq; Tullij Laureæ Ciceronis liberti, celebratos, Plinius auctor est. Locus elegantiam mirã habet, cryptaq; mirabili artificio in saxum excauata est, vbi & imagines erant, manus ad affecta loca corporis tenentes, quibus aquæ facultas auxiliatur: nunc autem maiori ex parte diiecta sunt omnia, nobilissimorum tamen colorum, quibus ædificium depictũ fuit, adhuc argumenta supersunt. Fõs interdiu semel, ac itẽ noctu; cum occasu exortuq; Lunæ, calidam ac fumantem aquam in balnei lacum emittit, quo impleto, pars in mare, quodam riuulo defluit, pars ad fontem reuertitur. Supra balneum Ciceronianũ eadem in rupe graduum aliquot ascensu, crypta reperitur, opere excisa, altitudine pedum V I. latitudine V. sed in longũ sinuoso anfractu plurimum extensa, suauem & iucundum exhalans odorem, quam si quis erectus ingrediatur, repente ferè sudabit, si pronus, & ad solũ inflexus, refrigescet. Vlterius, ad dexterã vergenti,

genti, aqua purissima, sed pene feruens, ex tactu vix innoxia, offertur: quam plerique credunt in infimum balneum occultis vijs diffluere. Ad eam accessus huiusmodi est. Duob⁹ tantum ad læuam passibus emensis, in dextrã declinandum est, quo itinere lapis ingens offenditur, quem Caballum nuncupant: eo transito calidus puluis calcatur, vsq; ad cryptæ finẽ. Redeundum inde eò, quà in hâc cryptæ partem est introitus, ibiq; lacuna profunda latatq; cernitur. In propinquo apparet specus ad meridiem vergẽs, ingressu vitandus: quippe, si quis aliquãrum in intima procedat, absq; caloris vel frigoris excessu, absque vento, vel motu aeris, vertigine cõcideret mortuus, caloreq; sursum exæstuante simul cera cãdelæ deliquescet, simul lumen sponte deficiet. Sudatorium hoc, quod describimus, humores purgat, capiti ac ventriculo auxiliatur, rheumata curat, pituitam educit, corpus alleuat, hydropicis & podagricis vehementer cõfert. Ad dextram spiracula quędam apparent, vnde crassi cum æstu vapores, exhalantur fumi modo feruentis aheni. Prisci is huiusce modi thermæ vehementer probabãtur, quia sudoré sine quouis alio adminiculo prouocabant, &, vt quibusdam placet, fricatoria diceban tur, quod etiam in ijs sudor elici fricatoribus soleret. Alia præterea sunt hoc tractu balnea, Baiana dicta, quæ nũc omittimus. Omnia memorat Strabo, cum apud Bayas aquarum calidarum fontes, non solum affectæ valetudini multifariã auxiliantes, sed etiam voluptati atq; delitijs opportunos erum pere perhibet.

Tuscum mare, vide Tyrrhenum in Indice.
52. TYBVR, siue Tyburtum, vrbs Latij est in Italia, sedecim millibus passuum distans ab vrbe Roma, Tiburis Stephano, Tiuoli hodie, olim, Polystephanõ vocatam, idem Stephanus prodit, quam teste Solino, ex auctoritate Catonis Catilina Arcas, præfectus classis Euandri, condidit. Quod etiam sensit Seruius. De Græcia (inquit) tres fratres venerunt ad Italiam, Catillus, Coras, Tybur vel Tyburnus. Hi simul omnes vnam fecerunt ciuitatem, & eam fratris maioris nomine, Tybur appellauerunt, licet & alias fecerint singuli. Hactenus Seruius lib. Aeneid. 7. Tybur autem Virgilio dicitur Superbũ: id est, nobile, inquit Seruius: aut per transitũ tetigit illud, quod aliquando quum auxilia à Senatu poscerent Tyburtes, sub cõmemoratione beneficiorum, hoc tantum à Senatu respõsum acceperunt: Superbi estis. Hæc Seruius, explicans illud Vergilij lib. Aeneid. 7.

Quinq; adeò magnæ positis incudibus vrbes
Tela nouant, Atina potens, Tyburq; superbum,
Ardea, Crustumeriq;, & turriger Antemna.

56. Tyrrhenum mare, quod Plinio auctore Tuscũ, Notium, & Inferum etiam vocatur, Liburnum Cicero, Toscо Leãder; vocat, quia Tusciam nobilissimam Italiæ regionẽ alluit, quę Seruio auctore, quondam sit cognominata Tyrrhenia, hinc eam appellationem sortitum existimãt. vel à Tyrrhenis nautis, qui se in hoc mare præcipitauerunt. hoc namq; habet fabula: Dormientem in littore Liberum patrem, puerum nautas abstulisse Tyrrhenos, qui cùm esset experrectus in naui, quo duceretur, interrogauit, Respõderunt, quo vellet. Liber ait: Ad Naxum, insulã sibi sacratam, sed, cùm alio vela deflecterent, iratum numen, tigres sibi sacratas, visibus eorũ obiecit, quo terrore se illi in fluctus dedêre præcipites. Hæc Seruius in lib. 1. Aeneid.

V

25. VALLENCENAE, elegans Hannoniæ vrbs, Trullæ fluuiolo insidens, medium regionis ferè occupat. Admodum munita, atque aduersus hostiũ insultus tutissima. Plebs opulenta, plerumque rem faciens ex telæ quodam genere, quod vernaculè Sayam appellant, cuius ingens ibi copia conficitur.
53. VELITRAE, perantiquum Latij oppidum, Liuio, Belitra, Leandro & alijs Belitre: quibusdã etiam Blitri, situ est in colle periucundo, vnde pleræque Thyrreni maris insulæ, Põtia, nimirum & Palmarola, scriptorum monumentis celebres, iucundissimo oculorum intuitu, conspici possunt.
37. VENLONVM, oppidum Geldriæ ad Mosam flumẽ munitissimum, bellica gloria, iam olim nobile, vbi anno Salutis, M.D.XLIII. certis conditionibus pax facta est, inter Carolum V. & Guilielmum Cliuiæ Ducem.
49. VERONAM, inter vrbes Italicas non minimam fuisse, videre quidem, vel hoc tempore licet, ex ijs, quæ adhuc extant, & quasi viuunt, partim ex ijs quæ temporum, & bellorum iniuria quodammodo interièrę, historiarum autem monumentis, etiamnum recondita, ad seruantur. Cõmendandi autem merito veniunt, qui tam oportunam, maximæ futurę vrbi sedẽ, delegerunt, vbi amœnissimus latè labitur Athesis: colles placidissimi adiacent, fœcundissimi latè se campi protendunt. Primi autem conditores quinam fuerint, diuersa grauissimorum scriptorũ auctoritate disputatur. Alijs eius originem Gallis, alijs verò Thuscis cõcedentibus. Illi, Liuij, Trogi, & Iustini sese verbis tuentur, lib. xx. His autem Gallis (dicentis) causa in Italiã veniẽdi, sedesq; nouas quærẽdi, intestina discordia, & assiduæ domus dissensiones fuêre: quarum tædio, cùm in Italiã venissent, sedib⁹ Thuscos expulerũt, & Mediolanum, Comum, Brixiam, Bergomum, Tridentũm. Veronam, Vincentiamq; condiderũt. Thusci quoq; Ducę Rhęto, auitis sedibus amissis, alpes occupauêre, & nomine Ducis, gentem Rhętos, appellauêre: Alij Caronis, & Sẽpronij inniuntur sententiæ, quorũ ille, de originib⁹ libro, Alpes omnes, inquit, Italiæ, Colonias Thuscorũ fuisse, incolæ asserunt, & ab ipsis vel Ducibus, vel capitibus originũ nomina gentibus, & locis indita, vt Rhętij à Rhęto Rege Lydorum, & Veronenses, à Vera, Thuscorũ Colonia. Sempronius autẽ similiter scribit: Hinc circa Larium Lacum, à Principibus dicta Vallis Vulturena, & Verona à Vera Thuscorũ familia. At grauissimi scriptores, etsi verbis dissidere videantur, re tamen ipsa, Cato cum Sempronio, & Trogus cũ Iustino non dissidere, cõprobari poterit, si res tota consideretur. Illud itaque in primis constare debet, Transpadanam omnẽ regionem antiquissimorum Thuscorum sedẽ fuisse, quod & Sẽpronius affirmat his verbis. Et quidẽ omnem Transpadanam regionem Thuscorum prolem fuisse, inter omnes auctores conuenit. manentq; vestigia, vrbs Mantua, & reliqua. Cato quoque, ita de hac re scribit, omnia sub Alpibus Transpadana loca prisci conuenæ Thusci missis colonis tenuêre, ab hisq; multa loca nomina retinẽt, plura deleuerũt Galli, & reliqua. Idem & Liuius, idẽ & Plinius affirmant. Veronensem autem agrum Thuscorum sedẽ fuisse, multa præter prædicta monumenta confirmãt. Nam & Catullus Benacum Lydium vocat, id est, Thuscũ, Circa Benacum porrò oppida sunt adhuc, quæ nomina Thuscorum seruant, vt Thusculanum, & Vergilius, Oenũ filiũ Mantos fuisse, & Thusci amnis, id est Benaci, tametsi nõnulli sint, qui de Ayno flumine, id intelligant. sunt & adhuc vina Rhętica, in agro nostro, nomen antiquum seruantia à Rhętis, qui à Gallis pulsi, mõrana incoluêre, de quibus ita Iustinus scribit. Thusci quoq; Ducę Rhęto, amissis auitis sedibus Alpes occupauêre. Plini⁹ præterea, de Verona inquit, Rhętorum & Euganeorum Verona. Hæc igitur ita statuenda sunt, quibus, si alterũ illud addas, quod, Cato dicebat, plura deleuerũt Galli, facilè fortasse erit videre, quomodo tam Cato, & Sempronius, quàm Trogus, & Iustinus vera dicant, nihil enim prohibet & Veronam & Brixiã, & Mediolanum, antiquissimas vrbes, à Gallis dirutas fuisse, ijs dico, qui primi Alpes transcędere, mox ab alijs, Ducę Breno, easdem instauratas fuisse, quas eonditas, Iustinus scribit: More scilicet veterum, qui contendi verbum, pro restaurando, vel agendo, de vrbibus vsurparunt. Atq, hæc quidem de Veronensium origine dicta sufficiant. Nunc porrò interiora vrbis penitus introspiciamus. Vbi inter quàm plurima vetustatis indicia, habent etiam curiosi, quod admirentur, oscillas, & habitationes subterraneas frequentes in montibus existere, eum omnino ad modum confectas, vt eo tempore vide antur paratæ, quo homines aureo sæculo, in montibus habitantes, casas sibi, & spheluncas foderant, quam cõsuetudinem Vitruuius lib. 2. cap. 1. explicat, & Lucretius:

Sed nemora (inquit) atq; cauos montes, syluasq; colebant,
Et frutices inter condebant squallida membra.

Iuuenalis insuper idem confirmans, ait:

Credo pudicitiam Saturno Rege moratam
In terris, visamq; diu, dum frigida paruas
Præberet spelunca domos, ignemq;, laremq;,
Et pecus, & dominos communi clauderet vmbra.
Syluestrem montana torum cum sterneret vxor
Frondibus, &c.

Quin etiam & illud multo maiorem admirationem præbet, quod in montibus Veronæ Echini marini, coclęæ, & similia in lapides diuturnitate tẽporis concreta, inueniantur. Tum etiam, quónã pacto hæc, si viua quandoque fuêre, in hos montes aut delata fuerint, aut enata. Sunt, qui diluuio adscribãt Verùm alij rationibus moti hanc sententiã improbant, tum

quod aquæ, quæ exuperarunt montes, non fuerint maria, sed inundationes è cœlo, tum quod oporteret videri conchas, & id genus alia, in verticibus montium, aut, si super excreuisset terra, videri saltem certo solum tractu, qua tum vertices mõtium erant: quod certè nõ liquido cõstat, quando erutis montibus, in quibus sunt hæc, non vna solum parte apparent, sed etiam in medijs, & in imis, & vbique. Alia sententia est dicentium, in montibus esse humorem quendam, & alicubi salsum & varium, à quo sæpe vera animalia maritima fiunt, & quodammodo generantur, vt est in Dactylis videre, qui in medijs saxis nascuntur, & inde excauantur. Interdum non vera animalia fieri, sed quæ imitantur vera. nam, quemadmodum & natura imitatur species terrestrium in mari, ita in montibus non veras conchas fieri viuentes, sed consimile quiddam, quod mox lapidescit ob frigiditatem circumambientis loci. Cuius signum affirmant esse, quod conchæ, quantum ad id, quod intra est, non planè animal referunt. sed hanc quoq; sententiam alij repudiant, quoniam lapidea hæc, aut vnquam vixêre, animantiaque extitêre, aut non: Si quidem olim vixêre, non iam iocatur natura & imitatur, sed verum animal facit, quale in mari gignitur. At verò, in montib⁹ inter saxa esse eâ vim genitricem, quæ in mari, non satis rationabile videtur, præsertim in grandioribus animalibus, quæ multa poscunt. Cui rei addi & illud potest, quod si olim genita fuissent, oportet & nunc alicubi gigni, & erui è montibus viuentia hęc animalia, quemadmodum & Dactyli. Si verò nunquam vixêre, sed imitationes tantum fuêre verorum animantium: hoc certè contra sensum est. Eruuntur enim conchæ non paucæ, quorum pars iam in lapidem concreuit, pars nondum mutata est, sed veræ conchę rationem habet, & teneritatem, & cum reliquis mollitudinem. Quare videre est illas olim veras fuisse conchas. quod si id, quod intra est, in quibusdam nõ planè concham refert, causa est, quod caro, quæ ex se mollis erat, & contrahi nata, multa terra circumtecta, mox in lapidem coiuit. At Hieronymus Fracastorius peritissimus Philosophus & Medicus, hæc olim vera animantia fuisse existimat, iactata illuc à mari, & in mari enata: sed hæc pendere ex maiori cognitione. Montes enim omnes è mari factos fuisse asseuerabat, primum iactata arena in cumulos, fuisseq; olim mare, vbi nũc montes extant, mox eodem recedente, detectos fuisse montes, & insulas, quod & indies videtur fieri, quando & Aegyptus tota mari olim obruta fuit, & in littoribus etiam Italiæ, vt circa Rauennam apparet, vbi longè abest mare ab eo, quod olim fuerat passuum C.

Iam etiam diu multisq; in diuersæ, & mutatæ gubernationis Veronensis commemoratione hærere possemus, sed, quia ea omnia primùm Torellus, tum Leander, in Marchiæ Tarui-sinæ descriptione persequutus est, idcirco, breuitatis amore, eò Lectorem relegamus. Hoc autem tempore, in Venetorum potestate versatur Verona, qui maximis sanè operibus, continuoq; studio, vsque adeò eam muniunt, vt inter munitissimas totius Europæ referri, herculè queat. Homines etiam claros & illustres, partim, qui doctrinarum studijs, partim qui rerũ bellicarum administratione præcelluerũt, tam multos etiam Verona edidit, vt non nisi prolixissima oratione recẽseri queant. Eorum autem accuratissima commemoratione, elegãtissimi iam dicti auctores, Lectoribus abundè satisfacient.

14. Via Appia.

39. VILNA, Lithuaniæ Ducatus Metropolis, vrbs copiosa, ampla, & celeberrimi nominis, ciues habet ignauos & desides, ob natiuum, agrestem & rusticum credo eius patriæ genium, & incredibilem agri vicini bonitatem: quàm minimo si quidem hic viuitur. Ager tanto fœnore creditum sibi semen tum reddit, vt magnam frumenti vim Dantiscum & in Pintemiam, fecundo flumine, deferant, quod per totam Ostlandiã, in Belgio, & in ipsis Hispanijs, atq; potissimum Olisiponæ in Lusitania distrahitur. Regio feras & armenta alit plurima, vn de lactis, casei, carnis altilis, atq; ferinæ, auium permagna copia, vitem nõ habet, nec fuauioris fructus arborem. Maxima verò messis in cera, canabe, & melle consistit. Cùm mense Septembri mellitos apium fauos in agris rescindunt, nullum, qualiscunq; etiam extraneus fuerit, transire istac permittunt, cui non demessi faui partem communicent remotissimos etiam ad se inuitant, aut ad eos, cum agresti hoc munere excurrunt, rati, & firma sibi fide persuadentes, nõ alijs, de melle sibi diuinitus dato, liberaliter communicent, messem se non tam vberem habituros. Eadem etiam sunt in vrbe liberalitate. Oppidani namq; in vniuersum omnes, Magistratu tantum excepto, hospites sunt, cereuisiam, medonem, aut vinum adustum propinantes: & liberum cuiq; permittunt, ædes suas tuto intrare, sedere ad focum, & vnum, de quocunque liquore velit, haustũ gratis bibere, atq; deinde exire. Verùm vltrò si bibat, si prandium aut cœnam cum hospite sumat, tum pretiũ quoque soluat necesse est, quod tamen perexiguum est, cùm certũ sit, robustissimum etiam virum quatuor obulis, tantum sibi panis comparare posse, quantum vnò die cõmodè ipsi sufficiat.

58. VVLCANI FORVM, vide Forum Vulcani.

27. VVALCOVRT.

37. VVARBVRGVM, Vvestphaliæ ad Dimulam flum. opp.

42. VVINMARIA, lautum & peramœnum Turingiæ oppidum, Comitatus quondam titulo celebre. Sed anno partæ salutis M.CCCXLII. ob morosam Comitis Hermanni de Orlamunda, & obstreperam erga Herum suum Fridericum Seuerum Turingiæ Landgrauium, & Misniæ Marckgrauium, inobedientiam, primum iure belli, tum iustis transactionibus Comitatus VVinmarienſis, ad Landtgrauiatum Turingiæ peruenit. Et proinde anno salutis M.CCC.LXXVII. Balthasar Turingiæ Landtgrauius, titulum suum, salutatione Comitatus de Orlamunda, adauxit. Dũ in istius oppidi descriptione versamur, doctissimus vir Ioanes VVolfius, aliã multo luculentiorem, quam quæ nobis erat, topographicam VVeinmariæ picturam, operi nostro inserendam, cum hac, ad dulcissimæ patriæ suæ ciues parænesi, transmittit.

Quam nactus patriam, pietate ornare studeto,
Et vita sancta, moribus atq; bonis.
Hũ addas artes, vitæ quarum indiget vsus,
Sic ornas Spartam, ciuis amice tuam.
Hæc decora exuperant arces, turresq; stupendas,
Hinc florent vrbes, hinc regio ipsa nitet.
Nempe domum dominus debet decorare nitendo,
Nec tantum dominum, quam tenet ipse domus.
Si tamen ambo simul decora hæc iungantur in vno,
Et domus & dominus nomina digna ferent.



IN FRONTISPICIVM
THEATRI QVARTI VRBIVM GEORGII BRAVNII AGRIPPINATIS.

QVAE DEA, quisve DEVS, solio sublimis in alto,
Festa coronato vertice serta geris?
Maiestas comi quanta est residentis in ore?
Aurea & angustum tollit ad astra caput?
Fallor, an hic ille est MARIVS salvatria Romæ
Cum VIRTVTE cui, iunctáq; templa dedit?
Non, non; verè ipse est: neg, me sententia fallit:
Agnosco faciem dignag, membra DEO.
Est HONOR, est, inquam, hic VIRTVTIS filius; & cui
Est genitor CONSTANS DIGNA sequi in arte LABOR
Aônio quondam quem matriuêre sub antro
In manibus Diuæ Tresq, Nouemq, suis
Missa cui cœlo sese SAPIENTIA ab alto
Indidit, & dia INDVSTRIA mentis opus.
PACIS alumna THEMIS cui rides sponte decorum,
Largita officij est munus onusq, sui.
Quæsti FRONTEM huius LIBRI cur ornet imago
Quærite, ea an causſas res habeatq, suas?
Quærendi vt faciat, quisq, es, compendium; & illa
Aptius esse loco hunc vt fateare nihil:
Scire licet, LIBRVM te ex ordine cernere QVARTVM
Oppida qui mundi nobiliora refert
ORBIS quáq, VRBES, vt quæq, est maxima rebus
Omnibus hîc pietas posse videre dabit.
Oppida quæ cum non condantur, condita longum
Fortibus aut durent inuidiosa viris
De paruis fiant vel florentissima, quàm cum
A VIRTVTE præsit nobilitatus HONOS;
Atq, vbi PACI almæ sua scita & commoda constant;
Debitus & THEMIDI est cum pietate locus:
VRBES quid LIBRVM par erat sermone loquentem,
Et cœlo sculptis à meliore notis;
Quid librum hunc, inquam, par erat præferre, magis quàm
Artes, VRBS per quas demum in HONORE suo est?
Hæc igitur voluit, per quæ florere videmus
OPPIDA, & in summis luxuriare bonis;
Hæc AVCTOR voluit, ceu TVTELARIA in ipso
LIMINE, & in PORTIS NVMINA stare suis
Quo melius si quid fieri quis posse putabit,
Huic per me MENTIS fas dare tura bonæ est.
Et per mentem ipsam hanc, Tragica hæc quid secula poscunt
Nostra mage, innumeris vndiq, fœta malis;
Quam non voce modo vt, & scriptis admoneamur,
Artifici inciso verùm etiam are manu;
Si non de nobis recti omnis cura recessit,
Cuncta viuetq, vno perdere regna modo:
Ignis quæ neq, dum mucro bostica hausit;
Quæq, vtroq, solent ledere pejus aquæ:
Summa rei passim vt tantum tradatur ijs, quis
Liberi auaritia ac ambitione sient.
Mandenturq, animi instructis SAPIENTIA HONORES.
Quisq, pie ante alios SEDVLITATE vigent?
Pro quibus ô MORES; ô TEMPORA; sæpe videmus
Nescio quem primum poscere in VRBE locum;
Compotem & indomitæ sieri AMBITIONIS opum vi
Sola, vna generis vel ratione sui;
Non vacuum tantum ijs, quis diximus artibus VRBES
Seruari, superi & surgere ad astra poli;
Sed qui, prô dolor, his sit moribus insuper, VRBES
Perdere vti paruo tempore mille queat.
Quæ cum cernamus quantum bona publica lædant:
Materiam vt nostris sufficiamq, malis;
Quamq, eadem crescant magis in momenta magiq,
Iudicia hæc, quæ nil iudicij instar habent:
Non ijs admoniti tot iam respicimus annis,
Aut domos rerum hæc cura remordet adhuc?
Quin tandem, ô tandem, vos, Orbis numina, Reges;
Vos saltem, in quorum Terra Fretumq, manu est;
Obuiam huic, huic ite malo, ne præmia inertes
Hæc rapiant, doctis quæ soluenda viris.
Hanc dico, hanc auferte luem, quæ peste timendum
Censeo cuiq, sua in nil ditione magis
Et faxo redeant illa aurea sæcula nobis,
Pagina quæ totiens laudat & optat anus.
Faxo, vt, qua nunc est ferro violentior, ætas,
Mores ipsa odio occeptet habere suos:
Qualia Saturno, & celebrat sub rege vetustas,
Qualia subq, pio regna fuisse Numa.
Talia ad occasum sint solis, solis ab ortu
Imperia, & nil sit Iustitiæ arte prius.
Et non, quos vasti penes est custodia mundi,
Hæc optet regnis otia quisq, suis.
Tunc ô, sed parco in Dominos quia dicere tutum
Non est subiectis, altaq, verba loqui,
Parco, & quicquid id est; horum quodcunq, futurum est;
Seu quod tecum optem; siue, quod heù vereor:
Laudo tamen tua consilia ô clarissime BRAVNI;
Virtute hac mactum & te cupio esse tua.
Fiat, non fiat, fieri quod debet; abunde
Officio tu, Dijs, functus, amice, pio es.
Omnia BRAVNIVM & hinc memorabunt secla nepotum;
Vt nunc est cunctis laus tua in ore bonis.
Quis ego dum tecum placeam, vir maxima, longum
Flere, suis iubeo & res sibi habere malos.

FRANCISCVS MODIVS BRVGENSIS F. IN AGRIPPINA Vbiorum Colonia.

584
IV
Alb. -4

SERENISSIMO ET
ILLVSTRISIMO
PRINCIPI AC DO
MINO D. VVILHEL
MO COMITI PA
LATINO RHENI
VTRIVSQVE BA
VARIAE DVCI ET
CAET. DOMINO
SVO CLEMEN
TISSIMO.

GEORGIVS
BRAVIN.
ET
FRANCISCVS
HOGENBERGIVS
DED. CONSE
CRANTQ.

S. CAESAREAE MAIESTATIS PRIVILEGIVM.

MAXIMILIANVS Secundus, diuina fauente clementia, electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Boiemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgūdiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolę & V Virtenbergæ, &c. Comes Tyrolis, &c. Recognoscimus & notum facimus, tenore præsentium vniuersis, Rempublicam benè & rectè constitutā, nō tam armis, mœnijs, & propugnaculis, quàm litterarum studijs, & viris rebus agendis aptis & idoneis munitam esse decet. Animaduertentes autem ad conseruandas & propagandas bonas artes, ac seminarium quasi virtutis constituendum & retinendum, operas typographicas plurimū adiumenti conferre: Ideo non eos solùm, qui Reipub. domi aut foris prodesse, vel hostium iniurijs propulsandis, vel pro Tribunali Ius, & iustitiam administrando, quietem & tranquillitatē publicam tueri solent, sed etiam in primis existimamus fouendos, qui rei litterariæ curam suspicientes, non de nostra solùm ætate, sed de posteris etiam bene mereri nituntur.

Cùm igitur nobis expositum sit, nostri & Sacri Imperij fideles dilectos, M. Georgium Bruin, M. Franciscum Hogenbergiū, nec non M. Simonem vanden Noeuel, non sine multo laborum tædio, & graui sumptu, Ciuitates Orbis Terrarum, accuratissimè delineatas, ac alia, quæ ad earum originem & historiā spectarent, summa diligentia collegisse, atque constituisse illas Ciuitatum dilineationes, cum historica enarratione, ad communē rei litterariæ vtilitatem in publicum edere, deterreri autem sinistris æmulorum artibus, qui falcem in messem alienam inijcientes, ex aliorum laboribus, priuata cōmoda venari soleant, nobisq; proinde humiliter supplicatum sit, vt pro nostra, in litterarum studia & Musarum alumnos, affectione, ipsis clementer subuenire, Cæsareaque auctoritate nostra, nimiam æmulorū licentiam benigne coercere dignaremur. Quibus quidem precibus gratiosè admissis, præsentium vigore, scienter, animoq; bene deliberato, & Cæsarea auctoritate nostra seriò decernimus & statuimus, quod nemo pictorum, cælatorum, typographorum, bibliopolarum, & aliorū, qui vendendis, vel imprimendis libris, seu quacunq; alia ratione librariam negotiationem exercent, æmulisque opus illud imitaturis, pingendis, sculpendisve, aut alio quouis modo exornandis, atq; illustrandis imaginibus & tabulis vsui vel auxilio esse possunt, memoratam M. Georgij Bruin, M. Francisci Hogenbergij, M. Simonis vanden Noeuel, Ciuitatum Orbis Terrarum descriptionē, delineationibus, & historica enarratione illustratā, intra decenniū ab editionis absolutæ die numerandū, coniunctim vel diuisim, ipsis inscijs aut inuitis, nec typis, nec sculptura, seu quocumq; alio modo, aut charactere, æmulari aut imitari, vel aliunde allatū, intra Sacri Romani Imperij fines vendere, ac distrahere publicè, vel occultè possit aut debeat. Si quis autem præsens edictum nostrum transgredi aut violare, memoratumq; opus recudere, & in fraudem auctorum spargere conatus fuerit, eum non solùm huiusmodi libris, tanquam cōmissis & prædictis M. Georgio Bruin, Francisco Hogēbergio, ac Simoni vanden Noeuel, vel hæredibus, aut mandatū habentibus, auxilio Magistratus eius loci, vbi deprehensi fuerint, vendicandis priuari, sed insuper etiā pœna decem marcarū auri puri fisco nostro Imperiali, fraudis vindici, & parti læsæ, ex æquo soluenda & numeranda mulctari volumꝰ. Mandātes vniuersis & singulis nostris, & Sacri Romani Imperij subditis & fidelibus dilectis tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus cuiuscunq; status, gradus, ordinis & conditionis exstiterint, præsertim verò ijs, qui in Magistratu constituti sunt, ac vel suo, vel superiorum suorum loco & nomine, Iuris & Iustitiæ admiuistrationem exercent, ne quenquam hoc Priuilegium, seu interdictū nostrum impunè violare, spernere aut negligere patiantur. Sed, si quos contumaces compererint, præscripta pœna plecti, & quibuscunq; rectè fieri potest, modis coercere curēt, quatenus & ipsi grauiss simam indignationem nostram euitare voluerint. Id quod testamur præsentibus litteris, manu propria subscriptis, & Cæsarei sigilli nostri impressione munitis. Datum in ciuitate nostra Vienna, die vigesima octaua mensis Augusti, Anno Domini Millesimo Quingentesimo Septuagesimo secundo, Regnorum nostrorum, Romani, decimo, Hungarici, nono, Boiemici verò vigesimoquarto.

Maximilianus.

V. Io. Bap. VVeber, &c.

Ad mandatum Sac. Cæs.
Maiestatis proprium

Obernburger.

TENOR PRIVILEGII REGIS CATHOLICI.

AVCTORITATE Philippi, Hispaniarum Regis, cautum est, ne quis præter Francisci Hogenbergij voluntatem hos, de precipuis, totius vniuersi, ciuitatibus libros, auctore Georgio Bruin Agrippinate conscriptos, coniunctim vel diuisim, sculptura, charactere, aut quocunq; modo, intra decēnium imitetur, depingat, aut imprimat, vel alibi quocunq; modo excusos, aut depictos, in aliquo Brabantiæ vel transmosanarum ditionum loco, per se, vel per alios, clàm vel apertè distrahat. Sub pœna, in diplomate contenta. Datum Bruxellæ, XXII. Nouemb. M. D. LXXIIII.

Ex consilio

I. De VVitte.

GEORGIVS BRAVN AGRIPPINAS LECTORI S.

EXhibemus nunc tandem, Lectores beneuoli, quartum præcipuarum totius mundi vrbium, opidorumque Theatrum, quod partim amicorum, topographicas hasce delitias amantium, liberale & honestum studium, partim ea, ad quam, nescio quo genio, rapimur, in picturas & Geographica oblectamenta affectio, & sensus procliuis, extorsit. Eorum etiam amicitiæ & obseruantiæ aliquid concessum fuit, qui ad hosce conatus nostros, symbola contulerunt; quos hìc omnes recensere, nimis longum foret. Quorum si nomina, paucis quibusdam, qui Martem in lingua gerunt, &, quos liberalia hæc studia minus delectāt, nota forent, reuerentius fortasse de hoc opere sentirent, neque caninos in id dentes acuerent. Sed elegantia & liberalia ingenia, æquiùs de eo iudicium ferunt, quorum pleraq;, sumptibus suis vrbium, quas patrias habent, icones & historias, nobis suppeditarunt, vt, sine iusta multorum offensione, manum de tabula non potuerim amouere. Itaque amicis morem gerere, eorumque hìc auctoritatem, curiosis & minus amicis quorundam iudicijs, præferre debui. Qui cùm nihil ipsi egregij operis præstent, aliorum labores nimia libertate carpunt, Peruagatum illud Dureri; **Bald thadlen dan bessern.**

Ordinem fortasse alium, quarundam vrbium dispositio poscebat, ne saltu nimis remoto, diuersarum Regionum vrbes, immediate se subsequerentur, & in plerisque Regnis, Ducatibus & Prouincijs, nimis remoto situ dispares, mutuo foliorū decursu sibi substituerentur, Non ignoro id quidem, vt mihi quandoque ipsi, hac in re minùs satisfaciam. Sed, quanta, obsecro, monstrosi operis moles hæc foret, quæ talem omnium prouinciarum & regionum dispositionem suppeditaret. Mundus omninò vniuersus depingendus hìc esset, vel cuilibet regioni separatum, & peculiare opꝰ nuncupandum. Quod tamen, Deo benè fauente, proxima editione, (si hęc studia porrò colemus) futurū confido, in qua accuratiore methodo vtemur, Primùm, vt generalē eius vel Regni, vel Ducatus, cuius deinde vrbes exhibituri sumus, typū demꝰ, Tum rursus, vniuersales eiusdem regni Ducatuum, Comitatuum & Baroniarum, descriptionem exhibentes, istorum deinde generalium typorum opida, arces & celebriora loca absoluta methodo subijciamus. Interim tamen, si qui impatientes moræ, quibus præsentis operis dispositio minus satisfacere videtur, hi, earum vrbium & opidorum, quorum typos & enarrationes desiderant, vel eriā emendationes habere vellent, vel ipsi nobis liberaliter suppeditent, quas suis locis interseri curabimus, vel Dominici Lampsonij nostri sequantur consilium, & Geographicas Abrahami Orttelij cartas, cum nostris vrbiū Tomis consungentes, absolutum sibi opus, ipsi industria, quantacumque valent, perficiant.

Debetur, inquit Lampsonius toto, tabulis quem rettulit, orbe
Laus magna Orttelio, nec tibi, Brune, minor.
Quare, vt suaue magis dulces sese inter, amicos,
Quam secus est, Brunum cernere, & Orttelium:
Gratius ætherios ignes spectare, colore
Cæruleo liquidi se sociante poli.
Byssina & ora suæ speciosior addita veste est:
Nec sat disuncta vestis, & ora decent:
Atque adamas, nudum si contemplere, minus, quàm,
Auro si inclusum, quo capiaris, habet:
Denique vt vrbs, & pars vicini ruris eodem
Obtutu, atque vno tempore visa iuuant:
Sic non inter se vestros conferre labores,
O socij (hæc semper res odiosa fuit)
Aut illum huic, aut hunc illi præferre, sed illum,
Atque hunc æquali tollere laude placet.
Bibliopola igitur coniungat vtrumque Theatrum
Censeo: vt ex, vnus, fiat, vtroque, liber.
Sic duo constituunt vnum Amphiteatrum, oculisq;
Functa Theatra magis grata duobus erunt.
Nec spectatorem, renuat nisi bulga, pigebit
Duplice opus duplex ære parare sibi.

IN GEORGII BRAVNII
VRBIVM ORBIS DESCRIPTIONES
IOANNIS POLITI I. C. SERE-
NISS. ELECTORIS COLONIEN. HISTO-
RICI CARMEN.

QVid iuuat ignotas alio sub sole tot vrbes
Quærere? & incerto viſere regna mari?
Siſte gradum nec te dubio committe labori,
Iſta potes patrio cernere cuncta ſolo.
Commoda Palladiæ non tanta tuliſtis Athenæ,
Belgarum vt præſtans hæc quoque palma foret.
Ergo decus Phœbi notus cui veſper & ortus,
Duraq́ ſub gemino regna poſita Polo:
Cum populis monſtres quicquid capit orbita mundi,
Quis te oculum mundi dicere Braune vetet?

IANI MELLERI PALMERII IN TOPOGRA-
PHICOS BRAVNII, ET HOGENBERGII CONATVS CARMEN.

QVàm dextro dedit Aonios haurire liquores
BRAVNIVS Aſtreæ gratus Themidiq́ Sacerdos,
Quàm benè FRANCISCVS facit, HOGENBERGIVS, arte
Dum tantas oculis vrbeis dum ſubijcit Arces
Quas ne fama quidem ad noſtras vnquam attulit aures.
Quidq́ quod nonnullas tanquam reuocauit ab Orco
In lucem, quibus interitum iam fata parabant?
Quas clam, quas tenebris pridem nox improba texit?
Atq́ aiunt ſtygias facto ingemuiſſe ſorores:
Nec paſſas animo à quoquam ſua penſa tenere
Ac caſti veterem Hippolyti reuocaſſe querelam,
Cum vitam extinctus Dite indignante recepit.
Parcite fatales diuæ: nihil ille nec auſus,
Nec voluit, veſtris quo inferret finibus arma
Si vitam dedit, at vitam dedit Aeſoni Colchis:
Nec Iouis, aut Phœbi ſenſit vel tela, vel arcum.
At ſi cuique libet ſua reddere præmia facto,
Longa illi ſeros ducatis ſtamina in annos.
Eueniet, mea ſi quid habent oracula veri:
Aſpice, nam in tortos apices ſe flamma volutat:
Quamque prius maior ſe fundit, & aëra lambit.
Hæc ſatis: olim aderit, ſi quid pia numina poſſunt
Cum te, qua ſacros aperit ſe callis in hortos,
Aonas in montes ducam, modo vita manebit:
Inuidia eſt? ſperabo tamen: nec vota fatiſcent.

CANTVARIA.

ROMANI, occupantes Britanniam, dum ex Iccio portu traiiciunt, proximam, quam inuaſerunt Regionem, Cantium dixére, quam Britanni, veteres in ea coloni, Caint; Angh, Kent, nuncuparunt. Dum enim vniuerſa hæc inſula, certa in regna diuiſa fuit, regionibus in ea diuerſis, diuerſæ nuncupationes ſunt attributæ. Et inter ſeptem regna, primum, Cantianum eſt, quod ab oriente ſole & meridie Oceanum habet, à ſeptentrione Thameſin flumen; ab occidente verò terminabatur finib⁹ regni Auſtralium Saxonum, ac deniq; toto eo terræ ſpacio continebatur, quo hodie Cantuarienſis & Roceſtrenſis, quam Roffenſem appellant, diœceſes, conſtant. Primariam in eo vrbem Britanni, Caergrant, & Cairkant, id eſt, vrbem Cantij, quam Angli, Canterbary, ſiue, vt Lelandus, Cantevvarberi, nominant. Olim Durouernum, vel, Dorouernum, vt Beda legit, qui & Durouerniam habet. Ponticus Virunnius, abbreuiator Gaufridi Monumetenſis, Doroberniam nuncupat, ſicut & Segebertus. Vrbs eſt Archiepiſcopalis & Metropolitica, quæ, vt antiquitate, ita peramœna ſitus iucunditate, multis Angliæ vrbibus, ſed & dignitate præfertur. Nam Cantuarienſis Archipræſul, totius Anglię primatum obtinet. Sunt non infimę ſortis ſcriptores, qui Daruenum Ptolemæi dicunt, eiuſq; primaria in longum tempus referunt. Sunt, qui eam excitatam ſcribant à Britannię Rege Ludrudibra, ſiue Rudhurdibra, quem Rudubras Polydorus, & Hurdibras, hiſtoria manu ſcripta, legit. De hac ita Olaus Magnus: Cantium, inquit, retento veteri nomine, armentis, frumentariiſq; agris & virorum ingeniis floret. In eo Cantuaria Metropolis, primario Archiepiſcopatu, & D. Thomæ martyris ſepulchro memorabilis, XII. miliaribus à mari diſtans, vbi Dobra, oppidum, antiquitùs Dauernum, excelſa arce & portu celebre, quum in hunc breuiſſimus à Caletio Gallice ſit traiectus. Sed non deſunt, qui Cantuariam, ex antiquis literarum monumentis, Dorouernum fuiſſe exiſtiment. Hæc quidem ille. Cantuariam autem & magnitudine & ædificiorum ſplendore & incolarum frequentia, prænobilem Condinenſem vrbem ad Tameſin, quondam ſuperaſſe, multi perhibent. Et licet furioſi Vulcani frequenter ſit deformata incommodis, magnificæ tamen & egregię vrbis formam hic etiam tempore exhibet, duodecim diſtincta Pareciis, quarum præ cæteris, ædificiorum ſplendore, & animo obuentionum cenſu, principatum obtinens, Chriſti churte, id eſt, Chriſti Eccleſia nuncupatur. Prius, phanum erat Romanum, quorum Idola Auguſtinus Anglorum Apoſtolus, euertit, & Archiepiſcopalem ſedem, quæ iam inde ab initio pietatis Chriſtianæ. Lucio Rege, receptæ, Londini fuerat, Dorouerniam, id eſt, Cantuariam tranſtulit, & magnificam in ea Eccleſiam, vana infidelium ſuperſtitione amota, CHRISTO dedicauit, & in ea Metropolis Pontificis cathedram, locauit. Eius autem Eccleſię opes, quam religioſa auorum pietas religioni propagandæ, adſcripſit, amplas quondam fuiſſe, vel hinc facilè colligi poteſt. Quia Guilielmus Rufus, Angliæ Rex, earum magnitudine illectus, Lanfranæ Cantuarienſi Archiepiſcopo morte ſublato, eam Eccleſiam grandi pecunia, plus offerenti, annis aliquot elocarit. Ac deinde, Cantuarienſibus & vicinarum Eccleſiarum Proceribus, anno CHRISTI M.C. in exilium profligatis, annuis eorum prouentibus, priuatum in quæſtum conuertens, ſæpè dictitarit, Pinguem eſſe panem CHRISTI, & Regibus præbere delitias. Quibus tamen delitiis, non multò tempore delectatus fuit. Inter venandum quippe, apud Nouę Foreſtę ſaltum, à ſuo quodam milite, ſiue caſu, ſiue de induſtria, ſagitta tranſfixus, periit. Cantuarienſis itaque Eccleſia, ſiue annuum cenſum, ſiue ſtructuræ magnificentiam, ſiue internum ornatum conſideres, ſingulare huic vrbi ornamentum exhibere ſolebat. Quæ etiam tymbis, ſumptu, & arte affabrè factis, Regibus, Principibusque viris, & Archipræſulibus quietis, & dormitionis domicilium præbebat. In ea quippe humatus quieſcit Henricus, eius nominis quartus, Angliæ Rex, eiuſque filius Thomas, Clarentiæ Dux: Edouardus V Valliæ Princeps, Niger cognominatus, & VIII. Cantij Reges. Anſelmus ſcriptis clarus, & beatorum ordini aſſociatus, Ceſtriæ, monachorum collegio D. Benedicto deuoto, cœnobium magnis ſumptibus conſtruxit, & magnificè dotauit. Thomas Becket Archipræſul Cantuarienſis, cuius frequens eſt & celebris in anglicanis hiſtoriis mentio, is, quia Eccleſiaſtica ſua iura defendit, ab Henrico ſecundo, Angliæ Rege in exilium actus, Senone in Gallia, apud Alexandrum tertium Pontificem Rom. de iniuriis conqueſtus, ad Pontiniacum cœnobium ſe contulit. Rex deinde Henricum filium in regni ſocietatem adſcitum, Londini à Rogerio Eboracenſi Archiepiſcopo (abſente tum Cantuarienſe, cuius id muneris fuerat) in Regem coronandum curat. De qua iniuria, Thomas Cantuarienſis apud Alexandrum Pontificem conqueſtus, ita eum mouit, vt is Eboracenſi & aliis, qui iſtiuſmodi coronationi interfuiſſent, ſacrorum adminiſtratione interdixerit. Thomas autem Cantuarienſis, ſeptimo exilij ſui anno, reconciliato, vt putabatur, Rege, in Angliam reuerſus, coniuratorum gladiis in Eccleſia confoſſus, moritur, ab Alexandro Pontifice martyrum catalogo adſcriptus. Rex per legatos apud Pontificem ſe de Cantuarienſis nece purgat, & Hibernicam expeditionem, cuiuſq; inſulæ dominium Pontificis auctoritate dari ſibi poſtulat. Pontifex legatos, cauſam de Cantuarienſis nece cognituros, in Angliam mittit. Rex iureiurando factum ſuum purgat, in hoc tantum ſe peccaſſe faſſus, quòd ex eius in Cantuarienſem ſimultate, aliis perpetrandi facinoris occaſionem dediſſet. Ad quam culpam eluendam expiandamque, ducentos milites ad ſacrum bellum in Syriam ſuis ſumptibus ſe miſſurum, recepit, ac ſemet intra triennium eius expeditionis ſocium, cum aliis Principibus ſubſequuturum. Quin & legem tuliſſe dicitur, qua perpetuo cautum voluit, neminem poſterorum Regum in Anglia regium nomen, inſigniaque deinceps geſturum, niſi quem Romanus Pontifex ritè iuſſiſſet, deſignaſſetq;. Hæc & Angliæ Chronico Lilij excerpſimus.

Sed Henricus octauus Angliæ Rex anno M. D. XXXVIII. cum inimicas contra Romanum Pontificem partes ſuſcepiſſet, Anachoretorum ſcholas toto regno ſubuertit omnes, & tam fratrum mendicitatis collegia, quàm Archimandritarum opulenta claſtra perturbauit. Ornatum etiam inſuper, emblemata, & pretioſiſſima omnia, quibus religionis ergò, Maiores, Reges & Principes arcam, loculum, & monumentum D. Thomæ Bocheti illius olim Cantuarienſium Antiſtitis, Cantuariæ vndique veſtiuerant, indidem populo inſpectante, auellenda curauit, atque è delubro ſuſtulit, oſſaque rogo impoſuit, cinerem autem vento traditum, diſſipauit.

I

CANTVARBVRY

Christe church
Eclesia cathedr.

CIVITALIS

Iter ad Londinum

The Castell

MERIDIES

CANTVARIA
vrbs fertilis
simae Anglia celebris;
Archiepisco-
pati sede,
commendata.

Archiepiscopat


HISPALIS.

HISPANIA, quæ Germania minor, Gallia maior, à multis, qui diuerso tempore floruerunt Cosmographis, in tres partes secata est, in Bæticam, Lusitaniam, & Terraconensem. Ab aliis verò deinceps, ius vt faciliùs Prouinciis latè patentibus diceretur, quarta est addita, Gallaciæ. Sed & hæc Prouinciarum distinctio, in Concilio Illibertino, in plures excreuit, quemadmodum Gerundensis Episcopus, & Vasæus in Hispaniæ Chronicis perhibent. Bætica à Bæto, qui polt Tagum Hispanis imperauit, nomen accepit, & à plerisque fœlix ac beata dicitur: Nam in ea Homerus Elysios campos collocauit. Postmodum à VVandalis, VVandalusia, & modo, Andalusia nuncupatur. Vrbs in ea famatissima & Regia, SEVILLA siue SIBILIA, olim HISPALIS dicta, Bæti flumini iuncta, totius propemodum Hispaniæ emporium celeberrimum, antiquam dignitatem & magnificentiam retinens, vt enim Strabo florens sui temporis emporium celebrat. Ita etiamnum ampliſſimis negotiatorũ commertiis diues, cùm opulentissimum sit mercium Indicarum occidentalium receptaculum: De quo deindè latiùs. Nomen autem & originem vnde habeat, variè à variis perhibetur. Isidorus Hispalensis Episcopus, lib. originum XV. cap. I. Hispalim, inquit, Cæsar Iulius condidit, quam ex suo nomine, & Romæ vrbis vocabulo, Iuliam Romulam nuncupauit. Hispalis autem à situ cognominata est, eò, quod in solo palustri, suffixis profundo palis locata sit, ne lubrico & instabili fundamento caderet. Sed hæc Isidori, de fundatore, sententia, quam & cum plerisque aliis Rodericus Toletanus amplectitur, Vasæo, & aliis eiusdem regni chorographis, iustis de causis, non probatur. Quorum alij ab Hercule, alij, ab Hispalo, eam conditam perhibent. Ita enim Tarapha de Regibus Hispaniæ scribens, Hispalus, inquit, filius fuit Herculis Libyci, qui à patre Rex creatus, Hispanias accepit, teste Beroso: Hic Hispalim ciuitatem, quæ nunc Sibilia, vulgo Seuilla dicitur, condidit: Et tota Hispania, quasi Hispalia ab eius colonis dicta. Gerundensis Episcopus, Paralypomenon Hispaniæ lib. I. 2. & 5. scribit. Hispalim multi ferunt ab Hercule conditam, sicque vocitatam, siue, quia ob aquarum abundantiam, palis suppositis ædificata sit, siue à palude, quæ maxima vrbem circundat, Hispalis dicta est à prioribus antiquis: Postea verò à Iulio Cæsare, Romulea appellata, vt Straboni placuit, à cuius nomine, vulgata locutio originem traxit, vt Siuillia appelletur, tanquam a Iulio Cæsare instaurata, & dicatur ciuitas Iulia, referuntq; præfatum Cæsarem eandem Vrbem construxisse. Quod tamen verum non est, cum apud T. Liuium, commentariaq; præfati Iulij Cæsaris ac Lucium, plurimosq; scriptores antiquiores, fiat eius ciuitatis mentio. Potuit tamen Iulius Cæsar illam instaurasse labantem, auxisse, ac dilatasse, Nam & Romanorũ Coloniam eandem effecit. Obtinuit tamen moderna literarum locutio, vt priſtino nomine ab eo nuncupetur. Benedictus Arias Montanus, vnitum & verè admirandum literatorum decus, qui Hispalim ortu commendatissimam reddidit. Hunc in modum de patriæ suæ adpellatione, ad candidissimum virum, & præcellentem huius æui Cosmographum Abrahamum Orttelium scribit. Hispalis nomen Phœnicum est, ex Spila vel Spala deflexum, quod planitiem, siue virentem regionem significat; qualis eius territorium conspicitur. A Græcis verò addita est aspiratio; Arabes autem, quòd P, literam non habent, ob idque pronuntiare nequeunt, ferè ad natiuam vocem referentes. Sbilla dixerunt, deinde Christianorum vulgus SEVILLA, vt nunc, appellauit.

A quocunque tandem Hispalis fundata & denominata fuerit, Iulio Cæsari restaurationem, Raymiro Regi, ac longo tempore deinde Ferdinando III. à Mauris liberationem defert. Vrbs est Bæticę Prouincię ad mare Gaditanum clarissima, forma rotunda, ædium pulcherrimarum frequentia nitidissimè culta, totiusque Hispanię emporium florentissimum, quod ex variis mundi partibus, maximè verò ex India occidentali, quæstus incredibiles facit. Ad tantum siquidem negotiationis culmen Hispalenses deuenêre, vt ipsi soli hoc priuilegio gaudeant, quo nullum in Indiam transmittatur nauium genus, quin hîc mercibus oneretur, machinis & tormentis bellicis, commeatu, milite, omnibusque ad tantam nauigationem requisitis, Sereniſſimi Hispaniarum Regis nomina instruatur. Quæ in Aprili copiosa & ingenti classe, maxima præstantissimorum bonorum copia refertæ, quorum precia omnem fere æstimationem superant, in Indiam tendunt. Quotquot etiam ex eadem India naues, præciosissimis onustę thesauris Æolo benè fauente redeunt, huius Vrbis littus appellere, merceſque exinanire coguntur, quę frequenti numero quotannis in Augusto vel Septembri, ingentes atq; incredibiles opes conferunt. Est hîc ampla & magnifica structura nobilis domus, Gubernatorem, & Consules habens XII. Quæ à negotiis Indicis, quę ibidem geruntur, La casa de la contraction de las Indias, nomen habet. Situ omnes Hispanię Vrbes excellit, agrum habet pinguem ac peramœnum. omnis generis frugum, olei, oliuarumq; feracem, fructuosis conceptum arboribus, maximè palmis & citriis, quas Narangios Hispani vocant. Nobilissimus fluuius Bætis vrbem præterlabitur, Prouincię Bæticæ, vt Strabo & Plinius asserunt, nomen dedit. Guadalquiuir ab Hispanis dicitur, Africana, siue Arabica voce, quę idem, quod fluuium magnum sonat, vt Vasæus perhibet, prestans est, & multę vtilitatis, vtrinq; perpulchris colitur oppidis. Vnde à Statio, Martiali, Silio, & Seneca, maximè celebratur. Ligneo ponte, quem parua nauigia catenis compactum sustinent, admodum delectabilis, In Atlanticum mare, magno cum impetu excurrit. In Hispalensi quodam suburbio meridiem versus, quod ipsorum lingua El tablado vocant, plurima anti quitatis monumenta eruuntur è terra, veluti tymbi, lapideæ ac vitreæ lampades, vrnæ, numismata, & alia id genus, ex quibus Romanorum sepulturam hîc quondam fuisse, intelligi potest. Altera ex parte, miliari ab vrbe, conuulsæ vrbis antiquæ, atque Theatri ruinæ videntur, locus Hispanis Seuilla la viua, hoc est, Sibilia vetus dicitur. Vehementer autem Hispalensem ciuitatem commendat, aquæductus insignis, à Mauris, incredibilibus impensarum sumptibus, opere fornicato, constructus, qui excauato riuo, dimidiati miliaris spacio, iucundam incolis aquationem præbet, vnde quamplurimi fontes ad ciuitatis necessitates deriuantur. Mirabile visu, quanto itinere, nimirum sex miliarium, per cæcos terræ meatus à Carmora ciuitate, scaturientes fontes in hunc aquæ ductum, deducantur. Vnde Loscannos de Carmora, Hispanis dicitur.

De Hispali ita L. Marineus Siculus lib. XIX. Rerum Hispanicarum scribit, Vrbs hæc maxima est & opulentissima, meoque iudicio, multis Hispanię ciuitatibus, ne dicam omnibus, anteponenda. Est enim ambitu magna, forma rotunda, visu pulchra, templis celebris, Sacerdotibus exculta, multis equitibus nobilis, ciuibus plena, domibus insignis, plateis & vicis hilaris, hortis & fontibus amœna, tuta propugnaculis, mœnibus cincta, defensa portis & turribus, campis iucunda, agrorum frugibus abundans, oliuetis & magnis oliuis & oleo fœlix, mercatorum comertiis diues, artibus adornata mechanicis, & liberalibus studiis illustris, plena multis piscium generibus, & magnis ostreis, palmetis & palmulis & arborum fructibus exuberans, ostio maris & nauigabili flumine ligneoque ponte, quem parua nauigia catenis compactum sustinent, admodum delectabilis. Quapropter verum est illud adagium, quod vulgò dici solet, hominibus, quos Deus amat, Hispali domum largitur & victum. In ea siquidem multo melius viuitur & abundantius quàm in alia, quantumlibet vrbe ditissima totius orbis. De cuius templo maximo & nauigiorum numero, scripsimus alio loco. Cuius Vrbis nomen Barbaræ Mauritaniæ gentes deformarûnt, quoniam p, litera carebant, eius loco b, posuerunt, & cæteris commutatis literis, Sibiliam dixerunt. Hæc de ciuitatis Hispalensis fœlicitate, sufficiant.

SEVIL LA



1 Arraual dela puerta de Carmona
2 Arraual dela puerta de Macarena
3 Casas del Duq de Alcala
4 Casas de Colon
5. Castilleia de Guzman
6. Castilleia dela Cuesta
7 Cunas
8 Calle delas armas
9. Caños de Carmona
10. El Mattadero
11. El quemadero
12. El Algaba
13 Iglesia maior
14 Monasterio de S.Pablo
15 Plaza de S.Francisco
16 Plaza del Duq de Medina
17 Plaza de Don Pedro Ponce
18 Plaza del Duq de Arcos
19 Plazio de Palazio
20 Plazio del Rey
21 La Madalena
22 La Alameda
23 Monasterio del Carmen
24 Puerta del Arenal
25 Puerta de Triana
26 Puerta de Goles
27 Puerta de S. Juan
28 Puert dela almenilla
29 Puerta de Macarena
30 Puerta de Cordoba
31 Puerta del Sol
32 Puerta del Osario
33 Puerta de Carmona
34 Puerta de la Carne
35 Puerta de Gerez
36 Torre del Oro
37 Torre dela Plata
38 Torre dellas Muelle
39 Puente de Triana
40 Las Aturacanas

ADMODVM REVERENDO, INSIGNI ET EGREGIO VIRO, DOMINO GEORGIO BRAVN COLONIENSI, HENRICVS COQVVS BATAVVS S. D.

NIHIL mihi optatius, quàm virorum literarum amantissimorum cognitionem & beneuolentiam consequi, quod vt sedulò fiat, amicorum stimulis & consilio, vbi possum, nitor. D. Ioannes Mostinus, à Regia Maiestate Abbas S. VVinocij Montis designatus, Vir tam tui, quàm mei studiosissimus, nuper receptis à te in Hispania, litteris, quæsiuit, si quid de Marchena & Ossuna Batica oppidis in promptu haberem. Ego verò cùm in hoc regio itinere librorum penuria laborarem, ea, quæ memoria & manuscripta aliqua mihi suppeditabant, in ordinem redegi, quæ, si tibi profuisse postmodum intellexero, tuum erit de cætero mihi imperare. Habebis me, professionem, officium, & omnia mea tibi paratissima. Faciet D. Mostinum reuisam, meum tibi animum fuisse testatissimum. Vale. Burtinæ ipsis Calendis Septemb. cIↃ cI xxcv.

VRSAO, NVNC OSVNA.

OSVNA, quæ Plinio est Vrso, & Genua Vrbanorum, Appio Alexandrino, Orsona. Cæsari verò & Straboni, & eosdem secuto Mario Arctio Syracusano, cæteris{q;} neotericis, Vrsao, oppidum est vlterioris Hispaniæ in Turdulis Bæticæ populis, atq; in planitie situm: distans à Singilia, quæ nunc Antequera, xxx. circiter M. P. ab Astigi, quæ Ecija plus minus: ab Arucci, quæ nunc Moron, octo: Ab Hispali, quadraginta; à Corduba, non longè, vti Strabo testatur: cuius verba sunt: Sunt etiam in quibus Pompei liberi debellati Munda, Ategua, Vrsao, & Tucci. Et paulò infrà: Hæ autem omnes, non longè distant à Corduba. Confirmat hæc Aulus Hirtius apud Cæsarem de bello Hispanico; qui etiam Vrsaonem suis verbis reddit illustriorem, vbi inquit: Cæsar Gadibus rursum ad Hispalim recurrit. Fabius Maximus, qui ab eo relictus erat ad oppugnandum præsidium, tandem vrbem cœpit, ac deinde Vrsaonem proficiscuntur, quod oppidum magna munitione tenebatur natura firmissimum Aqua, præter quàm in oppido ipso, nusquam reperiebatur propius millia passuum octo, nec habebant ligna & materies ad oppugnandum. Ita necessariò deducebantur nostri, vt à Munda, quam proximè cœperant, materiem illò deportarent. Ex quibus satis liquet, & oppidum esse antiquissimum, & fuisse olim maximi momenti. neq; dubium est, Vrsaonem esse eandem, quam nunc corruptè Ossunam Hispani appellant: conueniunt enim Hirtij verba cum situ: A Munda Vrsaonem, vsque vnius diei iter est; oppido aquam nullam habet conterminam, arborum genus similiter, præter oliuarum copiam, nullum, quod procul dubio Pœnorum gens Romanis Hispanisq; ad cultum terræ procliuior, post generalem Gothorum & prouinciæ cladem ibidem inseruit. Præterea fragmenta quædam testacea in oppido ipso inuenta, quæ & egomet vidi: in quibus sequentes literæ, luce clariùs videbantur: O F F. P A T R. V R S. quæ, vel officio patrum Vrsaonis, vel officina Patritiorum Vrsaonis, vel alio quouis modo interpretari possunt. Fiunt enim in hac regione vasa & dolia multa fictilia, eò, quòd gleba terræ ad similia fingenda sit aptissima. Est autem nostro hoc æuo Ducatus caput, & sedes primaria Illustrissimæ Gironum familiæ; quæ relicto titulo Comitum Vreniæ, Ducum Osunæ anno 1562. Rege nostro Philippo annuente, sibi vendicauit. In hac familia tam antiquitate stirpis, quàm progenitorum rebus benè gestis nobilissima multi fuêre, quorum nomina adhuc vigent. Inter eos D. Petrus Giron Spatiferorum D. Iacobi equitum, dum viueret, Præfectus anno 1472. deuicta Archidona (quod oppidũ ab Vrsaone in itinere Granatensi distat triginta circiter millia pass.) ab Henrico quarto Hispaniæ Rege cum aliis oppidulis dominio suo eandem adnumerari obtinuit. Post cum Ioannes Tellez Giron eius nominis & familiæ secundus, sumptuosissimum ex candenti marmore erexit templum D. Virgini sacrum, anno ab eius partu, supra sesquimillesimum trigesimo quarto, in eo præter Abbatem, Dignitates, Canonicos, & Portionarios qui Collegium constituunt. Sacellanorum etiam ex patrimonio instituit numerum, qui progenitoribus suis in crypti subterraneo, quod eorum funeribus seruandis sub altari summo extruxit, quotidiè parentarent. Id etiam templum Catholicus Princeps, tanta supellectile, tam aurea quàm argentea, tantisq; vestibus aureis, holosericisq; diuino cultui necessariis ita exornauit, vt meo iudicio, vix habeat in Bætica secundum. Monasteria præterea erexit à fundamentis quàm plurima Diuis scilicet Dominico, Francisco Assisiensi, Augustino, Francisco à Paula (quorum religiosi, Minimi dicuntur) cui erat deuotissimus, Virgini matri de monte Carmelo. Recollectis etiam extra oppidum in monte Caluario, & Obseruantibus, singulos erexit conuentus. Matia similiter eius coniux virginum fecit cœnobium D. Clarę sacrum, atq; alia per ditionem suam ædificauêre monasteria. Adhæc Xenodochium pauperum omnium asylum, in quo & expositi{q;} infantes eorum adhuc sumptibus & redditibus aluntur. Nouissimè etiam anno 1549. Academiam extruxêre insignem, in qua omnes ferè scientiæ docentur, nihil{q;} præter miserè quæ Catholicos & generosos Principes decent, vt Vrsaonem oppidum proauorum sanguine & labore adquisitum, exornarent. Ciuium in oppido præter eos, qui literis operam dant, tria & amplius millia recensentur, ex annuo quæstu oliuarum frumentorum{q;} ditissimi: est enim eorum ager tam frugum, pecudum etiam & oliuarum abundantissimus, quam aëris salubritate fœlicissimus. Penes Rectorem Collegii, Academiæ ius est, qui emeritis studiosis sua largitur præmia. Præfectus oppidi, Senatores, & qui in delinquentes animaduertunt lictores, à Ducum arbitrio dependent. In meditullio oppidi è regione Academiæ fons est vberioris aquæ. Si quid de Gironum familiæ nobilitate desideretur, legat Hieronymum Gudiel, qui eorum contexuit historiam: mihi enim sufficit, ea quæ de Vrsaone legerim & viderim in medium protulisse.


MARCHENA OLIM MARTIA.

MARTIA, in vlteriori Hispania Turdulorum Bæticæ populorum nobilissimum olim Romanorũ Municipium & Colonia, vti ex Saxorum inscriptionibus ibidem repertis, clarius constat paulo immutato nomine, ab Hispanis adhuc Marchena appellatur, fortè à Marco Marcello, cùm Cordubam conderet, vel post eum à Lucio Martio (qui Gneo Scipione apud Vrsaonem mortuo, secundum Appium Alexandrinum Romanam sequebatur aciem) nomen obtinuit. Lucius Marinæus Siculus, ratione nescio qua, inductus, putat eam esse, quam Cæsar & Plinius Ateguam vocant. ego eius coniecturam adfirmare non ausim, verba tamen Cæsaris adiicienda censui, qui inquit: Cum animaduerteret aduersarios minimè velle, copiis flumen transductis noctu, iubet ignes ferri magnos, ita firmissimum eius præsidium Ateguam proficiscitur, quod sciens Pompeius ex profugis, Cordubam se recipit. Hæc verba si exactè animaduertantur, nihil omnino certi indicant: flumen enim Martiæ nostræ propinquius est, Singulis vulgò Xenil dictum, quod in Solorio monte ortum Eliberim & Astigi ciuitates abluit, & iuxta Palmam oppidum in Bætim sese exonerat, potuitque exercitum Cæsar tam per Bætim, quàm per Sigilim traducere, & vno die Ateguam proficisci. quiuis enim fluuiorum à Martia plus, quam quatuor leucis non distat. Mea igitur est sententia, Ateguam aliam fuisse, quàm eam, quam nunc Marchenam vocamus, eas tamen paruo itineris interuallo olim distauisse, cùm in hoc regionis tractu nobilissima extructa fuerint à Romanis municipia: tam propter cœli clementiam, quàm propter omnium frugum fructuumq; luxuriem. Sed valeant incerta hæc, atq; ad eius descriptionem transeamus. Est in ea nostro hoc æuo Ducum Arcobrigæ sedes gentilitia, qui è Pontiorum à legione nobilissimo stemmate orti, Marchionatum Gaditanum cum Hispaniæ Rege commutauerunt: atq; hoc suum municipium, longo temporum interuallo ita exornarunt, vt cum vicinis oppidis de ciuium frequentia, ædificiorum pulchritudine, messium{q;} abundantia audeat decertare. Septentrionem versus habet Astigi vigiuti M. P. à se distans, ad solstitium æstiuum Esteponan, Marchionatu insignem, ad hyemalem Vrsaonem versus{q;} 8. M. P. à se distantes. In occidentem Hispalim. Situs eius est in colliculo quodam, vbiq; planities respiciente. Summum eius templum est ad oppidi Septentrionem egregia turre exornatum, cui coniunctum est Ducum insigne palatium ad portam, qua itur Astigi, propugnaculis ac turribus per gyrum munitissimum, varia etiam supellectile à Ducibus, qui frequentius hîc viuunt exornatum. Non longè à Palatio virginum est conuentus, in quo viduæ Ducum aliquando religioni sese addicunt. Suburbium habet oppido maius ad occasum solis, vbi itur Hispalim, in eo fons est è regione Xenodochij, tantam aquæ vehementiam emittens, vt & ciuibus, & eorum animalibus abundè eam suppeditet ad restringendam sitim. Id enim in hac Bæticæ Prouinciæ parte adnotaui, quod agri eius quamuis fertilissimi, omninò fontibus, riuulis, aquæductibus{q;} careant, ita, quòd sæpè agricolæ laborent aquarum penuria, quæ messem facit rariorem, atque eam ob causam plerumque oppida & pagi videntur extructi, vbi scaturiunt fontes. Ager eius est oliuarum fertilissimus. Ab Astigi enim Martiam vsque, nihil vides incultum, nihil sterile, nisi desertissima vbique oliueta & fruges, eorumque messis pro vniuersa Hispania sufficeret, si tempestiuis imbribus rigaretur.

Si Pontiorum egregia facta quis scire aueat, consulat Nebrissensem in sua Catholicorum Regum historia, & abundè desiderio suo satisfactum dicet.

Henricus Cock Gorcomius.

MARCHENA.



ORCHVNA.



MATISCONA.

BVRGVNDICVM solum amplius olim fuit ac latius extensum, vtputa, quod non vnum, sed complura regna ambitu suo compræhendebat. Primæua quippe amplitudine sua septẽ prouincias siue diœceses complectebatur, quæ complures sub se Cathedrales habebant. Earum tertia erat Lugdunensis, non quidem Gallia, quę latius extenditur, sed potius Prouincia contractior. Præest enim Heduensi, Houteun: Matiscoensi, Mascon: Cabilonensi, Chalon: & Lingonensi, Langres: Præsulibus. Huius nunc Prouinciæ primarias exhibemus vrbes, Matisconem & Cabillinum. Quarum illa, non iisdem semper est adpellata nominibus, à Romanis Matiscon, à Gregorio Turonensi & aliis Matissane, Marliano Mascon, Antonino in suo Itinerario Matiscenene Castrum, nuncupatur. Sunt autem, quæ de hac vrbe in antiquioribus historiis inuenias, tam pauca, vt, cum ex Cæsare antiquitatem eius intellexeris, originem certè explicare non possis. Situs eius ad Ararim fluuium, recto & longo tractu porrigitur, qui ex Vogeso monte ortus, Heduos & Sequanos diuidit, hos in Burgundiæ Comitatu, illos in Ducatu positos, & in meridiem fluens, Lugduni, Rhodano miscetur. Quæ huic vrbi sæpè inciderunt clades sub Attila, sub Francis, Burgundiam impugnantibus: sub Lothario Ludouici pij filio, sub Ludouico iuniore, hæ inquam clades faciunt, vt antiquam eius formam describere non possimus, cum toties reparata fuerit, vt earum substructionum, quas habuit, vel Cæsare in Galliis bellum gerente, vel, cum Burgundiones in Galliam primùm venerunt, vestigium ferè nullum adpareat. Nec verò de forma, qua post illatam à Lothario cladem, restaurata sit, constat. Tantum id notum est, quod ab vltima eius restitutione supereſt. Ea restitutio facta est sub Philippo Augusto, Anno salutis M. CC. XXII. cum generosioris animi ciues orsi sunt vrbem nouis mœniis concludere, & aduersus prædonum incursiones vallo & propugnaculis munire. Sex tunc constituerunt portas, & oppidum oratoriis publicis decenter ornarunt. Inter quæ Diuorum Petri & Pauli Ecclesia, in qua sacrorum & Curia, quæ pridem extra vrbem sita erat, vt vrbis murorum veteres ruinæ declarant, quæ inter hanc Ecclesiam, & S. Vincentij cœnobium, à D. Niceta conditum, visuntur. Sed istis à Lothario euersis, Diuorum Petri & Pauli Ecclesia diuerso loco restaurata fuit, atque apud eam Canonici, & vocant, Regulares collocati: Nec longe ab his, Ptochodochion, & cœmiterium publicum. Quod autem hoc D. Petri cœnobium, natura & opere munitum erat, & Carolus Burgundionum Dux Canonicorum fidem suspectam habebat, iussit illud deleri: eoque facto, Canonici receperunt se ad eam vrbis Ecclesiam, quæ ipsorum alioqui iuris, ab iisdem etiam nunc tenetur. Erat & alia Ecclesia, primi atque sanctioris instituti, Canonicorum, quos Regulares vocant, D. Stephani titulo, in colle extra vrbem sita, quæ à Lothario euersa, in Iudæorum postea vsu fuit; ex quo & hodie, pons eò pertinens, Iudæorum vocatur. Sed exactis Galliæ Iudæis, illa Ecclesia parœcica & Curialis facta est. Ecclesia autem Cathedralis primo dicata fuit sub nominibus Apostolorum Petri & Bartholomæi, ac martyrum Gerualij & Prothasij. Sed Galliæ Rex Childebertus, eius nominis primus, quo erat pietatis affectu ergà Vincentium martyrem, reconditis ibi eius reliquiis, multis eam Ecclesiam beneficiis auxit. Quo euenit, vt, cum populi quoque affectio ad Regis pietatem accederet, adpellaretur hæc D. Vincentij Ecclesia. Sed pulcherrimum apud Matisconios ædificium est Dominicanorum cœnobium, quo loco, ante Comitum erat pallatium à S. Ludouico extructum. Quod cœnobium Hugonotica rabie, anno M. D. LXII. & rursum, anno M. D. LXVII. vastatum fuit. Quod idem & Minoritarum cœnobio, & iudiciali foro, & collegio, & carceribus, & omnibus ferè vrbis Ecclesiis accidit.

CABILLONVM.

CABILLONVM opp. Matiscone finitimum, in Prouincia Lugdunensi, Ducatu Burgundiæ & Francorum regno situm, nomen retinens, Challons sursaone. Perantiquum esse, ex Cæsare intelligitur. Nam, & ipsius in Heduis, ad Ararim situm refert, & in eo se collocasse Q. Ciceronem, & P. Sulpitium, vt rei frumentariæ præessent, in suis commentariis meminit. Sed antiquam eius formam, & primum situm, eo difficilius est ostendere, quòd frequenter ab iis, qui muniendi artem profiterentur, multa in eo mutata fuerint. Cùm illud quoq; sit controuersum, fuerintne olim id solum Cabillonum, quod hodie scuti forma conclusum, vetustissima quoque habet mœnia; an verò longiùs eius situs extenderetur. Existimant certè quidã, non solum D. Petri cœnobium, in quo nunc arx constituta est, verum etiam quæ supra eminent vineta, vrbis mœnibus conclusa fuisse, eique rei veteres, q illic visuntur, ruinas argumenti esse putant. Alij, contra iudicant, Cabillonũ initio, & eam regionẽ, in qua nunc D. Petri cœnobium, diuersarum fuisse iurisdictionum, & postea non tantum id spacij, quod D. Petri cœnobio & antiquæ vrbi interiectum est, nouam vrbem complexam esse, verum etiam totum id suburbium, quod à D. Ioanne, & antiquo macello nomen habet, & suburbij D. Alexandri bonam portionem. Sed vtcunq; Cabillonum vel amplius olim fuerit, vel minus, constat certe, id hodie Cabillonum esse, quod Cæsar ad Ararim positum scribit. Ibi Cathedralis Ecclesia initio consecrata fuit sub nomine D. Stephani, quam Childebertus, primus Galliæ Rex, cum misere iacentem atque afflictam offendisset, restauratis, multisque donauit immunitatibus & priuilegiis, collocatis ibi D. Vincentij reliquiis, quas ex Hispania secum deportarat. Eo factum est, vt Ecclesia D. Stephani adpellari desierit, S. Vincentij deinceps nuncupata. Est & alia Ecclesia D. Georgij nomine, in qua & Canonicorum Collegium, & sacrorum vrbis Curia. Ea verò est Ecclesia, quæ sola, quo tempore Lotharius Ludouici pij filius, Cabillonum & quatuor eius suburbia vastauit, incendium euadere potuit. Præter Ecclesiam parœcicam seu Curialem, quatuor cœnobia, prioratuum (vt vocant) nomine egregia sanè ac splendida fuerunt; S. Colmi, quod Cluniacensi, S. Crucis, quod S. Petri Matisconensis vrbis; S. Mariæ, quod S. Benigni, apud Diuionenses, & S. Laurentij, quod insulæ Barbæ apud Lugdunum subditum, & veluti municipale est. Duo sunt eorum, qui mendicitatem vouerunt cœnobia, Carmelitarum, in D. Ioannis, cui à macello nomen, & Minoritarum in S. Laurentii, vt illic vocant suburbio, ab eo Philippo Duce Burgundiæ, cui Boni cognomen fuit, extructa. In eo autem suburbio, quod S. Mariæ nuncupatur, extat virginum cœnobium ordinis Benedictini, quod ante hac à S. Clara nomen habuit. Atque ista quidem de rebus ecclesiasticis. Quod ad statum ciuilem attinet, Cabillonum Comites habuit, & sedes olim Regia fuit Gontrani, & ex inde nundinis, quarum omnimoda esset immunitas, binis ornata, vtrisque adtum mensem durantibus, alteris Brandoniis, alteris ab Augusto mense nuncupatis; Sed Cabillono post magnis affecto cladibus, hæ quoque nundinæ alio translatæ fuerunt. Primo quidem Geneuam, quæ vrbs tum etiam regni Burgundici erat, deinde Lugdunum, vbi nunc quoq; habentur. Atqui, nulla tamen huius translationis habita ratione, Cabillonius Nomarcha, vsurpat nundinarum ac mercatuum magistri nomen, id certè, ne prærogatiuum amittat suorum maiorum, cum neq; alioqui Cabillonum, antiquas immunitates amiserit. Nam & hodie, quo anni tempore illæ nundinæ habebantur, nemo Cabilloni apparitor, seu regius, seu alius potest quenquam iure sistere, vel in eius bona manus iniicere. Cabilloni præterea, patriciorum aliquem sibi vicinum, in suæ vrbis Ducem militarem abs sese delectum repræsentant sistuntque, non illi qui nomine Regis vrbi præeit, sed vrbis Episcopo. Nam, ante quam Burgundiæ Duces Cabillonensem Comitatum sui iuris fecissent, acceptum à Comite Cabillonensi, Ioanne, filio Stephani Comitis Burgundiæ, Salinarum Principis (quod quidem accidit anno millesimo, ducentesimo, quinquagesimo sexto) Episcopus erat præcipuus vrbis dominus ac patronus, & edicta promulgabantur sub nominibus Episcopi & Comitis: sed Episcopi, honoris & prærogatiui causa, nomen præcedebat. Nunc ciuitas, pro dimidia tantum parte in dominatu & Episcopi, pro reliqua ipsius Regis. Et Episcopus suum nunc quoq; habet in vrbe Nomarchum, & vrbs ipsa in duas diuisa iurisdictiones, partim Curiam habet iudiciarem Castelli, quæ Regia est: partim Episcopæi, & Canonicorum Cathedralium collegij, in qua Episcopalis ille Nomarcha, ius dicit. Cabillonum olim Rempublicam habuit optimè institutam, & plateas, pro artificum varietate, distinctas, eamq; vrbis partem, in qua cerdones agerent, à Patriciorum magistratuum simulque Ecclesiasticorum regione, seiunctam. Ciues autem omnes liberos, ex quorum familiis, quæ antiquitate præcellerent, deligebantur ad Reip. administrationem senatores, quibus solis, in conuentibus publicis, sententiæ dicendæ auctoritas esset. Nunc, Cabillonij Prætorem, seu, vt vocant, Maiorem habent, senatorum vrbis principem, isq; in causis ciuilibus ius dicit, in ipsius vrbis Prætorio; quod & in aliis Burgundiæ ciuitatibus solenne atque vsitatum est. Olim autem eiusmodi Maior, potestatem habebat, non modo rerum ciuilium, verum etiam criminalium. Sed eam, qui sequuri sunt Nomarchæ, sustulerunt. Permultæ sunt Cabillonij Patriciorum ac nobilium Burgundiæ magnificæ domus. Olim enim Burgundię Duces vt plurimum illic egebant; eoq; factum est, vt Cabilloniorum plurimi immunitatibus fruantur, soli nobilitati concessis. Et verò inter cæteros, Gallica lingua vtentes, Cabillonij moribꝰ sunt ornatissimis, atq; ob egregiam in conuictu suauitatem, quam ipsa quoq; sermonis elegantia & festiuitas commendat, omnium, qui gallicæ linguæ ornatui studeant, longè disertissimi habentur. Cabillonum ab Attila Hunnorum Principe, vastatum, à Gontranõ Rege restitutum fuit. Isq, in cœnobio illic S. Marcelli conditus, pro dignitate regia, mausolæum habebat, quod Caluiniani, anno millesimo, quingentesimo, sexagesimo secundo, euerterunt. Alia deinde Cabillonij vastatione sequuta per Lotharium Ludouici Pij filium, tursum tamen instaurata vrbs, priores vires & pulchritudinem recepit. Subiecta olim Matisconensium Nomarchiæ, nunc quoq; mensura vini Matisconensi vtitur, alioqui, rebus in diuersum mutatis, Nomarchiam propriam habet.

MATISCONA, vulgo Masconi; ad Ararim flu: probe munitum Burgundiae Oppidum M. D. LXXX.

CABILLINVM, Indigenis, Chalon, vt agri vberrimi, ita saluberrimi coeli, ac proinde eximiè felix Burgundiæ Opp: conuehēdis mercimonijs, ob Araris, cui impēdet vicinitatē idoneū.

SAONE

FLV.

Le vieux Chastrou, ou est compris, à present la citadelle.

Tour de la maiſon Episcopale.

S. Vincent Eglise Cathedrale.

Porte de la barre.

Porte du Pont.

Le Pont.

Le Pont de pierre.

Le fauxbourg S. Laurens.

S. Estienne, rayne.

Tour de Chastillon.

Le Chastellet.

Le Citadelle

Les Carmes

Les Cordeliers.

Porte S. Marie

Porte de la muraille

Parochiale ruinee et cimetiere

S. Marie Parroisse et

Franchemont S.

Maulne soubs

Festes

Le grand chemin

CAMERACVM.

CAMERACVM, ex Pauli Aemilij aliorumq; sententia, veterum est Samarobrina, vbi Cæsar totius Galliæ Concilium & Statuum conuentum habere, hyemare, & impedimenta exercitus, obsides ciuitatum, literasq; publicas ac frumenta relinquere solebat. Petrus Pricæus, & in Atriaticis suis Becanus, Samarobrinam, non Cameracum, sed Ambianum esse cõtendunt, cùm Samobrina veterum à Bellouaco, plus, quàm triplo amplius absit, quàm viginti millibus passuum. Hactenus sanè Bellouacum viginti quinque, id est, totidem millibus passuum, quot Cæsar annotauit, ab Ambiano est remotum, ita vt nihil dubitandum, Ambianum Samorobrinam Ambianorum esse. Sunt rursus alij, qui cum Bouillo S. Quintini oppidum Samorobrinos existimant. Sed penes auctores sit sua quoque defensio. Cameracum sanè Galliæ Belgicæ vrbs, in Ambianis, quę Cambray, incolis Gallis; Flandris, Camerick dicitur. Cameracum Antonino Vrbs ampla est, elegans, & munita, ad Scaldim, qui per medium eius labitur, posita, septem miliaribus distans Valencenis, Arcem habet pulchram & validam, à Carolo V. constructam in montis vertice, vbi S. Gaugericus Episcopus Cameracensis & Confessor, Euosio Galliarum oppido oriundus, quod nunc Euodium dicitur, basilicam ad honorem Dei, titulo & nomine S. Medardi fundarât. Vnde Canonici S. Gaugerici cum cogerentur templum suum deserere, receperunt se in parochialem Ecclesiam S. Vedasti; vbi in magnifico choro, quem extruxerunt, corpus S. Gaugerici reposuerunt; atque ita Ecclesia S. Vedasti, dicitur etiam Ecclesia S. Gaugerici. Aedificia domorum priuatarum hic elegantia, templa & Monasteria miræ structuræ. Sed maximè admiranda vetus & sumptuosa D. Virginis Basilica, quę est Ecclesia Cathedralis & Episcopalis eius loci, cuius iurisdictio & dicœcesis, latissimè & in varios tractus se extendit. Vrbs opulenta est, mercatoribus & operariis mechanicis frequens, qui diuersi generis merces, & præcipuè tenuiores lineas telas, magno numero conficiunt, quæ à loco adpellationem habent, & variis remotisque in partibus distrahuntur. Ius habet Castellaniæ, egregiamque iurisdictionem & dominium, quod peculiari nomine Cambresium dicitur, in quo pagi sunt complures, & loca non exigui momenti, inter quę Castrum est Cambresij, sex inde leucis distans, in quo, tanquam loco fatali ad grauissimas Reipub. Christianæ consultationes & induciarum, fœderum, ac pacis solenni promulgatione, iam olim celebrato, post atrox, crudele, & diuturno bellum inter potentissimos orbis principes, pax tanto tempore desiderata, coaluit. quæ Cameracensis à loco dicta est. Cameracum porro antiquissima est Episcopalis sedes, in qua ab ipso VVandalorum tempore, primus illi præfuit Episcopus Diogenes martyr omni virtutum sanctitatisque genere ornatissimus Præsul. Et anno D. XCV. eidem præerat S. Gaugericus, qui Pastorum huius sedis fuit ordine quintus. Quam eandem diuersis temporibus, vitę & doctrinę sanctitate, præcellentes admodum viri exornarunt. Inter quos Petrus de Aliaco Parisiensis quondam Gymnasij Cancellarius, inde Cameracensium Antistes, ac demùm Romanę Ecclesię Cardinalis, præceptor Ioannis Gersonis, multorum auctor operum, (inter quę Dionysius Carthusianus vehementer commendat, quę sunt de corruptione, deformatione, & multimoda atque extrema ruina Pontificum sui temporis) quæ Gesnerus in sua bibliotheca quemadmodum & Odonis Episcopi Cameracensis, latè recenset. Mortuus anno M. CCCC. XVI. Hanc vrbis historiam, cum Guicciardinus conscriberet, Cameracensis erat Episcopus. Maximilianus, illustri prosapia de Berges oriundus. Cui postea successit D. Ludouicus de Berlamont, vir omnem ordinem gradumque honoris & dignitatis meritus. Hi Episcopi, politici simul & Ecclesiastici sunt domini, titulo Duces, & Romani imperij principes.

Hæc vrbs prima fuit à Clodio Comato Francorum Rege, occupata, cùm in Galliam Belgicam transiret, anno CCCC. XLV. longo tempore post, quàm Dani illam exussissent, atque vnà sumptuosum monasterium & pulchrum templum S. Gaugerij. Restaurata autem & integritati restituta, Hannoniæ Comitatu comprænensa fuit. Postea verò Imperatores Germani ab hoc dominio separantes, ciuitatem liberam, & imperialem fecêre. Capta etiam & occupata fuit, à strenuo Flandriæ Comite Balduino Benigno, durante bello, quod ipse & Dux Lotharingię Godefridus gessêre, cum Imperatore Henrico, eius nominis tertio, cui illam postea ex inito pacto, tradidit. Tandem abs Henrico V. commissa fuit custodię & protectioni Roberti (tanquâ Principis Alostani) cognomento Hierosolymitani, Comitis Flandriæ, qui primus eius pro se suisq; protector fuit. Deinde, prælatio hæc & eminentia confirmata fuit Flandriæ Comitibus ab Imperatore Friderico, anno M. C. LXIV. Theodoro Alsato Flandriam gubernante; nihilominus Franci semper lites mouerunt, iusque prætenderunt in hanc dignitatem, qua etiam frequenter potiti, egregiè eandem defenderunt. Sicut & fecêre tempore Philippi Valesij, quo hæc ciuitas obsidione cingebatur ab Imperatore Ludouico Bauaro, & Edoardo tertio eius nominis Rege Angliæ, contra Francos confœderatis, quam tamen non potuêre viribus, quantumuis magnis, expugnare. Hæc bella, longo post tempore inter Imperatores Germanos & Francię Reges, vario successu continuata fuerunt Porro, quod memorię recentioris est: Maximilianus Austriacus, Romanorum Rex, & Ludouicus XI. in Francia regnans, cùm crudele inter sese bellum gererent. Cameracenses malè habiti à Francis, præsidia sua eiiciebant, militemque imperialem recipiebant. idem fiebat à Bouchainensibus. Quomodo & Imperator recipiebat Quercetum, aliaque loca vicina à Francis occupata, & præbebat hic Princeps, vigentibus hisce bellis, generosi sui animi & fortitudinis insigne experimentum. Et licet Cameracum esset sub protectione Flandri, neutris tamen adhærebat, suis legibus, priuilegiis, & antiquis consuetudinibus fruens, adeo, vt durantibus inter Francos & Burgundiones bellis, ne ab vno quidem molestaretur, quin potiùs, nunc ab his, modò ab illis frequentabatur, vtriusque partis summam amicitiam experiens, vsque adeo, vt hæc ciuitas fuerit sæpe is locus, in quo couentus & colloquia pacis, inter prædictos principes habita sint. Talis fuit pacificatio, anno M. D. VIII. Venetorum præiudicio; atque altera item anno M. D. XXIX. magno Florentinorum incommodo. Nam anno sequenti, Florentia à Pontifice Clemente & Carolo V. confœderatis, obsessa, fame, ad deditionem & Mediceæ familiæ receptionem cogitur. Cæterum, proximè cùm Imperatori Carolo V. de certis quibusdam Francorum transactionibus, cùm esset Landcesij, oriretur suspicio, anno M. D. XLIII. simul atq; inde recessissent, Cameracum cum exercitu ingressus est, & prætextu securam reddendi, muniendique ciuitatem contra hostem, aut potius, vt tuto statum suum illic congregaret, castrum ibi munitum extrui curauit, vt superiùs diximus; priuilegiis & immunitatibus vrbanis, per omnia saluis. Quum verò anno M. D. LIII. Henricus eius nominis primus Rex Franciæ, ad locа, Cameraco vicina, veniret, eamque vrbem sibi deuincere conaretur, re infecta, hostem declarauit, nihil vlteriùs, quod illi damno aut detrimento esse posset, aggrediens. Cæterùm, dum pleriq; anno M. D. LXXX. ex Belgis, rebus Gallicis nimium studiosi, Belgicas prouincias ad Gallos transferre conabantur. Inter hos Insius Regulus. Cameracensis vrbis ac dicœceseos præfectus, qui Cameracum Alenconij præsidiis tradidit, ciuibus & Ecclesiasticis, qui in eius verba iurare nollent, inter quos primus Episcopus, hostiliter exactis.

CAMBRAY.

Leglise de nre Dame
S. Martin
S. Croix
La maison de la ville
S. Aubert
Les Sepulchre
La Magdalaine
S. George
La Citadelle
L'eglise de S. Franchois
Les Freteres
Le porte de S. Sepulchre
Coste de France

HESDINVM.

HESDINVM, nobile in Artusia Gallo obiectum vallum ac propugnaculum, prostrato à Cæsareanis eiusdem nominis oppido, occasione belli inter potentissimos Europeos Principes excitatur. Dum enim Franciæ Rex, Franciscus, mortuo Sfortia Insubrum, siue Mediolanensium Duce, vt statum illũ occuparet, Allobroges vicinos & Taurinos, armorum strepitu inuaderet, & multa in Italia oppida & caperet, & sollicitè muniret. Tum Imperator Carolus ex Regno Neapolitano Romam properans, indèq́ue in Insubres pergens, Taurinis confestim signa intulit, Mox ex togata, in bracatam Galliam se conuertens, belgicis etiam se copiis munit, & Nassouius Picardiam flamma ferroq; perualtat, Et, quia Peronam, per aliquot multas dierum hebdomadas frustrà oppugnauit, belgicã hanc tandem expeditionem reliquit. Hinc, irritati Galli, Anno M. D. XXXVII nouis excursionibus Belgium infestabant, Nec vllus ferè transmittebatur dies, quin præsidia inimica inter se leuibus præliis certarent, Et Galli mense Aprili Hesdinum Arcem ceperunt, qua victoria insolescentes, hostium ferro flammaque depopulabantur, in quos, cum incredibili celeritate, lectissimum exercitum Florentius Burenus duceret, quòd se viribus impares recognoscebant, hostes Burenarum copiarum impetum, cedendo euitarunt. Itaque Hesdino arce, quamprimùm recepta, & Fano Pauli, ac Monstrulo oppidis secuto Innio expugnatis, Cæsarem postremo Terauanam obsederunt. Sed post aliquam obsidionis irritæ moram, mensium decem inducias pars vtraq; fecit, ea lege, vt pacatis Belgis, in Taurinis nihilominus bellum esset.

Sed & hoc tandem bellum, auctoritate & præsentia Pontificis Pauli III Niceæ (opp. est in Galliæ, Italiæque finibus ad mare) quo Imperator ex Hispania nauibus traiecerat, Rex, ex Gallia eques aduenerat, sopitum, & decennales inducias factæ. Hæ autem raptæ sunt, & turbatæ inducias ob cæsos legatos Gallorum Regis, à Vastensi quadam custodia ad Ficini ostia, & post grauissimos motus, pax certis conditionibus, apud Crepeum Valesiæ diti onis opp. coãluit.

Rursus & ista pacificatio, ineunte anno M. D. L I. turbatur, ob captum à Cæsareanis Dandalotum, Ex quo vaporario ignis continuo erupit, quo Italia & Gallia omnis vehementer flagrauit. Tum rursus, post varios fortunæ casus, Rullus Belga Picardiæ agro vastato. Nouioduno, Nella, aliisque oppidis captis. ac combustis; conuersis signis, Hesdinum oppidum itidem occupat; in victa arce, quam fulminum horrendo iactu concussam, & exagitatam, defensores Galli lucis vsuram, & sarcinarum incolumitatem depacti, continuo tradiderunt. At Vendomius post, Rullanum præsidium, alienissimo tempore, indidem extrudit.

Denique, expugnata à Cæsareanis Terrauana, inde denuo castra ad Hesdinum mouentur (quod paulo minus diurno itinere Terrauanæ distat oppidum) id primo incursu est expugnatum, sed superabat interim arx non infirma, qua clausi tenebantur præpotentes Galliæ Principes plurimi. Allobrox igitur, totius exercitus Proimp erator, vacuo oppido capto (quod ob infirmitatem prædæ relinquitur hostis, in quo camporum est domina tus) arcem, circumductis castris vrget, & cuniculis incensis, longum muri ambitum, & castris oppositi, obiecti q propugnaculi partem, vnà cum defensoribus insidentibus, dicto citius subuertit, & arcẽ ipsam expugnat, multi occisi, capti verò ex præcipua gallica nobilitate plurimi, & inter alios, cæsus Horatius Farnesius Galliarum Regis gener, & cum delecta nobilitate Gallica, Marchianus Marescallus Galliæ captus. Magna profecto fuit ista temeritas gallicana, omnium iudicio, atque inconsiderantia præceps, tot ac tales Heroës, nulla auxiliorum spe, perpusilli arci concredere, quæ, vt cuniculis non oppugnaretur, ne nimium fuerit obduratura, contra fulminis iactum: quæque haud ita pridem, propter infirmitatem, non multo dierum interuallo, bis capta, ac vicissim recepta fuerit. Sed castigatæ huius temeritatis culpam studia officiaq; Gallorum erga dominos delent, ea sunt ad seruiendum propensione animorum, omnes, & in his gratissima est nobilitas, quæ (vbi res ita & tempus postulant) vltro se Regi offert, in gratiæ & beneficij loco, petit officia, & summè contendit: vt munera consequatur militaria. Itaque, mirum nemini videatur, si cum ad defendendam Rempub. tum ad seruandum decus regni, tanta sit vbique pace ac bello, Gallicanæ nobilitatis frequentia. Eam arcem itidem Cæsariani milites, â fundamentis diruerunt, vt amœniore & aptiore loco, ad amnem Cancem, nouam, sed cognonimem, priore longe firmiorem (id, quid secuto anno præstiterunt) stationem, ad perpetuam rei memoriam, ipsi conderent, ac instaurarent. Quod quidem breui tempore, singulari artificum industria, & summis laboribus præstiterunt, excitatis primùm tumultuaria opera foueis & propugnaculis, vbi tanta, ebullientium aquarum copia grauabantur, vt molas equinas, quibus eam amouerent, diuersis locis adhibuere debuerint. Nunc foueis, ea & latitudine, & altitudine, muris etiam tam validis Hesdinum cingitur, & propugnaculis sibi mutuo correspondentibus firmatur, qui falcones, pluteos, colubros, fulmen, & grandinem plumbeam minantes sustineat, vt oppidanis timendum non sit, quòd, quamdiu, commeatus, mutuo animorum consensu, & concordia conditus, ipsis erit, facilè in hostium sint potestatem venturi. Quam ipsis confidentiam, præter munitiones arte factas, naturalis etiam loci situs, fouere potest. Nam, vna ex parte, ob palustria loca, nec militi, nec igniuomis machinis patet accessus, Altera autem parte, latissimæ foueæ aqis uinstructæ, & munitissima valla, hostibus obiicitur, vt Stationi, nomen, quàm optimè conueniat, Et Hesdin fort, meritò nuncupetur.

HESDYN FORT

HESDINVM *Oppidum et castrum inexpugnabile, bello inter Cæsarea nos et Gallos æstuante, excitatum.*

BETHVNIA.

BETHVNIA, nobile in Atrebatibus opidum, annonæ frumentareæ horreum, magnæ olim celebritatis, in Atrebatibus, siue Flandris occiduis, Dominatus, antè, quàm in Atrebatium nomen Comitatumque, vnà cum aliis, concederet: peculiari nomine Bethunienſis Aduocatia, ipſique Principes Aduocati, hoc eſt, (vt ego quidem interpretor) Futores fiduciarij & patroni Reipub. ſiue ditiunculæ ſuæ, & veluti clientelæ capita, nominabantur. Atq; adeo Caſtrum, (quod miræ antiquitatis & munitiſſimum opus, etiamnum in Vrbe Betunéa viſitur, & à regio Gubernatore inſidetur) tanquam ſtabilem ſedem tenuiſſe videntur, vt hac occaſione, adfluente nimirum incolarum multitudine, & ædificiis circumcirca adiectis, opidum ipſum (quod anno iam tum 1137. deflagras ſe tamen proditur) in eam amplitudinem excreuiſſe meritò debeat cenſeri.

Quorum certè Aduocatorum auctoritas apud ſummarios Belgicæ Principes, & præclara domi militiæque facinora, hiſtoriarum monimentis, iam ab annis plus minùs quingentis, prodita celebrantur.

Nam Robertus, Aduocatus Bethunienſis, anno 1096. Robertum II. Solymum cognomento, Flandriæ Comitem, in ſacram reciperandę Iudeæ expeditionem, legitur comitatus: & politicis eiuſdem Comitis per prouinciam inſtitutis, legumque promulgationibus frequentiſſimè interfuiſſe. Alter, cognominis, nepos fortè, An. 1164. Philippo Alſatio, in eandem Aſiam Comes, tantos geſſit ſpiritus, vt eundem Comitem, vniuerſæ Bethunianę ditionis pollicitatione inductum, ſolicitationis ergò, ſubornarit, ad nuptias, inter duos ipſius liberos, totidemque filias Almerici Hieroſol. Regis, conciliandas. quamuis id fruſtra fuerit. Deſideratus eſt hic in expeditione ſacra, pari ſati genere cum Comite Philippo ſublatus apud Ptolemaïdem. Gulielmus Bethunienſis anno 1198. Balduino Comiti, qui Conſtantinopolitani nomen poſtea geſſit, ſocius fuit belli aduerſus Gallum. Quod bellum pax Peronenſis eſt conſecuta: quà factum eſt, vt præter alia, Gorga, & quicquid Aduocatus Bethunienſis cis nouam foſſam poſſidebat, Balduino iterum adiudicarentur. Idem Gulielmus, qui le Reus, hoc eſt, Ruſus cognomine dictus eſt, cum fratre Bartholomæo, An. 1203. eundem Balduinum in orientis expeditionem eſt comitatus. Robertus Gul. Fil. bellica negotia ſub Ferdinando Luſitano Com. Fland. aduerſus Gallum egregiè adminiſtrauit: & prudentia facundiaque memorabili clarus, ad Anglum miſſus eſt pro fœdere faciundo victus è prelio Dammenſi Neoportum fugit. & id opidi ex publici Concilij decreto, cum 40. equitibus iuſſus cuſtodire, inde denuò à Comite Zantvicum Anglię præmiſſus, noui federis fuit auſpex. Quibus iniuriis iritatus Ludouicus Regis Galli F. Betuneam occupauit. & poſtmodò Mathildi, viduę Gulielmi Roberti matri, hac lege reſtituit; vt Danieli Rob. Filio, domi natus is, ad puberem ætatem reſeruaretur, patre Rob. aditu poſſeſſione deturbato, qui prelio Bouinenſi captus eſt. & Daniel Calonſibus fidem auxiliumque præſtitit. Robertus, huius, vt coniicio, F. cum fratre Gulielmo anno 1233. in Stratingos, qui populus Brementibus id temporis erat attributus, hæreticos, expeditionem cum aliis ſuſcepiſſe traduntur. Qui Gulielmus quidem eques longè probatiſſimus obiit 9. Kal. Septembreis, An. 1243. Iſabellæ, pontis Rorardi heræ, coniugi deſiderium ſui luctumque relinquens, cuius fortaſſe an Filius cognominis, ſuit is, qui ad pontem Rorardi, in Furnenſibus, victorinas, virgines ſacras, inſtituit an. 1271. Robertus autem Bethunienſis Aduocatus, ex Iſabella, Teneramundæ domina, Mathildim ſuſtulit (aliis tamen pater huius, eſt Daniel, aliis Fougardus, vel Focardus.) Guidi Dampetræ Fland. comitis vxorem. quæ paternum maternumque dominatus doti attulit, & Flandricas opes amplificauit. idque circiter an. 1245. Quo ex coniugio natus Robertus, Fland. Comes, à materno natalique opido Bethunianus dictus.

Videtur paulo poſt Betunéa in Gallorum dominationem veniſſe. Nam Regi pulchro, in Flandriam contra Guidum Dampetram aduentanti, primi omnium Bethunienſes deditionem feciſſe an. 1297. Et præter Inſulas & Duacum, Bethunia ex pacificatione anni 1316. in perpetuum Francicę ditioni addici iuſta, & bello inter Philipp. Valeſium, & Eduard. Anglum flagrante, à Flandris obſeſſa literis proditur. Cognomentum Gentilitium in aliquot claris familiis remanſit, vt Joannes Luceburgius (al. Ludouicus) Ioannem Bethunienſem, Rob. Barenſis, à Betunéa dicti, Comitis Marlij & Sueſſionum, hæredem, procomitem Meldenſem, luculentiſſimè dotatam, vxorem duxerit. quę ſobrina erat Antonij illius Bethunienſis, qui Siluanectum egregiè aduerſus Ioannam, puellam gallicanam, propugnauit, & captus in arce ſua Auchella à Comite Vindorienſi, plebeio furore eſt interfectus. Tamen inter ancipites belli victoriarumque viciſſitudines, à Flandris Comitibus in Namurcenſes cognatos dominatus hic tranſlatus, fœculo amplius, ab iiſdem variè poſſeſſus eſt, poſtquam eundem cum Sluſa, opido Fland. maritimo (quod Margaretę Malanę ceſſit Joannes Namurcæus an. 1365.) permutaſſent, donec Philippus Bonus Dux Burgundię nouo iure priſtinam poſſeſſionem reciperauit, adeò vt Carolus eius filius, patre ſuperſtite, Dominum Bethunię ſe ſcripſerit.

An verò Bethunéa vllo legitimo iure à peculiaribus Atrebatenſij Comitibus poſſeſſa ſit, mihi non conſtat. Atrebatenſi tamen corpori, non Flandrico, poſtea acceſſit, quod citrà Liſam ſita, quod flumen Flandriam ab Atrebatibus diſpeſcit. Hodie tertium inter Atrebatias Vrbeis locum obtinere videtur, hoc eſt, proximum ab Atrebato & Audomaropoli. Et partim à regio Gubernatore (qui pro tempore, hoc nimirum anno 1586. eſt amplo loco natus, D. Ioannes à Bernemicourt, Tiloij, Dovrainij, Feruini, Ruiti &c. Toparcha, vt non modò paternarum ditionum, ſed huius etiam dignitatis, hæreditatem adiiſſe videatur, & à Catholico Rege plura ornamenta, virtutis, & cum ſuorum, tum patris Franciſci in Rempub. meritorum ergò, in dies exſpectet) partim à municipali magiſtratu (cuius præſidem, & quaſi principem Senatus agit, eidem D. Gubernatori cognatione propinquus & tribulis D. Carolus à Bernemicourt, Houchieuli dominus, vir ingenio ad ſumma quæque munia maximè idoneo. & ædilem, ac quaſi Tribunum pleb. (quem vulgari nomenclatura, Præpoſitum indigitant) D. & M. Nicolaus à Rebeca, antiqua & nobili proſapia otiundus, homo doctus, & rei antiquariæ experientiſſimus) vniuerſa Reſpub. & Bethuneana ditio adminiſtratur. Mercimoniis, rei frumentariæ negotiatione, aliarumque rerum, quæ vitæ humanæ vſui ſunt, & exportari ſolent, varietate, eſt, pro re nata, florentiſſima. Quam ad rem, præter loci ſituſque commoditatem, vti quæ opulentiſſimis Atrebateſij Ciuitatibus, & vberrimis tractibus cincta proximè Flandriam ſpectet; plurimum facit nauigationis facultas, quam fluuiolus Lauula, vel la Vietta, quaſi Βίετ⊖ (interprete Friderico. Iamotio) ex multis riuulis, & ſubinde torrentibus conflatus, ad tertium ab vrbe milliare in Liſam Flandricum exonerans, Bethunienſibus præſtat. Vniuerſa ciuium multitudo duabus paroeciis, ſiue Curiis (præter præiectinos, ſuburbanorum portionem) continetur. Bartholomæana, Canonicorum Collegio aobilitata; & Vedaſtina, paucis ab hinc annis, ex ſuburbiis in opidum tranſlata.

Hic mihi minimè ſilentio prætermittenda viſa eſt ſodalitas Bethunienſium ea, quam partim ab effectu, partim ab auctore, Catitatem Eligianam nominant, qua fortaſſe nihil habet vniuerſa Europa, neque laudabilius, neque reipub. ſalutarius. Græcè non malè νεκροφόρια, ab exportandis cadaueribus, ſitiùs ſuaſor huius inſtituti fertur fuiſſe B. Eligius. Vetus ille Flandrorum Apoſtolus. Qui anno 1188. eodem temporis & horæ articulo, duobus fabris ferrariis, vni Bethuniæ, alteri Beuvriaci (inter quæ interuallum eſt paſſuum amplius mille) ſub mortem apparuiſſe; &, vt Cereum illum toto Belgio memoratiſſimum (qui etiamnum viſitur, pomplis ſupplicationum ſolennibus circumfertur, & ad ſacra accenditur, neque vlla tamen ſui parte deperit) formæ ſtimonia prædius, ſuaſor fuit, vt ciuſmodi ſodalitas, quaſi quædam ἐναρξία, φυαξία, caritatis, & Chriſtianæ in defunctos pietatis alumna, inſtitueretur. Ad cuius legitimam & politicam adminiſtrationem, quotannis 21. viri, ex honeſtiſſimo ciuium ordine deliguntur, qui communib⁹ ſuffragiis Præpoſitum, & quatuorvitos creant, quos Maiores nominant. qui ſe duces præbeant, & cæteros pro ſua auctoritate ſe ſubſequi cogant inædium penetralia; inde cadauera exportare, & ſandapila ad ſepulturam efferre, quocunq; morbi genere, etiam peſtilenti extincta, modo in ſodalitatem nomina dederint, & intra ſtatos vrbis limites mortui deprehendantur. Et annis iam ab hinc propè quadringentis vſu, & quotidiana periclitatione eſt compertum, nihil vmquam contagionis ex adfectis corporibus contraxiſſe eos, qui tam pium Chriſtianæ caritatis munus exercent. Quod quidem beneficium Bethuniani Ciues, cùm immenſa Dei clementiæ, tum aſſiduæ B. Eligij, quaſi tutelarij Diui, apud eundem, pro ſe ſuaq; ciuitate interceſſioni, meritiſſimò acceptum referunt.

BETHVNE

BETHVNAE VR
BIS ARTESIAE
GENVINA DESCRIP.

Quintinus vanden Gracht delineabat.

S. Vaast in Sabarthio
L'Annonciade
Mons de Longuesse
S. Pierre
B. Sepulcre
Terre Consulaire
S. Barthelemi
Chapelle S. Nicolas
L'hospital S. Iehan
L'hospitale S. Georges
Les sours gris
Le Chasteau
Prioratus S. Pri
Porte de Marle
La Biette fle
Moulin d'Anzin

S. AVDOMARI.

AVDOMAROPOLIS, vulgò, S. Audmer, alij corruptè legunt S. Omer, recens est in Artesia oppidum, initium ac nomen habens à S. Audomaro, natione Germano, non longè à constantia oriundo, qui Morinis Euangelicus preco fuit, non quidem primus, cum prima Christianæ fidei tyrocinia à Clemente, à Victorino, à Fusciano acceperint, quæ, siue persequutionum tyrannide, obliterata, atque deleta, siue temporum, morumque nequitia, velut situ obducta, iterum S. Audomari zelo firmata, & reparata sunt, Qui impulsu Francorum Regis Pippini & Episcopi Nouiomensis, datur Morinis Episcopus, cuius sanctitate motus Adroaldus, vir dives ac nobilis, castrum, & agrum Sithiu ipsi donauit, excitando & construendo cœnobio. Quo à Bertino, etiam Germano, ædificato, erecta est Ecclesia illa Augusta, ac elegans, nomenque S. Audomari à collapsæ religionis ac fidei restauratore, sortita est. Ad quem Bertinus Abbas, patria & ipse Constantiensis, cum Mommoleno & Bertrammo, ex Luxouiensi cœnobio, egressi sunt, ad Trinitatis fidem docendam, qui abs Audimaro suscepti, Christianæ legationis officium, continuæ placationis labore, subierunt. Quorum doctrina, populi multitudo ad vicum Sithiu, in quo Bertinus cœnobium ædificauit, collecta, vrbem construere cœpit, quæ Audomaropolis, siue S. Audomari, in memoriam tanti antistitis, est adpellata. Fuit autem Sithiu olim vicus celebris, & lutosus portus, in quo, occasione ædificati monasterij, Audomari sanum excreuit, vbi corpus B. Antistitis quieuit, ex monasterio translatum in primariam Ecclesiam, quæ Morinensi detracta, anno quinquagesimo nono erecta est in Cathedralem. Mortuus est autem S. Audomarus, circa annum Christi 695. Et tertio ab ipsius obitu anno discessit quoque è viuis S. Bertinus, fundator Abbatiæ à quo & nomen sortita est. Ecclesiam habet magnificè, & decenter constructam, & cœnobium celeberrimum. Quod magna pietate, & eruditione viris, sempet claruit, & ex quo quatuordecim alia monasteria sunt deriuata. Et tam opulenter dotatum est, vt paucæ Abbatiæ aliæ opum affluentia id superent. Præfuêre huic cœnobio semper Abbates, pietate & virtute præstantes, vti & hoc tempore summa cum laude, ibidem Abbatem agit Vedastus Grenet, succedens Gerardo, ex illustri familia d' Americourt, doctissimo, & vitæ sanctimonia, ac pietate conspicuo viro, optimoque de Repub. merito, qui in posteriore Episcopatuum institutione, per Paulum quartum Pont. Max. deleto Morino, eiusdem vrbis primus Episcopus declaratus est. In quo Episcopatu nunc præsidet Reuerendiss. Dominus Ioannes Six, prius Insulis Flandrorum pastor, dignissimus, qui id muneris obiret. Iam dictæ Abbatiæ annexus est comitatus de Arkes, qui ab antiquitate, & insigni Castro commendatur, Audomaro distans quarta milliaris parte, & dominium temporale Poperingæ celeberrimi oppiduli, non quidem muris cincti, sed valdè populosi.

Vrbs est Audomarana, minuta, habitatoribus frequens, splendidissimis ornata ædificiis, inter quæ Abbæ domicilium excellit, cuius amplissima est iurisdictio. In qua hoc tempore, Gubernatorem agit Eustachius de Croy, Comes de Rœuex. Non longè ab hac vrbe lacus est celebris, continuo fluens, qui deinde A a, vel H A, fluuio immiscetur. Habet hic lacos adiunctos plurimos fundos, vti prauas Insulas, & prata virentia arbusculis consita, qui fundi nobiles sunt, perinde, ac si aquis vtrinque insiderent: Ita, vt dicti fundi, vel insulæ, loco moueantur, si funem arbusculis alligaueris, Qui tamen fundi, non vsqueadeo exigui sunt, quin læta præbeant armentis pascua, quod vt verum, ita admiratione dignum. Sub has insulas recipiunt se pisces tempore hyemis & æstatis, vt à frigorum, & calorum iniuria sese tueantrr. Ad hunc lacum, inter alia ædificia, sita, & exstructa est, insignis, & Augusta Abbatia, vulgo Clermartes, ordinis S. Bernardi, cuius & ipse fundator creditur.

Gens Audomarana ingeniosa ac fortis, &, vt ex Oromansaci compositione Becanus deducit, robusta, generosa, ac fortis soboles, quæ, quicquid agit, ea causa agit, vt virum se præstet. Nam Oromansacos, ea tenuisse loca existimat, quæ in Flandria Comitatu S. Audomari, Guines, & Terauanam oppida incolunt. Itaque Atrebates, & Oromansaci, sicut Neruiis magnæ constantiæ, virtutisque hominibus, vicini fuêre, ita, eandem quoque disciplinam obseruarunt, quæ etiamnum gentis eiusdem & indoles.

Mirum est, quod Meyerus, de mutato, apud Audomaricolos, idiomate, tomo nono, Decadum rerum Flandricarum commemorat. Reperio, inquit, in quorundam annalibus, priscos Belgas, græcè omnes loquutos, tantisper, dum hinc Germani, inde irrumpentes Germani, omnia permiscerent, Græcumque sermonem penitus confunderent, adeo, vt Belgæ Germanicè promiscuè loqui assuescerent, præualente nihilominus Germanica vsque lingua, quam nunc quidam ex nostratibus negligere videri possun, Gallicè magis studiosi, propter vicinitatem gentis, ac rerum plurimarum commercia. Argumento sunt in Morinis Gallicis, permulta pagorum nomina, teutonico omnia illic antiquiùs percrebuisse sermone. In iis, & Fanum Audomari, celeberrimum, oppidum, olim haud dubiè merè Flandricum. deinde tamen bilingue, nunc autem in totum ferè Gallicum, ità inualescit ac promouet indies Gallica, protruditurque Rhenum versus, lingua Germanica.

Loci occasio, nos planè inuitat, vt de Iccio portu hîc mentio fiat, cuius frequens apud scriptores est commemoratio, & nos, ad S. Audomari Fanum hunc quondam fuisse, omnino existimemus. Eius Goropius Becanus in suis Aduaticis, hanc deducit, ex vocis etymologia significationem, Iccium promontorium, inquit, medium est Iccij portus, & Gessoriæ pagi nomen, vt videtur, à nauigantibus ex Oceano Hispanico, & Gallico in has angustias adeptum, eò, quod Icci, siue, vt nunc scribimus Ig si, sit, ac si latinè dicas, ego video; vel, quia videlicet diligenter Pharus illa, quem Aumanum vocant, id est antiquum monitorium, nautis esset inspicienda, vel, quia ex hoc monte, Britannia clarè cerneretur. Hæc quidem, pro suo more, Becanus, cui fortasse Paulus Aemilius non consentiret, qui lib. VII. de rebus gestis Francorum Itium, non Icium legendum, & ab itando deriuari, mallet. Sed grauis est eruditorum altercatio, quonam in loco Itius ille portus, constituendus veniat. Multi, Cales, veteribus Itium fuisse volunt, vt Caletum, quasi Calitium sonet. Alij, ad Sluſas Flandriæ, alij ad Bononiam, antiquum, & Romanis historiis notum opp. collocant. Alij, Itium Flori Fregellas asseuerare audent. Sed omnium accuratissimè Abrahamus Orttelius, rationibus euidenter conuincit, ad S. Audomari Fanum, Itium portum extitisse, qui in Theatri sui Additamento, Artesiam describens, Inter cætera, vulgò, inquit, creditur Caletum (qui hodie portus continentis terræ est Britanniæ vicinior) Iccium portum à Cæsare dici: vnde ex Belgio in Britanniam solueri. Verùm si res penitus inspiciatur, alium fuisse portum videre est. Sancti videlicet Audomari oppidum, quod olim fuisse Oceani portum, atque sinum maris latissimum, vel prælta littora, quæ ipsam ciuitatē quasi cingunt, demonstrant, aliaque innumera argumenta & antiquitatis vestigia, quæ apertè terram adiacentem salo marique subfuisse (vel nullo loquente) conuincunt, nec non constans in hodiernum diem fama declarat. Quin imo & nomen vetus ipsius ciuitatis, quod Sithieu est (nam S. Audomari recens esse, nemo est qui nesciat) id arguit. Quasi dicas, sinum, vel portum Iccium, ipsumq; portum apud Morinos fuisse, quos & Virgilius & Lucanus extremos hominum vocant. Hæc præterea ita se habere, plurimis argumentis, tam ex transitu, quàm reditu Cæsaris ex Britannia, attentus Lector, facilè deprehendet. Nec spatium triginta millium passuum aut circiter, quo ibi Insulam à continenti distare describit, quo minus id crediderim impedimento esse potest. Cùm maris æstus (maximè in tanta loci angustia) facilè aut addat aut detrahat. quamuis etiam ipsum maris spacium ibi à terra continenti ad insulam vsque, non admodum discrepet. Hæc de Iccio portu dicta sufficiant, penes alios iudicium esto.

S. OMER

S. AVDOMARI FANVM. S. Aulmer. Omer. Iccius portus Abrahamo Orttelio, Arteſij vrbs munitiſſima.

1. S. Bertyn
2. S. Margarite
3. S. Thomas
4. S. Aldegunde
5. S. Denis
6. S. Spuicker,
7. S. Jehan
8. Les Freres mineurs
9. Les Preſcheurs
10. Le grand Marche
11. La Motte
12. La Porte du Bruyl
13. La Porte S. Croix,
14. La Porte Bouleſeine
15. La Porte du hopon
16. La Porte de Liſſe
17. La Porte de l'abbaye
18. Le vieu Marche
19. La Maiſon de la ville

TORNACVM.

TORNACVM, vel Turnacum, siue, vt Becanus in suis Atuaticis, Dornacum, Antonino, Galliæ Belgicæ vrbs ad Scaldim, in Neruiis sita, incolis Gallis Tournay, Germanis Dorneck, curioso antiquitatis studio, Baganum Ptolemæi videtur. Primam Neruiorum sedem quondam fuisse, præstantissimi Cosmographi probatiq; auctores, magnis rationibus ducti, existimant, vt hinc Tornacenses, antiqua adpellatione, Neruios, passim nuncupent. Tanta antiquitate præstans, vt certa illius origo, variè à literatorum turba disputetur. Vero, eorum propinquior videtur esse sententia, qui eam à Neruiis conditam tradunt. In ea Althamerus est, in Tacitum, referens Plutarchum, in vita Cæsaris & Appianum in libro, qui Celticus inscribitur, illius opinionis auctores. Ad quam & illi accedere videntur, qui Tornacum, quasi Turrim, siue arcem Neruiorum dictam, existimant, eò quod Neruij, turrim præaltam initio illic erexerint, qua pro specula vtebantur, eamq; in quadam paruâ insula, Scaldæ fluminis, sitam fuisse, quod vrbem ipsam perfluit, eo in loco, qui antiquitus, & vsq; ad annum M. D. XIII. quo arx ab Anglis ædificari cœpta est, & eum quoque locum compræhendit, Castellum vocabatur. Illorum verò opinio, ad monumenta literarum etiam relata, à militibus Hostilij Romanorum Regis Tornacum conditam, Hostiliam nuncupatam, ob rebellionem cum fabulis affinitatem habet. Neque enim, ante Cæsaris in Galliam Belgicam aduentum, Neruiorum nomen, nedum illorum oppida Romanis nota fuêre; quo nullus ante eorũ exercitus peruenerat, quemadmodum ex ipsius Commentariis, ni hîc breuitati studendum, manifestè comprobari posset. Becanus in suis Atuaticis, & vocis notatione intelligi vult, Tornacum, non fuisse antiquissimam Neruiorum Curiam, sed primarium aliquod oppidum, ante hanc conditam, in Neruiis fuisse. Cùm enim Tornacum, inquit conderetur, videntur Aldenardij (quos antiquiores, & primos Neruios iudicat) noui oppidi viciniâ, hac ipsa voce notauisse, Dornacum vocantes. Dor na enim, tantundem sonat, ac si latinè diceres, plus æquo appropinquo, siue, ferè nimium accedo, vt hinc intelligendum veniat, primarium aliquod oppidum fuisse, cuius respectu, hæc nimia vicinia Dornaco conueniret. Eiusmodi enim comparatio, minoris est ad maius, & posteriorio ad prius, non è conuerso, si linguę proprietatem & collationis modum seruemus. Ad quam verò vrbem, quę antiquitus fuerit illustrior, Dornacum comparatũ, hanc appellationem accepisse dicemus, si non ad ipsum primarium Neruiorum caput, cui super eodem flumine, non longo interuallo imminebat? Et verâ sanè eorum fuit sententia, qui nimiam hanc viciniam esse dicebant, vti secuta ætas, luculentissimo argumẽto comprobauit regionis principatu, ex Aldenaro, Tornacum translato, vbi iam olim caput est diœceseos Neruiorum. Atque hæc quidem Philosophia Becani, quam alius post eum scriptor pari quidem deriuatione, sed diuersò instituto, imitatur. In Neruiis, Tornacus, nunc vrbs, inquit, primaria est. Sed quod sub Iulij Cæsaris aduentum nondum extitisse creditur, quia in suis commentariis eam nusquam nominet; colligi non potest, alioqui cum nulla ibidem nominet, sequeretur etiam, quod dictu absurdum tamen esset, nulla in Neruiis tunc fuisse oppidâ, quos tamen suis finibus & oppidis vti, Cæsar iusserit. Extitisse autem id temporis Tornacum, vicum saltem vel oppidum, etymologia nominis arguit, si nomina rerum, ex propria cuiusque vernaculę linguę significatione, inquirenda & æstimanda sunt. Tornacus enim, ex duabus simplicibus componitur dictionibus Germanicis, qua lingua Neruios, tum locutos esse, constat, nempe, Dorne id est, spina: & VVyc, id est, vicus: ex quibus compositum est, Doerne vvyc, sed euphonię causa & breuitatis ergò, qua in compositionibus Germani gaudent, dixêre Dornyc quasi spinæ vicus. Sanè Cæsar, vbi Neruios densissimas incoluisse syluas scribit, addit, eos spinetis ac rubis circumflexis & complexis, insimul pro muris vsos esse: sicut & hac tempestate, familia est antiquissimi nominis, quod princeps Antoniæ illis locis gerit, qui sese principem Espinoy vocat, quasi dicas, principem spinaium seu spineti, qui Tornacensium longo tempore Senescallus seu protector extitit. Atq; hæc quidem ille. Alij sunt qui scribant, à quodam Turno, Neronis iussu, conditam vel restitutam, nomen ab eo accepisse. Alij, iussu quidem Neronis conditam, sed à turri, quam Guntianus Comes substruxerat, adpellationem sortitam. Quam quidem sententiam Meierus videtur amplexus, tomo III. rerum Flandricarum. Verùm & hæc sententia multis non sine causa improbatur. Cum enim Neruij, vt testes sunt Cæsar, Tacitus, Strabo, natio sit Germaniæ, non mutuati fuerint oppidorum suorum adpellationes abs gente extranea, sed suis ea nuncuparint vocibus, puta Tornack, siue Torneck. Quamuis Flandri & Brabantini, qui à Genuino Germanorum idiomate declinarunt, non Torneck, sed Dornyck, vel Dorneck pronuntient, pro D Germanorum, T literam vsurpantes. Tornacum inter veteres, D. Hieronymus in Epistolis ad Gerontiam scribens, & Antoninus Pius, in Itinerario memorat. Sanè ex historia Ecclesiæ Tornacensis adparet, circa annum Domini CC. LXXIV. D. Piatonem, siue Piatum, postquam Carnuti sementem verbi diuini fecisset, Tornacum etiam salutifera doctrina imbuisse institutisque, religionis veræ ministris. Ecclesiam plantasse, quæ mater Ecclesiarum Flandricarum foret. Cum igitur Episcopalis sedes illic fuerit initio constituta, hinc facilè colligi potest, eo tempore non vile aliquod fuisse Neruiorum oppidum, sed vicinis omnibus celebrius. Quia nimirum antiquissimo Ecclesiæ canone cautum est, Episcopos non in Castellis, aut exiguis oppidis, vicis, villisque obscuris, aut solitariis municipiis, debere constitui, sed ad maiores populos, frequentioresque ciuitates. Neq; enim vllum aliud in vicinis locis, quæ Neruiorum fuisse videri possunt, extat, aut vnquam extitisse adparet, tantæ antiquitatis & amplitudinis oppidum, aut certè vllius oppidi vestigium, in quo, ante Cæsaris aduentum, sexcentos Neruiorum senatores habitasse, probabiliter suspicari posserimus, aut in quo, tempore Piatonis, cathedra Episcopalis, ex canone Ecclesiæ, meritò collocari potuerit, siue orientem, siue occidentẽ spectes. Esi autem, hodie ampliora quædam vicina sint oppida, ab eo tempore vel condita vel aucta, hinc satis manifestè coniici potest. Amplissima profectò & florentissima ciuitas, Tornacum semper fuit, variis mercimoniis & negotiationibus abundans, miri ingenij alẽs artifices, qui quotidie nouas mercium excogitant formas, adeo quod si quædam mercium species in desuetudinem abierint, nouis, quæ iam in vsu, & gratæ sunt, excogitatis, nunquam desit, quo plebs pauperior artificio nouo victum sibi quærat. Vnde mirandum non est, quod Tornacum tot hostiũm incursiones & rerum mutationes diuersis temporibus passa, paucis annis post singulas mutationes, pristinum decus facilè recuperauerit. Potens est, non solum ciuium opulentia, sed ipsius etiam vniuersitatis potentia, quę bona maxima, & census annuos præ cæteris Belgij ciuitatibus, possidet, at merum imperium, quod Altam iustitiam vocant, suumque magistratum habet exercetque, exclusò Regis officiario. Aedificia habet plurima multo antiquissima, ad eam formam, qua maior ædificiorum pars Coloniæ Agrippinæ conspicitur, & putantur à Romanis ad eam rationem restituta. Insignem habet Ecclesiæ Cathedralis Basilicam, in meditullio quasi sitam D. Virginĩ Mariæ sacram, quinq; præaltis turribus, formam crucis Burgundicæ referentem. Cuius chorus, præ cæteris aliarum Ecclesiarum Cathedralium, Prouinciæ Rhemen. imo totius Belgij, meritò laudatur, cum ab amplitudine, tum à summa fornicis elcuatione, & lucis claritate. Officium diuinũ nusquam ferè solemus atq; accuratius peragitur, honestissimis, ab antiquo seruatis cæremoniis. Sunt in ea tres & quadraginta Canonicatus & præbendæ, honestæ sustentationi sufficientes, præter tres præcipuas & aliquot minores dignitates. Sunt quinquaginta & plures, quos vocant, Capellani, & duodecim Canonicorũ Vicarij. Sunt Ecclesiæ Parochiales decem & septem, quarum nouem citra Schaldim, Diœcesis Tornacensis, reliquæ tres vltra Schaldin, Diœcesis sunt Cameracensis. Is enim fluuius, vtrunq; Diœcesin diuidit. Gens religioni pietatiq; Christianæ dedita, argumento sunt, tot animalium pientissimarum habitationes, conuentus & fundationes, quibus omnis ætatis, sexus, & conditionis hominibus, misericordiæ, pietatisq; officia exhibentur, virginibus, viduis, orphanis, peregrinis, emeritis Dei ministris, & quouis morborum genere adfectis. Tanti est hæc ciuitas, vt cum continentibus ædificiis, & loco iurisdictionis proprio, per se constituat vnam Prouinciam Belgij, quæ vocem semper habuit in conuentu ordinum & Prouinciarum Belgij, non minus ac Brabantia ipsa, Flandriaq; & aliæ maiores Prouinciæ. Aër illic salubris, ac subtilis. Ager circum vicinus, pratis, nemoribusq; abundans, gleba est fertili, tritico quippe ferendo, longe fœcundissimus. Non sunt illic paludes, non aquæ stagnantes, nullæ mirices aut terræ sterile. Atq; ideo, quamuis non latè se extendat illius territorium, magni tamen eam Principes viri fecêre, vt his nostris temporibus Princeps Parmensis, qui domicilium in ea sibi delegerit. Distat Atrebato Attesiorum Mtropoli XIV. Leucis, Cameraco totidem, Gandauo XII. Hannoniæ montib⁹ IX. Duaco VIII. Insula, & Cuttraco V. Tornacum in Regum Francorum potestate fuit, vsque ad annum M. D. XII. quo Henricus Octauus Angliæ Rex, post aliquot mensium obsidionem eam sui iuris fecit, qui anno M. D. XVIII. Francisco Francorum Regi, eius nominis primo, certis pactis & conditionib⁹ eandem restituit. Ac demum anno M. D. XXI. ab exercitu Caroli V. Imperatoris, vti Flandriæ Comitis imperatum facere coacta, Flandriæ rursum asserta est. Nunc, hæreditaria successione, in Philippi Regis Catholici obedientia, hoc anno, M. D. LXXXVI. versatur.

TORNACVM

1. L'abaye de S. Martin
2. S. Nicaise
3. S. Marguerite
4. S. Catherine
5. Nostre dame
6. S. Quentin
7. S. Pia
8. S. Pierr
9. S. Jacques
10. S. M. Magdelaine
11. Les seurs de hault
12. L'hospital de la planca
13. Les grises seurs
14. Les repentiers
15. L'hospital S. Jacques
16. L'abaije S. Marc.
17. Les Cordeliers
18. L'hospital n. Dame
19. Les Beguines
20. Les Augustins
21. Le Befroij
22. Maison de la Ville.

ALOSTVM.

FLANDRIA vniuersa hodie in tres præcipuas partes diuiditur. In Flandricantem seu Teutonicam, in Gallicantem, & Flandriam Imperatoriam, sic dictam, quod ea pars dudum Romano Imperio subiecta, sub eiusdem etiam tutela fuerit. Hæc autem & Aloſtensis Comitatus dicitur, ab eiusdem nominis in ea oppido, Quod amplum, elegans, munitum, oportuno situm est loco ad fluuium Teneram, vulgo, Dender, (qui in Hannonia ortus principatum Aloſtanum fere decussat, seque in Scaldim Teneramundæ exonerat) Duobus miliaribus Teneramunda, quinque Gandauo; quatuor Bruxella, & sex Mechlinea distans, mercatu floret, &, potissimùm negotiatione lupuli, flos est, ad temperaturam cereuisiæ multis cognitus, vnde Aloſti incolæ quæstum haud pœnitendum faciunt. De primis eius initiis, ita Meierus Annalium Flandricarum lib. primo. Clodoueus, inquit, Anno domini CCCCLXXXIX victo, & interfecto Siagrio Romano, Sueſſiones, & quicquid sub eorum imperio Romani esset iuris, ad Francos transtulit. Quo item anno, Gandenses, pulso Romanorum præsidio, in ius, ditionemque concessere Francorum. Legimus in Belgarum historiis, Gandauum occupatum fuisse à VVandalis, Caroli Principis ductu, circiter annum à partu virginis CCCCXI. Contraque VVandalos, Gandauum tenentes, à Gothis, in Neruiis tunc dominantibus, Aldenardum, & Aloſtum, castella fuisse extructa, locumque à VVandalis dictum Wandt. Ea namque tempestate, tanto numero Germani Rhenum transiuerunt, vt Belgicam omnem, aut submotis, aut deiectis incolis occupauerint. Qua de re D. Hieronymus ad Gerontiam scribit. Prima igitur fundatione, Castellum, Aloſtana hæc patria fuit, quæ temporis successu, in elegantem vrbem excreuit, distinctam plateis, ornatam Ecclesiis, murorum, & aquarum ambitu, multisque propugnaculis validè munitam. Est in ea collegiata Canonicorum Ecclesia D. Martino sacra, eleganti structura inchoata, quæ, cum summa D. Petri æde in Vbiorum Metropoli aliquando perficietur. Sunt, & cœnobiticæ societates ibidem, diuersi sexus variæ, vt Carmelitarum, Guilhelmitanorum, Sororum Grisearum, (quas vocant) Nigrarum, & Beginagium. Est & misericordiæ, pietatisq; officina, Xenodochium; Domus senatoria perampla, forũ spaciosum, nundinis hebdomadalibus celebre. Subditos autẽ habet C L XX pagos, dominaturq;, & extenditur hæc ditio vsque ad muros ciuitatis Gandensis, portas Aldenardi, & intra suburbia ciuitatis Teneramundæ. Continet præterea Aloſtense territorium, duos principatus: videlicet, Steenhausensem, amplo & populoso pago insignem, qui peculiaris est dominij, Et Gauerensem, ex quo comes Egmondanus Principis titulũ obtinet. Quin & ambitu suo Aloſtense territorium, aliquot Baronatus comprehendit, vt Lyehenhe, Neyghem, Sotteghem, Scorisse, & alios. Hoc autem Comitatus titulo, quo Aloſtensis ditio est ornata, salutatur Philippus Hispaniarũ Rex, ibidemq; inauguratus est, præstito solenni iuramento. Huic Comitatui coniunctũ est territoriũ VVasiæ & cõplures pagi, nec non, quatuor officia, vulgo, vier Ambachten/Quo nomine quatuor adpellantur oppida, vt sunt Hulst, quatuor miliaribus Ruppelmunda distans. Alterũ est Axele, paruum quidem, sed amœnum oppidum, miliari cum dimidio Hulsto, & quatuor Gandauo abest. Tertiũ Bouchouten, duobus miliaribꝰ ab Axele diffitum, Quemadmodum & quartũ Assenede. Ad quæ quidem quatuor officia, respectiuè nonnullæ iurisdictiones, & ditiones spectant. Et, quia vicinæ sunt mari, in iis passim sal prius crudum, nitore præstans, quemadmodum in Zelandia conficitur. Hic autem Aloſtensis status, cum quatuor officiis conquisitus fuit tempore Henrici quarti, per Balduinum Pium Flandriæ Comitem. Et, qui tractus propriè Comitatus nomine censetur, sub se habet ciuitates Teneramundam; Gerardi Montem; Et territoriũ Bornheimense, dat Landt van Bornheim. Porro, vt hæc Flandriæ portio omnium fertilissima habetur, ita & in ea Aloſtum excellentium ingeniorum semper patria, & genitrix fuit, qui, dum non domesticis tantum, sed & exteris innotuerunt, Aloſto splendori & ornamento fuêre. Hos inter Cornelius Scribonius Grapheus, non vltimam laudem meretur, (cuius perhonorificam mentionẽ Guiciardinus frequenter facit) qui apud Anuerpienses, secretariatus officio magnificè præfuit, Et in eruditorum ordine, à Philippo Galleo celte depictus, à Benedicto Ario Montano, tali carmine decoratur.

Magna tuum celebrat Corneli Antuerpia nomen,
Tradit & innumeris quos habet, hospitibus.

Te ciuem canit illa pium fidumq́, ministrum,
Scribere qui benè scis, publica qui gerere.

Verùm is, etsi vita functus, in filio tamen Alexandro Grapheo, multi ingenij, & raræ eruditionis viro, renatus videtur, qui poëta est præstans, & tam elegans scriptor, eius vt manus æmulam timere nunquã possit. Est & Aloſtensis Nicolaus Stopius, vir literatissimus, & plurimorum auctor operum. Sed & Arnoldus Mermannus, Aloſtensis, scriptor est, & historicus summus, quod illo sanè tractatu, sempiterno nominis sui elogio, palam, & probatum fecit, quem de omnium gentium conuersione edidit, In quo, velut in Theatro, aut scena proponit, quibus Apoſtolis, apoſtolicisúe viris, quibus Pontificib. Maximis, quibus Imperatoribus, seu Regibus, seu Principibus, prouinciæ quæque ac populi ad Christianam religionem, verumque dei cultum, abdicata superstitione venerint. Itaque huic operi conuenientem titulum fecit, Theatrum conuersionis gentium. Idem etiam Chronicum, atque annales promittit, quibus demonstret, quando, & quo tempore, hi, atque illi populi à Catholicaa Christi fide defecerint.

Maiorem autem in modum hæc patria, ortu Petri Aloſtani, pictoris & architecti omnium excellentissimi decoratur, cuius varia extant, summi ingenij monumenta. Vertit ex Italico in Gallicum, & Teutonicum, seu Belgicum sermonem librum de Architectura Sebastiani Serlij, eum, qui est de quinque columnarum ordinibus, & aliorum membrorum, siue ornamentorum Etrusco, Dorico, Ionico, Corinthio, Compoſito. Extant enim quinque libri Serlij de Architectura, licet septem quandoq; promiserit. Edidit insuper Petrus Aloſtanus etypa, sanè visenda, de vita & moribus Turcarum, quæ Constantinopoli obseruauit, vbi Solimano Turcarum Imperatori, ob raram artis præstantiam, adeò carus fuit, vt Alcorani sui oblitus, ab eo depingi voluerit, Qui eum, de manu sua, annulo, gemma, equis, vestibus, auro, & seruis, regia munificentia auctũ honorificè dimisit. Quæ Bruxellæ deinde, in annuas pensiones conuertit. Sed breuiter huius Aloſtani laudes commemorari non possunt, cuius ego genium & manum, quam studiosè adseruo, frequenter demiror. Dominicus Lampsonius, dum celebriores Belgas pictores carmine commendant, ita Petri Aloſtani commeminit.

Pictor eras, nec eras tantum, Petre, pictor; Aloſtum
Qui facis hac Orbi notius arte tuum:
Multa sed accesit multa ars tibi parta labore,

Cuius opus pulchras edificare domos.
Serlius hanc Italos, tu Serli deinde bilinguis
Interpres, Belgas, Francigenasq́, doces.

AELST

ALOSTVM,
VRBS FLAN-
DRIAE IMPE
RATORIAE
FIRMISSIMA.


LYRA.

LYRA, nitidissimum peramœnæ Brabantiæ, Episcopatus Anuerpaini opidum, tam loci natura, quàm arte & opere munitissimum, & maxime hisce intestinorum motuum temporibus, partim ab Hispanis, partim ab aliis, qui eius possessores fuêre, nouis molibus & propugnaculis, vallis & fossis multi magis firmatum est, vt validissimis Brabantiæ ciuitatibus nunc meritò anuumeretur. Duobus Anuerpiã, & totidem verò Mechlinea miliaribus distans, ad Netam fluuium, à puritate fluxus, ita nominatum, vt Becanus in suis Atuaticis asserit, situ tam commodo existit, vt vicinis Anuerpianis, Mechlinensibus & Bruxellensibus propitia, plurimùm commodare; offensa non minus incommodare possit, quòd nostra memoria vidimus, & in fine obiter recensebimus. Ciuitas est apprimè elegans & amœna. Adeò vt à nobilibus & mercatoribus, quos opum affluentia ita beauit, vt à negotiatione abstinere, & à curis & hominum turba remoti, pacatam vitam degere velint, ocij & quietis domicilium vt plurimùm deligatur. Inhabitatores alit naturâ ad humanitatem, ciuilitatem, & benignitatem factos, crescitque indies, & augetur accessione nouorum ædificiorum, incolarum, & facultatum, ratione vicini Anuerpiani emporij. Nomen habet (si Becano credimus) ab honore & principatu populi, eò, quòd Dornenses, prima appellatione, non Anuerpiam, sed Lyram euocentr, atq; inde tandem Anuerpiã: Ambiuaritorum enim tribunal, in quo de iis ageretur hominibus, qui Principis patrocinio, (quod feudum nunc vocamus) non essent deuincti, Lyrę fuit. Nundinæ hîc sunt celebres boarię, vnde opulentissimi sunt ciues, celebranturq; hebdomadatim à festo Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ, vsque ad S. Martini, Mense Nouembri, quo tempore tantus ibi boum mercatus, negotiatioque ac distractio tam frequens, vt fidem excedere videatur, hodieque abundat lanificio, & aliorum opificum mercibus, quin & triuialibus scholis & optima primarum artium traditione, pacis tempore, præstare semper solebas. Forum exhibet tam amplum & elegantissimorum ædificiorum nitore circundatum, vt hoc nomine, cum omnibus totius Brabantiæ ciuitatibus certare queat. Habet inter alia monasteria, celebrem Carthusianorum eremum Anuerpia, tempore Martini Rossenij huc translatam. Magnificam etiam Ecclesiam Collegiatam, quæ in historiis monasteriũ dicitur, D. Gummaro sacrum, Qui famosus & celebris Domini Confessor, gloriosa stirpe exortus est, in Renensi, aut potiùs Rienſi prouinciæ, ad Netam sita, quæ Brabantiæ territorio compræhensa, vulgari sermone dicitur, **het Landt van Ryen.** In ea natale solùm habuit **Emblehem**/ qui locus horæ spatio tantum à Lyra distat. Hic cum ad limina Apostolorum tenderet, diuina admonitione intra Netæ ambitum iubetur oratorium constructe, vbi vitam in multa sanctitate finiuit. In messe, siti deficientibus, baculo terram fodit, & erupit fons largissimæ aquæ, qui adhuc visitur in **Emblehem.** Ecclesiam Lyrensem precibus suis à Nortmannorum barbarie defendisse legitur, qui euersa Mechlinea, ad Monasterium Lyrense venerunt, & in eam ignem inieceruut, sed Gummarus è cœlo suis meritis contrà eos pugnans, ignem extinxit, Hæc Molanus Indiculo sanctorum Belgij.

Quemadmodum olim à Nortmannis, ita & hoc tempore ab iis, qui Regi in Brabantia se magnis conatibus opposuerunt, graues est Lyra calamitates perpessa, qui eam aliquanto tempore cum præsidio tenuerunt. Donec Anno 1582. Scotus quidam Lechfeldius cognomento Simplex, præfectus præsidij Lyrensis, cum æs militare sibi debitum diu fruſtra petiisset, decepto Hietfeldio vrbis Gubernatore, nouo stratagemate Lyram in potestatem Regis Hisp. tradidit. Simulans enim se ad opimam prædam cum suis proficisci, profunda nocte maximam boum, equorum, & hominum prædam adducens, portam sibi iussit aperiri, apertum est paruũ ostiolum, ille hostem insequi fingebat, & nisi maiorem reserarent, fore, vt hostis omnem prædam recipiat. Aperta itaque maiori porta, cæsis excubitoribus, eam occupat, & regios equites, qui in insidiis proximi erant, intromittit, qui forum primùm, deinde totum opidum postridie Calend. Augusti in suam redegêre potestatem.

Hæc Lyræ occupatio, Regios hostes pessimè vsit, & multis eos incommodis affecit, Cùm id opidum oportuno sit loco situm, ad commeatum omnem Anuerpiensibus, Mechlinensibus, & Bruxellensibus, hâc aduehi solitum, prohibendum.

Itaque Aldegundus Nouus Antvverpiensium Consul, vt ciuitati gratificaretur, proditionem in Lyranum opidum adornauit, 1584. Sed innotuit ea proditio opidi Præfecto, qui re dissimulata, clàm insidias circumquaque disposuit, quæ aduenientes proditores, proditores, proditorumque ministros interciperent, atque mactarent. Res non caruit euentu. Collectæ siquidem copiæ ex Mechlinensi & Herentalensi præsidio, cum alacri animo Lyram aduolarent, ex improuiso ab insidiis cincti, cæsi, fugatiq; sunt, qua in pugna filius Elberti Lemini, quem vulgò Longolium vocant, interfectus est.


LIER.
LIRA, elegans et amoenum Brabantiae Opp: adeo, vt multorum huius tractus nobilium in ocio degentium, a curis & turba, iucundissimus sit recessus.

BVSCVMDVCVM.

BVSCVMDVCVM, seu, Sylua Ducis, vulgò, Hertzogen Bosch / vna ex quatuor Brabantiæ ciuitatibus (quarum sex & viginti, vallis fossisque & muris circundatæ recensentur) præcipuis, nomen habet ab amœnissima sylua Ducum Brabantiæ, sita propè riuulum multis vtilitatibus opidanis commendatum De Ese, distat à Mosa spacio duorum milliarium, à Rauensteinio quatuor, Anvverpia autem duodecim. Ecclesiam habet primariam valdè elegantem, D. Ioanni sacram, quæ nostris temporibus in Cathedralem est euecta, anno nimirum millesimo, quingentesimo, quinquagesimo nono sub Paulo quarto Pontifice, qui pio Philippi Regis desiderio satisfaciens, Galliæ Belgiæ diœceses commodius diuisit, & in ea tres Archiepiscopatus, siue Metropoles erexit, Mechlineam, Cameracum, Vltraiectum, & tredecim cathedrales sedes, quam trium Metropolitanarũ suffraganeas esse voluit. Mechlineensis autem noua Metropolitana nouis episcopatibus præesset Anvverpiensi, Gandauensi, Brugensi, Iprensi, Ruremundensi, & de qua nunc agimus Buscoducensi. Vbrs ipsa validè munita, non tantum murorũ, aquarum, & fossarum ambitu, vallis, propugnaculis & mœniis, sed mutuo etiam animorum, & eiusdem auitæ catholicæ religionis consensu, firmissima est. Quare inter magnas, pulchras, fortes, populosas & opulentas Brabantiæ ciuitates numeratur, quæ quatuor haud contemnenda membra sub iurisdictione sua continet, Campiniam videlicet, Peelandiam, Maselandiam, siue Mosæ tractum, & Osteruicum, sub quo membro postremo continentur opida Helmontium, Endchouia, Mega, Rauensteeniũ & Grauia, cum multis frequenter habitatis pagis. Sed Helmontium & Endehouia anno millesimo quingentesimo octuagesimo septimo Mense Iulio, ab Hollachij & Schenckij militibus vulcani furoribus miserè sunt deformata. Buscoducenses porrò, ingenio sunt comi, blando, ciuili ad commercia, negotiationes & opificia idoneo, Teleficio sanè præstant, ita vt hìc annuè tantum conficiatur tela, quantum ducentis coronatorum millibus vendi possit. Ad quod quidem opificij genus, aquæ vicinæ multum conducunt, quibus secreto quodam naturæ beneficio proprium est, vt magis albefaciant, quam vbiuis vllæ aquæ aliæ. Commendatur etiam singularis hic cultrariorum industria, fiuntque acus & aciculæ tanta præstantia & multitudine, vt per vniuersum orbem exportentur. Et licet syluæ Ducicolæ ciuiles satis & negotiationi dediti, eoq; sint genio cuius Brabanti in vniuersum omnes, de quibus ob innatam gentis hilaritatem vulgò dicitur. Quo natu grandior hoc stultior; tamen plus antiquæ & Belgicæ fortitudinis retinuerunt. Hi enim sunt, qui toties negotium facescebant Iulio Cæsari, priusquam in officio retineri possent, qui postquam in deditionem eius venerant, ac armis iam omnibus exuti & spoliati viderentur, tantam sibi armorum ac lancearum copiam clàm reseruauerant, vt vel fossas ciuitatis iis implere potuissent. Hi sunt quorum arma non semel sensère Geldri. Hi sunt, quos Belgicis turbis Regiæ maiestatis rebelles, irrito conatu, sæpè tentarunt. Ex multis, vnicum stratagema, ad perpetuum Buscumducentium laudem commemorare libet. Anno à natiuitatate Domini M. D. Lxxxv mensis Ianuarij die decima nona, Philippus Comes de Hohenlo, apud eas statuum partes, quæ sibi ipsis Bruxellæ Geusiorum nuncupationem indiderant, primæ notæ potestatisque, cum lectissimis copiis, iisque perquàm occultè adductis, peditatus quidem vltra tria millia, equitatus verò ad sex, aut septem turmas, latebat in insidiis (vrbis Busciducis ergò capiendæ, extra portam Vuchtensem, quæ spectat versus Anvverpiam, atque per obscuritatem noctis astutissimè completæ erant viris aggrediendo stratagemati aptissimis binæ ædiculę, in quibus diurnæ excubiæ habentur in ipso vestibulo ante portam prędictam. Quę cum de more aperiretur circa horam octauam matutinam, vtque pons versatilis erat demissus, improuiso prosilit hostis, paratissimusque in attonitos ac impares opidanos impressionem facit: nonnullos opprimit: alij fuga sibi consulunt. nec non operam cuiusdam proditoris excubitori ac custodi cataractæ trabiumque pendularum ibidem (qui præter suum præscriptum iusiurandumque sibi suoque muneri peius cauere aliquo illinc tempore occœperat, isq; fons mali potissimum) interceptum prohibitumq; est officium demissionis. Pars hostium supra portam ilicò contendit: custos vetulus duris modis accipitur: fortè fortuna parsum suæ vitę: abstruditurq; in opacam quandam turriculam. Tum signo percepto vniuersa manus hostium conuolat versus vrbem: omni impetu irruit, in prima acie sunt quam plurimi tum scutati, tum maiores scloppetarij: propulsisque retrorsum primis hic illic velitatoribus amplas tandem vrbis regiones occupat; à porta quippe prædicta ipsam plateam regiam vsque vicum Postellensem, tum mœnia cum vallo ciuitatis ab vno latere ad plagam orientalem, vsque locum conterminum Cœnobio Cruciferorum: ac ab altero ad occidentalem, omne spatium mœniorum vallique (vna cum vico Hervverensi) vsque portam D. Ioannis, iamque insultant aduersarij altis dirisq; minis, nemini parcendum, non sexui, non ætati vlli. Interea conclamatum ad arma, ardescitque tumultus tota vrbe: vnusquisque procurrit certatim hosti obuiam ad pugnam, tumultuariam illam quidem, prout tam repentina necessitas postulabat, sed magnis confidentibusque animis factisque ciuium insignem. Dimicatur confligiturque diutissimè acerrimèq; tribus diuersis locis, consertissimè autem omnium ad pontem molendinarum. Hinc porro labascit audacia hostium: partim quoque fugam decessionemque quærunt, arripiuntque, inciditque semper non infelix casus, quod ille custos cataractæ, percipiens fortè descendisse istinc milites, & custodiam ibi desertam (ex qua causa norunt ipsi) animoque aliquatenus auctior (vti ipsemet refert) quod subsentiisset quoq; aduersarios in parte fugam capessere, erepit proditque versutè, ostium loci subito occludit, ac demittit cataractam ipsasque trabes, præter vnam: minus attendens ad rem præ reliquiis sui terroris. Nescìis omnino huius rei ciuibus decertantibus, qui tandem, impatientes iniquitatis tam lubricę sortis atque adeò morę tam longę, omnibus locis, vno eodemque tempore animosissimâ incursionem irruptionem in hostes experiuntur, ac faciunt: potiunturque optata victoria. Peringens numerus ipsorum hostium euasit desiliendo è muris per loca vadosa fossarum ciuitatis: pars per aperturam sibi recuperatam perfringendo demissam cataractam: pars per tempestiuiorem sui subductionem recessumque, è quibus fuit & ipse Hohenlous, summatesque alij nonnulli. Quandoquidem totius exercitus, ac præsertim copiarum pedestrium pars longe maxima potissimaque sese introdederat: ac quidem tanta, quantam capacitas locorum quousque progressum fuerat, commodè ferre potuit. Comperta sunt numeratò inimicorum (eorumque non paucorum præcipui nominis, auctoritatis ac officij) cadauera paulo minus trecenta: de quibus pars circiter tertia submersorum. Recesserunt cæteri, accepta tam insigni & repulsa & clade, plurimum inermes, & sicuti fama certò renunciauit cum numerosa multitudine sauciata, moribunda ac mortua. Funera ciuium fermè quinquaginta: numerus reliquorum sauciorum ad illum quasi sesquialter. Trium fere horarum difficultate omnem reuolutionem aleæ perardui huius certaminis contigit demum diffiniri.

's HERTOGENBOSCH

HADRIANVS BARLANDVS
BVSCVM DVCIS *Brabantiæ Opp. ſudo liiterario et pugnaci populo nobile. Horum arma ſuperioribus annis haud ſemel Gelrij ſenſere, cum qua gente uario certatum eſt euentu noſtris hominib. In hac vrbe templum eſt Deiparæ ſacrum, opus viſendo apparatu.*

ROTERODAMVM.

ROTERODAMVM, Erasmi natalibus nobilitata, ciuitas est in Hollandia Septemtrionali, quæ olim Frisia occidentalis dicta est. Eam à Rathero, qui Francorum Regum ordine XXIII fuit, circa annum Christi, LXIX esse conditam, ex Trithemio, vt videtur, in Chronologia sua adnotauit Ioannes Funckius. Vernacula lingua dicitur **Roterdam**/ cuiusmodi frequentes sunt vrbes in ea prouincia, quæ desinunt in dam, velut Amsterdam, Sparendam, Munckedam, Eedam, Schedam, & plures aliæ, quæ omnes ad fluminis alicuius obiectum conditæ apparent: Dam enim Hollandica lingua, propriè molem significat, quæ flumini obijcitur, ne prorsum fluat. Sunt, qui Dam interpretentur aggerem, sed multorum opinione ineptè, vt enim verba diuersa sunt, Dycken & Dammen, Ita diuersa sunt, agger & moles, quæ his respondent. Agger enim propriè maris est, &, cum transfertur ad flumina, eorum latera tuetur, vt intra alueum suum coërceantur. Dam verò vt ad marenihil pertinet, ita etiam fluminum non latera, sed frontem duntaxat sustinet. Interdum etiã flumini in transuersum inijcitur, sic vt ipsum flumen heret. Ideoque huiusmodi plerequæ ciuitates vel portum habeant, vel traiectum, vel etiam vtrumque. Nomen obtinent potissimum vel ex conditore molis, vt Munckedam, Monachorum moles, & Roterdam, Ratheri moles, vel ex fluuio ipso cui moles est imposita, vt Amsterdam, moles obiecta fluuio Amstellæ, & Sparendam, Moles obiecta fluuio Spareno, & Eedam, moles obiecta fluuio Ee, quem Iam nominat VVilhelmus Hermannus Olandus in opere de bello Geldrorum & Hollandorum. Eodem nomine etiam in Frisia celebris fossa est, qua Leouardia nauigatur Doccomium, quæ vulgò ibi dicitur **die Ee**/ hoc est Ia. Huius ciuitatis occasione, deprehenditur error Becani, in reuocandis exterarum gentium vocabulis ad Etymologias linguæ Cimbricæ, seu Brabanticæ. Est, inquit in sua Hermantena Etham, nomen solitudinis, ad quam venerunt filij Israël profecti de Socot, eademque dicitur & Sur Exodi 13. Num. 33. Et interpretatur fortitudo eorum, aut vomer, vel aduentus eorum, siue figura eorum. Hîc vide, quomodo ludat Becanus, Nominis Etham Etymologiam eandem esse asserit, quæ est nominis Edam. Edam enim hactenus, inquit, in Hollandia opidum est, de præstantissimis caseis satis nobile, quod dico, vt quiuis intelligat, vocem nobis hactenùs in vsu esse, non alio variatam, quàm quòd tenuis litera apud Hebræos pro media ponatur, quod ideo minus mirum est, quod contra, ac ratio postulabat, Tau perpetuò proferant aspiratum. Hæc ille: Quis igitur iam non credat Etham eiusdem etymologiæ esse cum Eedam? cum tam exili tantum discrimine discrepent? Et quis proinde veram significationẽ nominis Etham, non ab Hollandis requirat potius, apud quos hactenus, tot scilicet sæculis, vox hæc incorrupta in vsu est, quàm ab Hebræis, qui tametsi modicè, pro suo tamen more, eam variarunt? Hoc igitur fundamento iacto, infert Becanus ex etymologia nominis Eedam, quid Etham verè significet: Est autem Dam, inquit, agger fluctibus obiectus. Ee verò legitimum, fidum, & iureiurando, summo omnium firmamento stabilitum significat. Ita, vt Eedam nihil aliud sit, quàm agger perpetuus nullo modo à quoquam violandus aut rumpendus, quippe, qui sit ab ipso terrarum creatore constitutus, æterno ipsius iureiurando fundatus. Hæc hactenus in suis Etymologijs Becanus.

Est autem Roterodamum opidum, cùm opinione hominum vetus tum satis, tum splendidum & copiosum, Mosæ flumini propinquum, Schidamo vnico miliari, Gouda verò tribus distat, lanificio & panni textura celebre, habens & iustum populi numerum, & scitè admodum constructas ædes, quarum, quæ D. Laurentio sacra, facilè princeps, & splendida est, & sumptuosa. Ciues opulenti, marina nauigatione celebrem halecum piscationem, & exteram mercaturam exercent, ab annis plurimis hæreseos nouitati fauentes, modò Caluinianæ perfidiæ vnà cùm cæteris inuoluti. Conflagratione perierat ciuitas pro magna parte anno 1563. sed mox erectis longè pulchrioribus quàm ante ædificiis, pontem lapideum miræ magnitudinis simul constituxerunt. In cuius eminẽtiori parte, suum Erasmum lapidea statua, in perpetuum monumentum donarant: quàm Hesperici in exordio Batauici tumultus, qui in Belgicam perduellionem hucusq; durantem excreuit, religionis ergò demoliti sunt anno 1572.

Hæc partim ex Hermatena Goropij Becani, partim ex illustrium Germaniæ scriptorum catalogo Cornelij Callidij Chrysopolitani excerpsimus.

ROTTERDAM.

ROTERODAMVM, Hollandiae in ostio Roteri flu. Opp. Magni illius Desiderij Erasmi Patria.

GOVDA.

GOVDA, sexta in statibus Hollandiæ ciuitas, vrbs celebris, & secundum nominis sui etymologiam verè aurea, siue situm & amœnitatem Batuai agri, in qua ædificata est, siue multiplicem aquarum commoditatem, qua irrigua passim est, spectes: Vnde Chrysopolim auctor quidam non inelegans, patriam hanc suam nuncupat. Hæc circa annum salutis. M. CC. LXXII. sub Florentio VVilhelmi Rom. Regis filio, Comite, à quo ciuibus primùm priuilegiis donata, condita ad Isalæ fluminis ripam, situ, quàm periucundo excellit, idque hac, vti constat, occasione, olim quippe, Rhenus alio ostio fluminum matri se coniunxit. Nam ad armamentarium Rom. C. Caligulæ speculum, postea arcem Britonum dictam, in maritimo littore, pago Catthorum, vulgò Catthvvick, ea parte qua Rhenus, modico, vt Plinius loquitur, Aluio; in mare se effundebat, cui proximus antiquo Rheno impositis pagis, Rheinsburg, id est, Burgum Rheni arx, certo indicio flumen huc olim Oceanum petere solere, dubio procul est. Porro meatum hunc inter medium inter duo Rheni ostia. Helinum scilicet & Fleum, qui ab opido Rheno, prope Dorestadio à tergo Batauiam, vsque in Oceanum perpetuo decursu alluebat, hoc modo obstructum esse, (vt ait Cornelius Aurelius, Erasmi Rotterodami quondam præceptor in suo de Batauia libro primo) haud semel ex vetustissimis Traiectinorum choronicis legimus: tempore enim Hungeri (qui vndecimus à B. VVillebrordo præsidebat Episcopus) cum Dani iuxta S. Friderici prophetiam Traiectū, totamq; Hollandiam hostiliter deuastassent, visæ sunt in cœlo stellæ, inter se concurrere, fulgura Iouisque tela, acrius stridere: flumina supra modum augeri & crescere, quod vtique non tantum ad præsens damna inferre, verum etiam & aliqua significare futura B. Isidoris testatur. Quid multis? tanta Circio diuscule flante, facta est in Cathvvico, versus Leidas maris inundatio, vt ad Traiecti mœnia pisces marini caperentur. Sursum quoque Rhenus tum grandi pridem niue peractus, veterem secū tordanis adducens tragediam, conuersus est retrorsum, qui dum (concertantibus inuicem aquis ventorum violentia) in mare decessum non haberet, omnes propè egressus ripas, inuadit continentem, mox pecora inuoluens & homines, tristem vbique sui excursus relinquebat imaginem: ita vt etiam ipsa sit Ambiorum Batua, Deucalionis sæcula lugeret innouata. Tum arbores sylvæque propter marini gurgitis salsedinem arefactæ, tandem effractis viribus, ventorum turbine sunt disiectæ, quas ad hanc quoque diem vidimus; apud veteres aquas, alibique è terræ visceribus erui, & in cuniis incisas, sarciendis domorum tectis regulatis coaptari. Hoc igitur mali afflicti, & animo consternati omnes, qui circum circa morabantur Bataui, scilicet & Traiectini, Bataui quoque Hollandi sibi, posterisque suis de maiori periculo prouisuri, deliberato diu censuere decreto, vt ab vrbe Dorestado, ab vtraque ripa modici amnis, à Rheno deorsum Viennam versus stillantes, (Lecam dicunt) aggeres communi vtilitate elaboratum est, & efficaciter absolutum. Hactenus ille, Hinc duo flumina celebria Leca scilicet & Isala, qui se diuersis meatibus in Mosam exonerant, enata sunt, itaq; cum non pateret deinceps libera nauigatio, & exitus per intermedium, antiqui Rheni ostium (quod deinceps voluentibus annis obstructum fuit per maris æstum) ad mare per alueos & fossas flumina circumducta sunt, atque eo loci, vbi nunc Gouda, fossa incurvata & flexuosa, quæ etiamnum Gouda appellatur, & opido nomen dedit, à Rheno Leidensi, ad vitandum mare, & remotiora loca deducta est; Obiecto tamē repagulo, quod vulgo Sluisum vocant, ne fluxu Isalæ campi inundarentur. Hac occasione, tuta nauium statio, eo loci orta, vbi telonium Comitis, & ad telonij defensionem arx habebatur, habitatores & diuersoria aliquot excitata in aggere, & noua coacta societas, tanta demùm incrementa sumpsit, vt palustrium locorum agrestes perteli, qui variis locis sparsim habitabant, ad aggerem situ tutiorem & magis commodum conuenerint, & Ecclesiam suam parochialem, quam in palustribus propinquam ligneam habebant, eo transtulerint. Extat eiusdem Ecclesiæ veteris monumentū, quod hodie antiquum cœmiterium appellant. Ad quod pridie ascensionis domini, in diebus Rogationum solennis processio, de more, celebrari solet. Quæ quidem consociata agrestium Batauorum multitudo, loci oportunitate, vsque adeò, breui tempore excreuit, vt iustam opidi formam, fossā, ac mœnia locus ipse desideraret, quæ sub Florentio Comite prædicto primùm sunt ædificari cœpta. Deinde verò Blessenses Comites, ex Hannoniensium Comitum stirpe nati (quorum ditionis postmodum Gouda est facta, per hæreditatis diuisionem, cœptam per Ioannem Hannoniensem Comitem, eiusque fratrem Blessensem, qui Florentio filio Ioannis, masculo hærede deficiente successit) cum animaduerterent propter opidanorum frequentiam ac quotidianas accessiones, plurimum augeri Goudæ pomeria, latiori spatio circumscripserunt, ea nimirum amplitudine, qua se modo visendam exhibet. Cæterum propter frequentes fluminis Isalæ inundationes, solutis subinde aquarum vi aggeribus, quæ vastissimo alueo, Rheni fluenta excipiebat, fluminis superior decursus, non procul à Vienna, loco, qui hodie appellatur nouus Obex, vulgò DEX vt à Gouda, vsque ad fluminis superius ostium, circa veteres aquas, Montfortium & Iselstadium latissimi campi modo conspiciantur, iniecta per inferius ostium maris æstu, paulatim gleba, vbi vastissimus olim alueus fuit, ibi nunc sata & armenta conspiciantur, exiguo relicto fluminis alueo. Hæc autem ciuitas medium quasi locum inter Batauorum munitiones obtinet, celeberrimis vndique, & Florentissimis stipata vribibus. Nam vno quodam modo intuitu, Veteres aquas, Bellum portum Sconhouiam, VVoudam, Roterodamum, Delfos, Leidam (quam Lugodunum Batauorum Ptolemæum dicere existimant) facile intuetur. Pinguissimis vndique, amœnissimisque cingitur pascuis, fossatis vndique distinctis aquis; feras pecori noxias ager non alit, nocte dieque vaccas lactè distentas, sine vllo grauioris incommodi metu, pasci in circuitu videt. Quarum admirabili fœcunditate, omnis frumentorum penuria, vt et per vniuersam Batauiam, vberrimè compensatur. Quanquam et hic velut in omnibus Hollandiæ Vrbibus frumenta non desint, ostromarina nauigatione id commodi supeditante, Quemadmodum nec Linum Goudanus ager producit, et tamen præstantissima tela linea abundat. Prout etiam olim, cum Anglia non pannum, sed Lanam mitteret, pannos quoq; Lanceos, sicuti et in omnibus Hollandiæ Primarijs ciuitatibus concinnabat, & Germanis ac Hispanis subministrabat. Coreum quoque Hircinum in vsum vestium præparabat, priusquam Colonienses illam artem à Batauis didicissent. Aedificia habet tam priuata quàm publicà præcellenti apparatu constructa, Perauguſtam in primis, et magnificam Ecclesiam, quæ vnica in vrbe Parochialis est, et media quasi vrbe tam ampla conspicitur, vt similem, (vnica Harlemensi excepta) non alibi exhibeat Hollandia. Magnitudine enim Metropolitanam Colonienſem Ecclesiam, aliquot pedum mensura excedit, cunctis olim ante conflagrationem, propter amplitudinem et ornatum admirationi erat, habebat altariæ quinquaginta duo, Campanariam habet turrim altitudine et pulchritudine præclaram, in qua campanarum harmonia pro temporum festorumque mutatione, varia modulatione editur. Hanc autem tam conspicuam et amplam Ecclesiam, iam secundum rabidus deformauit Vulcanus, Anno nimirum 1438, incendio, quod Opido cum Ecclesia erat commune. Et anno salutis 1552, fulmine tacta, sola perijt, locis circumquaque vicinis planè illesis. Post hoc autem postremum incendium, solis Opidanorum impensis, & oblatione annua, quæ dedicationis die, (dominica post decollationis S. Iohannis) penditur, pristino nitori & magnitudini restituta, intus elegantissimis, præstantissimisque fenestris vitreis depictis excellens, quales vix alibi conspiciuntur similes, quas quidem fenestras Opidani, funesta etiam ætate, quæ in picturas & statuas immaniter sæuit, annua restauratione conseruant. In foro triangulari Ecclesiæ Parochiali vicino, admodum amplo, vbi ter annuatim celebres habentur nundinæ, insularis & ciuica domus est, quadrato ad normam secto lapide elegantèr constructa, cui amplus in circumferētia locus relinquitur: habetque hæc prætoria sua, sic Iuridicendo & senatus consultis habendis, distincta ornata triclinia, vt pulchriori ordine constituì non possent. Sub ipsa ciuica domo (ascenditur enim ad eam per gradus lapideos, eleganti circumferentia ornatos, vbi edicta & plebiscita publicantur, in posteriori parte macellum est publicum, elegantissimis fornicibus ornatum, in anteriori Armamentarium. Inde concamerata planicies strata, quæ lapideis columnis sustentatur, prætoriæ annexa, in qua spectante plebe, supplicia de condemnatis sumuntur. Habuit præterea hæc vrbs ante motus hosce publicos & Caluinisticam rabiem, monasteria virorum quatuor, Et sex, Virginum, Xenodochium nunc etiam habet vnum amplissimum, Hospitalia quatuor, & alias pietatis officinas; in quibus viris & feminis ætate & senio confectis, pueris etiam exposititiis, charitatis & misericordiæ opera præstantur; Item, oratoria elegantia sex, Et Leprosorium cum Ecclesia extra mœnia. Hæc autem monasteria & oratoria, auorum pietate excitata & fundata, nunc partim solo adequata, partim direpta in priuatos vsus conuersa, ruinosa sunt & deserta, Caluinistica furia, Quemadmodum & arx Principis, quæ ad Isalæ ripam probe munita fuit, vnica tātum turri relicta, in qua Comitum Hollandiæ priuilegia conseruantur, quæ certo delectu singulis annis à deputato per Magistratum commissario, assignato in hoc annuo sexentorum florenorum stipendio, discutiuntur & reuidentur, ne situ intereant. Habebat præterea Gouda catechisticas scholas, in quibus vtriusque sexus iuuentus ad pietatem gratis erudiebatur, Sed & istæ pietatis officinæ, simul cum omni pietate per Caluinisticam rabiem sunt euersæ. Tanta insuper cæteris salubritate Goudani fruuntur, vt rarò pestis grauentur contagio, cui quidem rei, aquæ perpetuo fluxu, atque refluxu remeantes, non mediocriter conducunt. Fluuiis etiam duobus decorantur, Isula nimirum, & eo, qui vrbi cognominus est Gouda. Quorum alter lunæ motibus, & Oceani æstu agitatur; Alter, vbi mœnia primum latis & peramplis fossis muniuit, ad mare vsque, placidissimo tractu expatiatur, ac variam negociatoribus commoditatem præbet. Magno etiam ciuium quæstu, cereusia Goudæ conficitur, qua Hollandicum solum neque colore, neque sapore alibi præstantiorem propinat. Ad bellorum denique violentiam propulsandam, & obsidionem auertendam, situ & opere Gouda commendatur. cùm maioribus machinis nullus ad eam detur accessus, nisi temporibus hybernis, & ne tum quidem sine magno periculo, in duobus tantum aggeribus, quibus munitissima singulis propugnacula iam dudum obiiciuntur, Quin & cataractarum solutione, viginti quatuor horarum tempore, vicinos agros latos inundare potest. Quo accedit, quod foueis maximæ & profunditatis & latitudinis cingatur, quæ ab expugnationis metu eam liberant. In his autem foueis, iustæ magnitudinis glebæ ex imo ascendere, atque in superficie natare videntur; De quarum conditione, plura in indice.

GOVDA, elegantiß. Hollandiæ Opp. ad Issalam amnem, vbi Goudam flu. à quo Oppidum nomen habet, absorbet. 1585.

1. S. Jans Prochie.
2. Casteel afgebroken.
3. Die Craene.
4. Die Sluys.
5. t'Verlaet.
6. Tolhuys.
7. Die nieuwe Sluys buyten der Stadt.
8. t'Rabat.
9. Noot Gods Capelle afgebroken.
10. Ons lieue Vrouwen Cap. afgebroc.
11. S. Barbel Capelle.
12. S. Jacobs Capelle.
13. S. Remigius Capelle afgebroken.
14. Ierusalems Capelle.
15. Minre Broeders Cloester, afgeb.
16. Reguliers Cloester afgebroken
17. S. Margriten Cloester afgebroken.
18. Die arme Fratres.
19. Celle broeders Cloester Nu het School
20. S. Caterine Cloester.
21. Agneten Cloester.
22. S. Mā Magdalenen Cloester.
23. S. Clara Cloest.
24. Nonnen opt Goude. Nu Leprosen.
25. Collatie Broeders. Nu H. Gheest.
26. Doel Portken
27. S Catharinen Gasthuys.
28. S. Lysbetten Gasthuys.
29. Onser Vrouwen Gasthuys.
30. De Oude Mannen.
31. Het Verlaetken naer t'Veen.
32. Den Hanenpraey oft de ouerdracht van Turf.
33. De Vischmarckt.
34. De Turfmarckt.

Die yssel


MICHAEL AB ISSELT HENRICO VVESTRENENSI
COGNATO SVO CHARISSIMO S. P.

TRADITA est nuper mihi, cognate chariß. à D. Gerardo Stempelio Goudano Oppidi noſtri Amorfordienſis Mathematica delineatio, nuda tamen & abſq; vllis ædificijs (quamuis ingeniosè) confecta. Petijt autem is qui tradidit, vt adificia tam priuata, quàm publica adijci curarem, breuemq; deſcriptionem adijcerem. Enpræſtiti vtrunq;; hoc opera Reuerendi atque eruditi viri D. Iacobi Hezij, in patriæ ſuæ antiquitatibus ſtudioſiſimi; illud Gisberti Cloetingij optimi ciuis ope adiutus. Quicquid id eſt VVeſtrene tuo nomini (cui omnia mea debeo) lubens nuncupaui. Boni itaq; hoc conſule, & me, vt ſoles, ama.

AMORFORTIA.

AMORFORTIA nomen à ciuium amore forti vel vnanimitate ſortita, Diœceſeos Vltraiectenſis vrbs inclyta, quo tempore & à quibus condita ſit, Chronica non meminerunt, antiquam tamen eſſe vel ex eo conſtat, quod illius circa annum Domini 1006. ſub Henrico II. Imperatore, & Ausfrido Comite Tryſterbandorum Domino de Haltena 18. Vltraiectenſium Epiſcopo in Annalibus fiat mentio. Paruum initio oppidulum fuiſſe, ex antiquis mœnibus & foſſis liquet, poſteà verò rebus florentibus noua ciuitate veteri circundata, vehementer eſt amplificatum. Ferax ſolum & commodum, amœnumque ſitum habet. Nam ab Ortu & Meridie, agros, omni frumenti genere fertiliſſimos, ab Occaſu montes, ericetum, ſyluas cœduas, ac ſaltus habet; A Septentrione verò vberrima paſcua, quæ à maris Oceani brachio, vno ab vrbe miliari alluuntur. Ex hoc mari per Amiſium fluuium nauigabilem omnigenæ merces in vrbem importantur. Vrbs ipſa firmo ſatis murorum ambitu, duplici foſſa & vallo intermedio cingitur, arte tamen potius, quàm natura munita: Ciues aut ſuo cenſu viuunt, aut agri culturam, lanificium & mercaturam exercẽt: Ius municipale quod vulgò *Stadts Recht* appellatur, Henricus Epiſcopus Vltraiectenſ. anno 1259. conceſſit; Guilielmus poſtea Epiſcopus anno 1298. inſtituit, vt idem ius vſurparent AMORFORTII, quale erat Vltraiectinis. Nundinas habet toto Belgio celebres, quarum duas Guido Epiſcopus illis anno 1331. donauit. Laudantur AMORFORTII in Hiſtoriis à temperantia, prudentia, religione, fidelitate erga ſuos Principes, fortitudine bellica, liberalitate in pauperes, & erga exules, cæteroſque exteros hoſpitalitate. Et meritò: Omnis enim luxus tam in conuiuiis, quàm in veſtibus, ſupellectilibuſque, apud AMORFORTIOS eſt exoſus; didicerunt ab auis ſuis honeſtè ac parcè epulari, ac veſtiri: Quanta verò ſub ipſa ſimplicitate rerum agendarum lateat prudentia, cùm aliis temporibus, tum maximè in Gueſiacis tumultibus claruit. Pietas & religio, hic ſempet maximo in pretio fuit, fidemq; quam ſemel à D. VVillebrordo, Boniſacio, Frederico, aliiſq; huius Diœceſeos Apoſtolis acceperunt incolæ, hanc vſq; in præſentem diem ſertam tectam conſeruarunt, & adhuc clam ſub metu Tyrannidis conſeruant. Auxit, promouitque plurimum in hac ciuitate religionem M. Gerardus de Groot, qui circa annum 1379. ſub Vrbano VI. Papa Dauentriæ, Suollis, Campis, AMORFORTIAE, Amſtelrodami, & in vicinis circumquaq; locis concionabatur, & cœnobia multa erigebat. Huius & Succeſſoris eius Florentij Radevvyn opera circa idem tempus tria Monaſteria, in hac ciuitate ſunt ædificata, quibus ſubſequentibus temporibus & alia tria addita ſunt. Eſt & in vrbis Eccleſia primaria D. Georgio ſacra, Collegium Canonicorum, ab Epiſcopo Ioanne Dieſtenſi anno 1337. fundatum. Sacellum quoq; D. Virginis in omnibus vicinis regionibus notiſſimum, quod noſtris adhuc temporibus, ab innumeris peregrinis frequentatur, ob maxima quæ Deus ibidem per ſtatuam B. Mariæ, anno 1444. (vt ſcribit Ioannes Gallus Mommandienſis) in aqua inuentã, quotidie miracula operatur. Fidelitatem erga ſuos Principes AMORFORTII diuerſis temporibus & caſibus exhibuerunt: Vltraiectenſes enim ſæpius ſuos Epiſcopos reiecerunt, quos AMORFORTII ſemper benignè ac liberaliter exceperunt, & in ſuas ſedes reſtituerunt: Sic Aſſuerum Culeburganum anno 1436. ab Vltraiectenſibus repudiatum: ſic Diepholdium anno 1448. ab iiſdem contra fœdus ante 12. annos initum (quo ſe Epiſcopum ſuum contra Concilium Baſileenſe VValramum de Moers Archiepiſcopum Colonienſem & Monaſterienſem defenſuros iurauerant) pulſum, vrbe capta vnà cum D. Iacobo de Gaesbeec, reſtituerunt. In captiuitate hac D. de Gaesbeec Epiſcopo coactus eſt cedere VVicoduroſtadio, & Abcouda, quam fortunam Diœceſis Amorfortiis acceptam ferre debet. Senſit & horum fidelitatem Dauid nothus Philippi Burgundiæ Ducis; Senſit etiam eo magis Henricus Palatinus anno 1528. ab Amorfortiis in ciuitatẽ Vltraiectenſem vnde eiectus erat, armata manu reductus. Maiorem etiam obedientiam, & fidelitatẽ in Amorfortiis reperit Philippus Catholicus Hiſpan. tex anno 1578. & 1579. qua tempeſtate nec Princeps Auriacus, nec Hollandi, nec Gelri, nec Vltraiectenſes prius Amorfortios à fide Catholica, & obedientia ſuæ Maieſtatis auertere potuerunt, quam obſeſſam vrbem, machinis bellicis, & ſummis viribus porta ſolo æquata, ſuperaſſent, vrbem vincere, animos autem nec ſic quidem ſuperare potuerunt. Egregiam quoq; laudem ſemper ex bello reportarunt. Dominam Iacobam Bauaram Hollandiæ Comitiſſam, propriis expenſis contra Dominum de Arckel, in capiendo Iſelſteinio & Gorcomio iuuarunt, vnde à Bauara publicis literis gratiarum actionem metuerunt. Hollandoſũ vires ſæpe repreſſerunt, Gelrorum violentiam ſæpius fregerunt: Vltraiectum quater armo occupauerunt: Philippi Burgundiæ Ducis exercitum bis (teſte Meiero lib. 16. Ann. Flan.) à ſuis mœnibus fugarunt: Hac fortitudine Amorfortij eam ſibi famam conciliarunt, vt multi è vicinis Principibus illorum fœdera & amicitiam ambirent, ipſiq; in multis Prouinciis vectigalium immunitatem obtinerẽt. Eam VVilhelmus Bauarus Holland. Comes inito fœdere Amorfortiis per omnes ſuas Prouincias donauit: D. VValramus Bredẽrodius, D. Caſparus Culenburganus, & D. Ioannes Egmondanus, Amorfortiis magna quoq; priuilegia in ſuis ditionibus contulerunt: In pauperes etiam tanta eſt Amorfortiorum liberalitas, vt hac in re ne maximis quidem ciuitatibus pro qualitate diuitiarũ cedant. Duo ſunt in vrbe gerotrophia, in quorum altero plus quam 60. ſenes tam viri q̃ mulieres honeſtiſſimè aluntur, præterea anno 1447. inſtitui cœpit diſpenſatio eleemoſynarum in pauperes, qui priuatis in ædibus per vrbem habitant, ea paulatim ad tantam opulentiam peruenit, vt nunc plus quam 80. homines inopes ex illa ſuſtententur. Inſigne quoq; & magnificum orphanotrophium circa annum 1551. erectum eſt, vbi pupilli pauperiores aluntur. Duo ad hæc vrbs habet Noſocomia, vnum pro peſte laborantibus, alterum pro quibuſuis clinicis, quorũ res domi eſt anguſtior, quam vt ſeipſos in morbo ſuſtentare poſſint. Xenodochium quoq; habet, quo peregrinis pauperibus ex itinere licitum eſt diuerti. Circa annum 1568. initium, habuit ſeminarium S. Spiritus, in quo tenuioris fortunæ ciuium filij & filiæ vnà cum pietate legere & ſcribere gratis docentur: In hac Schola nonnunquam plus quam 600. pueri reperiuntur. Ex eodem hoc ſeminario pauperiores quiq; eliguntur, qui in publicam officinam mittuntur, maſculi ad texendarum quoddam linearum genus texendum, puellæ verò ad nendum: ex quo exercitio ſinguli ſingulis ſeptimanis domum adferunt, vnde viuere poſſunt. Dominicis inſuper diebus pane 4. librarum donantur, præter veſtes, calopodia, & alia emolumenta, quæ quotannis in illos diſtribuuntur, atq; ita à mendicitate prohibentur, donec ad eam peruenerunt ætatẽ, quæ ſeruitio vel grauiori opificio eſt idonea. Adminiſtrantur hæc omnia gratis à Sacerdotibus, nuptis ac innuptis, viris ac fœminis ditioribus, & Catholicis, à quibus hæc omnia inſtituta ſunt. Et vt nihil deſit, ſunt qui aliud ſeminarium meditantur, in quo certus ſtudioſorum numerus aletur, quo vberior aliquãdo ſtudioſorum hominum, ſit in hac Repub. prouentus: qui vel maximè ob ingeniorum acumen ſperatur. Prodierunt enim ex hoc oppido non pauci Regũ & Imperatorũ Oratores, Medici, Iuriſprudentes, aliiq; illuſtres viri in omni linguarum, artium, & ſcientiarũ genere exercitatiſſimi. Ex hoc oppido prodiit Albertus Sapidus, tot annis Conſtantinopolitanus, ſub inuictiſſimo Cæſare Maximiliano II. Legatus. Natus eſt hic Doctor Stephanus Lauræus, domus Auſtriacæ ſummus, ſub eodem Maximiliano Medicus. Hæc patria eſt clariſſimi atq; ornatiſſimi viri Ioannis Fonckij, qui poſt multas legationes, arcaniq; Senatus Belgij Regis Hiſpaniarum Philippi II. præclarè peracta negotia, tandem à Rege in Hiſpanias vocatus eſt, vbi nunc Ditionum Belgicarum præſidem ſumma cum laude agit, Regi ac patriæ carus. Debet & huic oppido ſua natalia Marcellus Lentius, totius Ordinis Canonicorum regularium per vtramq; Germaniam generalis. Sunt & hoc tempore q̃ plures alij viri, iuuenes & adoleſcentes in diuerſis facultatibus atq; artibus diuerſis titulis inſigniti, è quibus maximi in Repub. Chriſtiana fructus expectantur. Quam prudentes verò in Repub. adminiſtranda viros prodixerit, inter alios teſtis eſt tuus ille, cognate, parẽs Petrus VVeſtrenius, qui paucis ab hinc annis moriens, maximum ſui ejuibus deſiderium reliquit. Iacobum quoq; Hezium, & Theodorum Geinium peperit nulli pietate ſecundos. Deniq; quanta erga exules & peregrinos Amorfortiorum ſemper fuit hoſpitalitas, reſtantur veteres Annales. Hanc experti ſunt Epiſcopi & ciues Vltraiectenſium diuerſis temporibus à ſuis factioſis ſubditis, vel conciuibus electi. Hanc etiã experti ſunt noſtro tempore totius Hollandiæ Catholici à Gueſiis exacti, qui & morfortiam tanquam ad tutiſſimum aſylum confugientes, ibidem omni humanitate ſunt excepti, donec vrbs à confœderatis rebellibus fide & obedientia exuretur. De rebus Amorfortiis ſcripſerunt præter Annales publicos, & priuatos, Ioannes Veldcaner, Gerardus Neomagus, Meierus, Ocherus Lyſtrius, Henricus Bommelius, Lambertus Hortenſius, & alij.

AMORFORTIA
Dioecesis Vltraiectensis Oppidum amoenitate loci solique fertilitate admodum insigne.


Den hof.
Oude markt
Oude gracht
Oude gracht
Pieterse poort
Steen poort
Weerd poort
Dorestad
Wijck
Catharijne
Lange straet
Cant
Cant
Cant

ZVTPHANNIVM.

ZVTPHANNIVM, Geldriæ ducatus frequens, & aquis munitum oppidum, ad dexteram Issulæ, propagati à Rheno fluuij, qui Rheni etiam ostium constituit, & à quibusdam, Plinio, & Melæ, Fleuo dici existimatur. Quorum hîc, Rhenum ad dextram & sinistram spargi, atque ad dextram Fleũo, vocari scribit. Zutphannium autem, à paludibus nomen habet (quas **Venen** / inferiorum Germanorum vulgus, adpellant) Vnum ex præcipuis Gelrici ducatus oppidis. Cùm enim is, ad viginti duas habeat vrbes, mœnibus circumdatas, earum quatuor, primas obtinent. Nouiomagus nimirum, Ruremunda, Arnhem iue Arhemium, Aquilina, Tacito Arenatum & hæc, in qua modò versamur Zutphanium ciuitas, si quæpiam hoc teritorio alia, populosa ac diues, situ, & arte firma quam Berckel fluuius perfluit, & Issulæ ibidem miscetur. sesquimilliario abest Dousburgo. Canonicorum Collegio insignis, In quo & præpositus sit, atque Decanus, quorum ille, quondam Abbatis, hic verò, Prioris, quando Canonici viuebant canonicè, vices obibat. Vbi inter cæteros quoq; præstantes dignate viros Ioannes Vorthusius vixit Præpositus, Dauentriensis, vir egregiè doctus, & mirus antiquitatis indagatur, qui pulcherrimum illud opus, Phœnix inscriptum, in lucem edidit. Prodiit hîc itidem Gerhardus ille, celeberrimus Gymnasij Agrippinensis professor, sacrarum legum doctor, Orator & Poëta percelebris, qui eruditissimis lucubrationibus, posteritati, nomen sibi illustre reddidit. Lumbardi namque sententiarum libros, commentariis illustrauit. De interiori animi virium reformatione, de ascensione spirituali, elegantissima commentaria. Sermones etiam coram populo habitos, litterarũ monumentis commisit. Ecclesia summa, dedicata est D. VValburgi elegãs, sumptuosa, peruetustæ structuræ & artificij. Et quidẽ obscura, vt solent prima fundatione, dum templa excitarentur, ac Religio Christiana, pietasq; exordiũ sumerent, Putarunt enim maiores nostri, oratoria obscura, deprecantis feruorem promouere, eiusmodi Ecclesiarũ forma, in Italia se passim exhibet. Comitatus insuper dignitatem, Zutphannium obtinet, à quo Rex Hispaniarum Philippus, cum cæteris quoque dignitatum elogiis, titulum obtinet. Is autem hac ratione, ad Geldriæ Comitatum, nunc verò Ducatum peruenit. Nam, anno Christi millesimo, trecentesimo, vicesimo sexto, ob Reinalgi Comitis magnificè gesta, abs Ludoico Imperatore, Francofurti ad mœnum, in Comitiis Romani Imperij, in Ducatum est euectus. Vichardus eius nominis tertius Geldriæ Comes, Anno Christi millesimo vicesimo quinto, filiam habuit vnicam, Alheidam, quæ à subditis post obitum patris recepta, Otthoni, Nassouico nupsit, quo ille matrimonio, in Comitum est seriem receptus. Is ex Alheida, filium habuit Gerhardum, qui ipsi in Comitatu successit. Mortua Alheida, duxit alteram vxorem Sophiam, filiam Vichmanni Comitis Zutphannien sis, ex qua Gerlacum habuit, qui auo in Comitatu Zutphanensi successit. Et idem, cum masculeam prolem non relinqueret, hinc indè, vsq; ad nostra tempora. Comitatus Zutphanien sis penes Geldros remansit, ratione matrimonij Ottonis I, & filiæ Gerlaci Comitis Zutphanien sis, circa annum Domini M. Lxxxii sub hoc Ottone, Geldri, insignia sortiuntur, Leonem flauum, in Scuto cœruleo. quæ etiamnum retinent. Mortuus est anno imperij quadragesimo sexto, & sepultus Zutphanniæ in Ecclesia collegiata. Huius autem Comitatus fines, ad VVestphalos vsque protendebantur, & saltum Zutphanien sem, ac huic vicinos tractus, verisimile est Sicambros, tempore Iulij Cæsaris, occupasse. Nam, quia Comitum illorum fines etiam VVestphalium attingebant, plurimiq; scriptores Comitatũ illum in VVestphalia posuerunt. Credi potest, hinc errorem illum pullulasse. quod quidam Sicambros (qui reuera Geldrij) VVestphalos vocitent, forte ignorantes, quod illa pars Sicambrorum cisrhenanis hodie sit ocniuncta. Comitatui porro Zutphannico assignatæ sunt vrbes & præfecturæ ordine sequentes. Dousburgum. Dutecum, Lochem, Groll, Bredevorde, Bronckhorst, hæ quidem vrbes, præfecturæ autem eæ, quæ nomen ab his ipsis vrbibus sortiuntur. Atque his rursum præest, summus vnus præfectus, quem lingua vernacula Zutphanien sis Comitatus Drossarium appellitant, quin & huic parti adscribitur, vrbs Tsherembergen sis, & ipsa Comitatus nomine insignis.

Zutphannium in spiritualibus paruit Episcopo Vltraiectensi, nunc verò, post nouorum Episcopatuum in Belgio constitutionem, subest Episcopo Dauentriensi, qui Traiectensem Arcciepiscopum recognoscit.

ZVTPHEN.

YSEL

FLV.

1. Onser Vrawen
2. Das Rhathaus
3. Das Weinhaus von der Stat
4. Das Greuen haus
5. Das Spittal
6. Das Mers haus
7. Das Rondeel
8. Der aiesen torn
9. Das herinck haus
10. Die Preeck heren
11. Die Nieuwe Stadts kirch

BOLSVARDIA.

BOLZVARDIA vnico miliari à Sneca versus Septentrionalem distat, à Leouardia verò tribus, hanc esse vetustam, & à multis annis fuisse celebrem, satis præter alia argumenta & indicia attestatur hoc, quòd vnà cum egregiis maximeque inclytis ciuitatibus emporialibus fœdere illo contineatur, quod Ansam Germanicam, vulgò indigetant. Quo circa in comitiorum consessibus & aliis conuentibus ciuitatum huius patriæ, primo post Leouardiam censetur loco, & secundam obtinuit dignitatem. Ager circa eam planus, pascua habens læta, paulò celsior Snecano, Ipsum oppidum vallo firmo fossisq; profundis benè munitum est. Huius Ciues & incolæ à multis annis magnam exercuêre mercaturam apud exteras & maximè orientales ciuitates, inque regnis Septentrionalibus, nauibus onerariis eò vecti, quas ipsi, suis impensis sumptibusque inter sese communicatis absque aliorum ferè oppidanorum adiumento instruunt & adornant, commoditatem illis ad hoc suppeditante portu Maccummensi, qui vnico distat miliari. Itaque pecuniosi sunt vt plurimùm & locupletes. Ciuitatis status hactenus benè constitutus fuit. Nam præter Religionem mediocriter (vt hæc ferunt tempora) florentem, & iustitiam sic satis cultam administratamque: etiam pauperum ibidem cura habetur diligens, erectis & constitutis in eum finem tribus ædibus amplis, iisdemque benè dotatis annuis prouentibus. Qualius pagus est ortu Cypriani Vomelij à Stapert clarus, qui V. Iur. D. & Poëta Laureatus carminibus quibusdam editis celebris propter nemo in ea habitans, mendicato viuere, atque ostiatim victum quærere facile permittitur. Non procul ab hac Vomel Spiræ ibidem adsessor Cameræ Imperialis, obiit non multis ab hinc annis. Paulo Iongius vnius vix miliaris interuallo, à ciuitate abest pagus Hinnaerd, natalis locus Ioannis à Roerda nobilitate, eruditione clari. Hic V. Iur. D. etiam Cameræ Imperialis aliquot annos nomine Regis Hisp. adsessor fuit. Sed desiderio patriæ ductus, vt necessariis suis, adeoque & toti patriæ consilio, & opem in hisce rerum motibus præsto esset, ante annos paucos isti officio valedicens in Frisiam rediit, vbi nunc senatorio munere fungitur, in numerum consiliariorum Regiorum post varia discrimina, pro Regia Maiest. & dulcissima patria tolerata magno suo merito adscitus. Ortu hanc patriam illustrauit Suffridus Rodolphus Sterchenburgius, qui accuratam gentis Frisiæ historiam collegit. Petrus Iacobi Thaborita Mathematicus & Geometer insignis, qui historiam etiam Frisiæ patrio sermone collegit, Ab anno domini 781, quo Christi fidem Prouincia recepit, vsque ad annum 1521. Et Franciscus Aduortensius Triumpho vir eruditus, & scriptis publicis clarus.

STAVRIA.

STAVRIA, duobus à Sloteao miliaribus in ipso littore maris Australis in longum prouecta iacet, ad orientalem partem à mari auersam, qua terram spectat agrosque, vallum habens & fossam, sed ea non magni momenti, nec ad auertendos hostiles insultus satis firma. Ager finitimus planus est, minimè altus, fossis multis paludibus intercisus, Emporium olim fuit, opibus & auctoritate florens, Ansæ Germanicæ membrum ita conspicuum, vt numeraretur inter principes istius fœderis ciuitates. Et licet ante annos multos rerum commutatione facta, omnem amiserit splendorem antiquum, tamen fruitur adhuc apud exteros, præsertim in Gallia & maritimis Germaniæ orientalis ciuitatibus priuilegiis multis. Magnam fuisse eius vrbis amplitudinem, præter alia indicia & documenta euidenter ostendunt literarum instrumenta, quæ publicis etiamnum eius continentur archiuis. Pastorem habuit temporibus priscis S. Odolphum, cuius adhuc hodiè venerabilis est apud Frisios & sacrosancta memoria, cum ob singularem vitæ sanctimoniam & propheticum spiritum, quo præditus fuit, tum vel maximè ob indefessum studium, ac labores eius in propaganda asserendaque Christiana religione. Cum B. Fridericus Rudbodi regis Frisiorum ex filio Adelgildo pronepos octauus Vltraiectinorum Episcopus circa annum Domini 827 visitatum in Frisiam profectus suæ Dioceси subiectam, cum comperisset Arianam hæresim sensim in ea pullulascere, Vltraiecto ad se accersitum Stauriensi præfecit Ecclesiæ ad extirpandam hæresim prædictam. Isthoc munere summa cum laude fungens, monasterium insigne extrui fecit iuxta Fleuum fluuium, cuius nunc nullæ extant reliquiæ, quæ quidem obtutibus humanis conspici possunt, salo non tantum ipsum monasterij solum sed & omnem latè circumiacentem agrum fluctibus suis furentibus iam multos annos operiente. Abbas eius loci interitum futurum conspicatus, cum suis religiosis Stauriam concessit, ædificato cœnobio in suburbio, & inde rursus, propter maris æstum ad præposituram Himlum, monialibus quæ ibi erant aliò traductis. Hodiè ciuitas nihil magnificum habet, præter arcem validam portui maris imminentem, cuius fundamenta iecit Georgius Schenckius à Tautenburg gubernator Frisiæ nomine Caroli quinti Imperatoris, Anno 1522 flagrante adhuc bello Geldrico, vt Burgundi haberent oportunitatem traiiciendi eo militem & cætera bello necessaria, ex vicinis Hollandiæ ciuitatibus. Stauriensis fuerunt Petrus Pœtinus; Nanno philosophus, præceptor Rudbodi Episcopi Vltraiectensis, editis libris famosi, Et Andreas Cornelij, qui octo libris res gestas Frisiorum populari sermone complexus est.

HARLINGA.

HARLINGA, longo à cæteris ciuitatibus maritimis spacio, Septentrionem versus ad fauces Australis maris sita est, non procul à Franicheria, à qua vnico tantum miliari distat, in tractu fertili, habente agros insignes, non tantùm alendis pecoribus saginandisque propter pascuorum vbertatem, verùm etiam segetibus ferendis aptos, tritici in primis hordeique & Leguminum feraces. Sunt enim mediocriter alti, & plani quidem, sed ita tamen, vt sparsim multis in locis colliculi quidam amœni & fertilis quasi protuberantes se eleuent. Arcem habet insignem & validè contra hostiles iusultus munitam, vnà cum portu egregio nauigantibus peropportuno, non tantum propter amplitudinem & capacitatem, verùm etiam propter ipsum loci situm. Nam venientibus ex regnis septentrionalibus Frisia, & Germaniæ orientalis maritimis ciuitatibus postquam superarunt, & transgressi sunt, omnium primus se offert, & tranquillam stationem præstat nauibus longa iactatione fessis. Quapropter plurimi partim loci commoditate allecti, partim etiam aliis Belgii prouinciis, maximè Flandria frequentes confluxerunt. Quorum cum alij opificia exercerent, alij nauigationibus & mercaturæ vnà cum indigenis diligenter incumberent, oppidum vehementer auctum est hominum frequentia, opibus, & ædificiorum splendore, ita, vt de pomeriis eius extendendis proceres inciperent cogitare & agere. Fuit templum parochiale extra valli fossæq; ambitum, vnà cum sacerdotum & multis aliorum domibus, quæ nocturnis temporibus occlusione portæ arcebantur ab ingressu oppidi. Nunc verò termini ita sunt promoti & extensi, vt illis omnibus, vnà cum multis agris adiacentibus adsumptis intraque vallum conclusis, oppidum duplo maius sit factum.

HINDELOPIA.

HINDELOPIA, non longè à Stauria, promontorij instar, in mare protenditur, non fronte tantùm, sed lateribus etiam marinis fluctibus obiecta, earundemque infestationi exposita. Quocirca vix ægrè ab interitu defenditur, aggeribus firmis, latis, ac altis, ad arcendam aquarum rabiem, oppidulumque cum adiacente agro contra earum impetus.

BOLZ-
VARDIA
vetus in Frisia
Foederis Anzeatonicae Op.

STAVRIA, vulgo Stauere
Frisiae Op. in Stricto maris austra
lis, cui Zuder See nomen situm.

HARLINGA.

HINDELOPIA

SNECA.

RISIA Occidentalis, quæ & VVestfrisia, quæ eadem & vera, ac antiqua Frisia est, & sola, vt Historicorum turba affirmat, iisdem sedibus nomen suum tuetur, in quatuor status vulgo diuiditur, quorum eminentior Gruningensis, Reliqui sunt Comitatus de Ostergoy, Comitatus de VVestergoy, & Comitatus septé Saltuum, vulgò, Seuenwolden. VVestergoyensis ditio cultissima est, nullos in se saltus continens, aut loca arenola, sterilia, vel inculta, vbique oppidis, pagis, & villis frequentibus, contiguisque eleganter ornata, nisi, quòd in Australiore sui parte multos, & amplos lacus habeat, quí tamen infrugiferi non sunt, sed ob insigné piscium omnis generis multitudiné, accolis vehementer vtiles. In hac Ditione, duobus à Leouardia milliaribus germanicis magnis, occidentem versus, dissita est SNECA, loco humili, & tractu planè aquoso. Nam ager totus circumiacens, humilis est & depressus, nisi, quòd à Septentrionali parte, vbi ædes fuêre Ioannitarum, paulum adsurgit, ideoq; nec segetibus ferendis, nec vlli alicui rei, quàm pecoribus alendis, idoneus: Oppidum, non tam aggeribus, quàm natura,, & ipso loci situ munitum nouum est, sicut & alia plæraque huius patriæ, vtpote, nondum ducentis annis ciuitatis donatum iure, & priuilegiis. Cæterum, progressu temporis, tanta incrementa sumpsit, vt in præsentiarum, nulli oppidorum Frisiæ cedat, præter solam Leouardiam, omnium reliquorum caput, siue amplitudinem spectare velis, & ædium multitudinem splendoremque, vnà cum ciuium numero, siue platearum dispositionem aptam, vnà cum aquarum commoditate & abundantia, siue alia istiusmodi ornamenta. Illud, præ omnibus singulare habet, quòd præter fossam, & vallum, mediocri etiam muro lateritio cinctum sit: bonorum ingeniorum ferax: Nam, vt cæteros, omni literarum genere excultos, omittamus, qui ex hac ciuitate oriundi, diuersis locis etiamnum degunt, In hac natus est, & educatus Ioachimus Hopperus, non patriæ tantum ciuitatis, sed Frisiæ etiam, adeoque & totius Belgij lumen & ornamentum penè incomparabile, qui ante annos non multos in Hispania, primus cum esset à consiliis Regiæ Maiestati, viam ingressus est vniuersæ carnis, non sine magno optimorum hominum dolore ac gemitu. Ex hac item prodiit Petrus à Fritema Iureconsultus, qui præter nobilitatem generis, auitosque splendores, summam habet eruditionem, cum singulari animi probitate, candoreq; coniunctam. Hinc etiam oriundi Folcherus Simonis; Rembertus Dodoneus celeberrimus Medicus. Dominicus Benedixius. Albertus Hero Philosophus & Theologus scriptis clarus, & Gellius Snecanus. Quos hic obiter commemorasse sufficiat, cùm Suffridus Petri, vir omni scientiarum nitore perpoltus, elegans & absolutum opus de claris Frisiæ scriptoribus iam meditetur.

DOCCVM.

DOCCVM, latinè Doccetum à multis dicitur, Est in Oestergoensi ditione, duobus à Leouardia milliaribus distans orientem versus, non procul à sinu maris, qui inter Ostergoiam, terramque Gruningensem procurrens, Lauicam, exiguum amnem eo decurrentem, seque exonerantem excipit. Ager circumiacens fertilis est, non pascua tantum læta habens, sed & segetes ferens, præsertim ab Australi parte, vbi & arenosior videtur esse. Paulo longius ab opido, cespites effodiuntur ad alendum ignem, id, quod opidanis, & vicinorum pagorum habitatoribus magnam præstat commoditatem. Abest à sinu præscripto, exigui milliaris interuallo, ex quo alueus per ipsum oppidum fluit. Hinc mercatura illic floret. Tempore belli inter Geldros & Burgundos, Geldris paruit, vallo, fossaque, vt tum exigebant tempora, benè firmum. Cæterum illis victis atque expulsis per Cæsareos, vallum fossæ iniectum, & complanatum est. Ab eo itaque tempore, immunitum iacuit ad annum Domini M. D. LXXXI, quo inquieti patriæ ordines illud deuò munierunt, ad auertendos Regis milites. Antiquum esse inter omnes constat, Estque martyrio & reliquiis quibusdam S. Bonifacij sociorumque eius decoratum. Hic enim, post decessum B. Vuillibrordi primi Vltraiectinorum Episcopi, relicto Archiepiscopatu Moguntinensi, Vltraiectum petiit, & Episcopus ibidem constitutus est, miro semper flagrans desiderio, conuertendi Frisios, qui tunc magna ex parte Christum non agnoscebant, licet Vuillibrordus ad eos conuertendos, & ante, & post Episcopatum adeptum, magnam nauasset operam, & præter eum, alij etiam ab episcopo Cantuariensi ex Anglia missi, verbum Dei prædicassent. Itaque adsumptis secum sociis aliquot, ad eos contendit, & posteaquam tota prouincia peragrata, vbique sementem verbi diuini satis fœlicitet iecisset, tandem prope Doccum cum sociis, ab infidelibus cæsus, martyrij coronã adeptus est. Constructum est, non multis post mortem eius annis in ciuitate monasterium, Canonicorum Regularium, quod progressu temporis, occupárunt Abbas, & Religiosi ordinis Præmonstratensium. In eo, ad hæc vsq; turbulenta tempora adseruatum fuit craniũ martyris, inter trucidandũ ab impiis gladio resectum, vnà cum baculo eius pastorali, calice, codice Euangelico, totoque diuini officij habitu, & argenteo scypho. Huius etiam ciuitatis pastoratum, septem annos administrauit S. Ludgerus, nobili genere natus in propinquo pago Vitom, Vir eruditus, & multarum linguarum peritus, qui postea primus Monasterienfium Episcopus, ad celestem patriam, circa annũ 809, migrauit, in Vuerda, Imperiali Abbatia ad Ruram flu. sepultus. In hac posteris temporibus natus est Gemma Phrisius, Medicus, & Mathematicus insignis, editis libris magnæ eruditionis celebris. Quam etiam eruditionis laudem hinc oriundi, merentur, Basilius, siue VVesselus, dictus Groninganus, Ioannes Doccomiensis Iureconsultus, Vniuersitatis Colonienfis ornamentum singulare. Et Cornelius Kempius, qui tribus libris res Frisiorum latino sermone conscripsit.

SLOTENVM.

SLOTENVM, Opidulum, pertinet ad septem syluas, loco demisso & palustri situm ad mare australe, à quo vix quarta milliaris parte distat, à Sneca verò duobus milliaribus: Ager tamen, ab occidentali parte, qua Geesterlandiam spectat, paulum eleuari incipit, arenosus ibidem existens. Lacus illi adiacet magnus, in quo est piscium omnis generis copia. Secatur in duas partes, aqua perfluente, quæ duobus pontibus coniungitur. Templum parochiale non habet, sed tantum Sacellum, lacerum penè hac temporum tempestate, & ruinam minitans, nisi in tempore fulciatur, repareturque. Paret autem parochialibus Ecclesiis duorum vicinorum pagorum. Id, quod mirum plærisque videbitur, cum ciuitatis ius habens, à proprio regatur magistratu, & non tantùm natura, sed & operibus egregiè fuerit munitum quondam. Cunerus tamen Episcopus Leouardiensis, paucis ab hinc annis, pastorem illi constituerat, sacello in parochiale templum commutato. Tempore nouennalis belli, quo Geldri ante annos sexaginta cum Burgundis, de Frisiæ principatu conflictati sunt, perpetuò fuit in Geldrorum potestate, qui illud quasi ἐρυτήριον constituerant, ex quo excursiones fecerunt, & bella deriuarunt in alias ciuitates, munitaque loca. Nam id primo aduentu occuparunt, indeq; digressi, plura tentarunt, & assequuti sunt. Quin etiam, nouissimè, cum vi & virtute Burgundionum, cæteris castris, pagisq; exuti, pulsi atque fugati essent, id, tanquam asylum validum & firmum, ad vltimum vsque seruarunt, natura loci potissimum freti. Itaque, in eo factionis istius coryphæi, anteseignanique præcipui, obsessi sunt, obsidionemque forti animo tollerarunt ad septimanas non paucas, nullam passi deditionis mentionem fieri, nisi prius egestate, fameque compulsi. Nec fuit victoria ista Burgundionis incruenta. Siquidem, duo eorum duces præcipui, Georgius Schenck à Iautenburch, Frisiæ Gubernator, Et Ioannes, Dominus Vassenarius copiarum Præfectus, durante obsidione, sub noctis crepusculum, speculatum egressi, simul eodem tempore vulnerati sunt, quorum posterior, paulò post deditum oppidulum, Leouardiæ ex vulnere mortuus est, non sine Frisiorum mœrore. Inciderunt illa in annum Domini 1523. Vallo deinde diffecto, æquatoque solo, absque munimentis fuit, vsque ad annum 1582, quo illi, qui se titulo Ordinum venditant, illud rursus validè, contra naturalem principem, munierunt.

ILSTA.

ILSTA, quæ ab aliis Ilostum, & in literis quibusdam antiquis manuscriptis, Iliacum dicitur, vnius tantum horæ spacio à Sneca distans, in longum porrigitur ab Austro in Septentrionem, duabus constans plateis, quas aqua, mediocris profunditatis, intercurrit, Nulla re insignis, nisi antiquitate, qua & vicinam Snecam, & alias quasdam ciuitates Frisiæ superare dicitur. Nam nec vallum habet, nec munitiones, nec sepimenta vlla: Fruitur tamen iure ciuitatis, regiturque à proprio Senatu, habens ciuicam domum, oppidorum instar. Quocirca etiam optimo iure, inter ciuitates numeratur. Multi excellenti doctrina viri hanc patriam origine decorarunt, Quorum omnium accuratam enarrationem Suffridus Petri, peculiari opere, de illustribus Frisiæ scriptoribus, mox dabit.

SNEECHA.
vulgo
Gneeck
Frisiæ Oc-
cidentali
Oppi-
dum.

DOCCVM.

YLSTÆ.

SLOTEN.

VVESALIA INFERIOR.

VESALIA, vrbs Ducatus Cliuensis elegans, munita, & populosa, aquis, propugnaculis, & valido murorum ambitu adeò instructa, magnos vt spiritus incolis gignat, situ ad negotiationem oportuno excellit, vnde magnis & operosis ædificiis, opum affluentia, mercatura celebri, cæterisque fortunæ bonis, nostra memoria, mirandum in modum excreuit, fœlicior, si non tam variis peregrinarum religionum opinionibus dissecta foret. Ad alterius superioris differentiam, quæ in sinistro Rheni latere, cum vicina Bopardia Treuirensi Archipræsuli paret, VVesalia est dicta inferior. Ex præterfluente Lippia fluuio, commoditates haud pœnitendas percipit, qui sinistrum eius latus alluens, statim Rheno consociatur. Non longè hinc Teutoburgum, vbi Cæsar cum Germanis conflixit, hodie Deusburch vocari putamus, multum vetustatis præ se ferens; habet etiamnum syluam ingentem, quæ à ciuitate nomen seruat, quemadmodum olim Teutoburgensis saltus, non longe à Rheno fuisse describitur, vbi Arminius Germanorum Dux Lentulum Varum, cum duabus legionibus interfecit, signaq; Romana sub terram defodit, quam rem Tacitus longè prosequitur.

Sed Cliuicam hanc VVesaliam, Cliuorum Comites, nunc Duces, vtputa, ditionis suæ vrbem, variis, diuerso tempore, ornamentis, animis heroicis exornarunt.

Eberhardus Comes Cliuiæ, & Teisterbantiæ nonus, (hic etiam Teisterbantiæ Comitatus, ad Cliuenses pertinebat, cuius termini erant totum id, quicquid inter Mosam, VVahalam, atque Rhenum situm est, vbi hodie insignia sunt Dominia) Comes Prouinciæ, pius & iustus princeps, vxorem habuit Beatricem Bauariæ Regis filiam, Collegia fundauit in VVissel & Nouesij, vbi hoc monumenti loco habetur. Anno incarnationis dominicæ DCC XXV. Eberhardus Comes, & Berta vxor sua, nobilis matrona de stirpe Caroli Magni, & Luthardus Comes, Berengarius Episcopus Tullensis filij eorundem, constituerunt duas congregationes Ecclesiarum, vnam in VVissel, ordinis Canonicorum, & aliam in Nussia, ordinis Canonicarum, sub Gonthero Episcopo Colonien si, &c.

Sub Arnoldo II, decimo septimo Comite Cliuiæ, Godefridus & Otto Comites de Kappenberch, & Monasterium VVesalien se virginum extra muros, vbi se Lippia in Rhenum exonerat.

Theodoricus octauus, Cliuiæ Comes vigesimus quartus, Rudolpho Habsburgensi Imperatori militauit contra Imperij hostes, cui Cæsar cum vxore, dotem dedit VVesaliam vrbem, & castrum cum præfectura Ringenberg, & villis adiacentibus.

Theodoricus nonus, Comes Cliuiæ XXV à Rudolpho Habsburgensi Cæsare Imperij Vicarius constitutus super Dauentriam & Nouiomagum, à quo etiam Duisburgum & Craneburgum impetrauit, vxorem habuit Margaretham, filiam Alberti Imperatoris, & Austriæ Ducis, cum qua dynastiam in VVesaliam, & Ringelbergam accepit, Is conuentum patrum Prædicatorum VVesaliæ fundauit.

Adolphus Dux Cliuiæ I. inuestitus à Sigismundo Imperatore in Concilio Constantien si, Monasteriũ Carthusianorum fundauit iuxta VVesaliam. De Graue Anno 1417. concedens illis plurima priuilegia, præsertim immunitatem in teloniis. Addit chronicon manu scriptum. Idem Adolphus ædificauit den Hof zo Wesel.

Nobilitarunt VVesalien sem hanc patriam, viri excellenter docti, hinc orti, inter quos Arnoldus ille VVesalien sis, vt in mitiori, græca, poëtica, & historica literatura (cuius præclara monumenta extant) ita in sublimi Theologica facultate æquè fœliciter versatus. Quod exegesis in Decalogum typis commissa, accuratè demonstrat. Et alia multa elegantissima opera, quæ nondum sunt edita, quorum plena scrinia plerique se vidisse commemorant. Itaq; dum Cornelius Chrysopolitanus illustres Germaniæ scriptores commemorat, fabulã refert de Homero vulgarem, qua Grammaticus quidam Deos infernales exorasse dicitur, Homeri vt anima tantisper rediret ad superos, donec quædam ab ea percunctaretur, sed tandem ab ea euocata hoc tantum eum quæsiuisse, Quonam loco esset natus, certant siquidem septem Græciæ vrbes de illius poëtæ patria. Tandem, iustiore inquit venia optari posse arbitrarer, vt Arnoldi VVesalien sis viri incomparabilis anima numinis indulgentia, tantisper nobis redderetur, vt de libris, quos moriens reliquit certiores nos faceret.

WESEL

Rhenus Fluuius

HERMANNVS HAMMELMAN

WESALIA *in Ducatu Cliuensi vrbs clara opibus, dignitate, ædificijs, et mercatura, quam nauigio in flumine Rheno exercet.*

ORIGINES VRBIS ET COMITATVS TREMONIENSIS.

HIC Sacri Rom. Imperij Comitatus, atq; in medio illo ipsius posita vrbs Tremoniensis earum ditionum albo recensentur, quæ sine intermedio Romanorũ Imperatorem agnoscunt Dominum. Hæc quondam à Trutmannis Sueuorum populis Trotmannia, posteris temporibus Tremonia, vulgari autem dialecto **Dortmundt** appellata est. Ex Iulio autem Cæsare constat Sueuos, potentissimam gentem hasce olim quæ nunc VVestphalia veruisse Saxonia dicitur prouincias longè latèq; habitasse. Vbijs enim et Teucteris trans Rhenanis populis proximè vicinos stat uit, qui etiã quod ab hisce Sueuis complures annos exagitati, bello premebantur, Rhenum transire loco; illis cædere coacti sunt. Iuxta Teucteros porrò Bructeri olim (vt auctor est Tacitus) occurrebant, quibus pulsis Chamanni & Angriuarij sedes eorum occupauerunt. Bructeri igitur primum, (vtpote Sueuorum pars) inde Chamanni Bructeris vltra Lippiam pulsis hanc VVestphaliæ partem olim tenuerunt, cuius appellationis vestigia, quæ locis quibusdam impresserunt etiamnum supersunt: quæ singula alibi demonstrare in procliui est.

Cæterum ex Cæsare perspicuum euadit, Sueuorum eam gentem pagis distributam fuisse, vnde facile colligere est, nullas hic eo tempore vrbes habitatas, sed premissum nationem per tribus distinctam pagos suos (hoc est) Territoria & Iurisdictiones passim incoluisse: non enim pagi denominatione Cæsar partum aliquam hominum mentum, sed vniuersitatem quandam designauit: Vt alibi quoq; Heluetiam in quatuor distinctam Pagos memorat, quorum hodie tredecim, itidemq; amplissimi commemorantur. Pagus igitur Territorium fuit & præfectura, quam florentem Cicero Coloniam nominat, quib; posteris temporibus Comitatus Dominiorumq; titulo fuerunt insigniti. Horum autem per VVestphaliã quamplurimas reliquias, tot adhuc passim extantes præfecturæ, Castraq; & Dominia Iurisdictionibus separata, liquido contestantur: neq; ambiguum Trotmannorum familiam eorum quoque numero recensitam. Annales enim veterumque quæ extant monimenta declarant eo loci vbi post ea vrbs Tremoniensis extructa est, duos olim pagos Veterem scilicet & Nouum extitisse, qui imperium antiquissimi castri Trotmannorum intermedij sequerentur. Sub id verò tempus quando Carolus Magnus hasce omnes Saxonicas prouincias subegisset, Ius Municipij accipere, paulatimq; in oppidum coalescere cœpisse. Is enim perspecta soli vbertate situq; non vulgari præstantia, Colonias huc deduxit, sedem hic sibi Aulæq; Regiæ domicilium firmauit. Ex qua vetustatis memoria in Agro suburbano fertilissimo eqdem loco posita latifundia, (quorum possessio per Comites olim in Senatum translata est) **Königshoffe Landt** / & curtes seu villæ istæ amplissimæ per vicinos agros ditionesque circumiectæ **Reichshofen** nuncupantur, quæ census suos frumentorũ annuos ad Aulam ibi Regiam conferre tenebantur. Porrò vt religionẽ Carolus in nuper à se constitutam Remp. introduceret, Collegium hic Canonicorũ erexit, Diuoq; Panthaleoni consecrauit, quod tamen à filio inde & nepote Ludouico absolutum est: Quibus insuper decretum fuerat, magnificum quoq; D. Benedicto Monasterium iuxta noni oppidi pomaria construere, nisi factionibus ille intestinis impeditus, hunc verò mors è viuis maturius rapuisset. Aedes tamen sacra eo loci din post permansit quæ posteris temporibus ad portam orientalem vrbis translata est: Sed locus vbi olim constitit, campus seu cœmiterium D. Benedicti in hodiernum vsque diem appellatur. Similiter & Collegium ipsum etsi beneficia à Carolo successoribusq; accepta, vltra ducentos annos sarta tecta vtcunq; conseruasset, attamen ob frequentes Hunorum, atq; essere gentis Normannicæ incursiones, (quibus rudimenta nonæ vrbis atterebantur) adeo quoque eius possessiones fractæ diminutæq; sunt, vt stationem suam prisrinam tueri vlterius non potuerit. Quocirca Diuus Anno Archipræsul Colonien sis (quem tempore Henricorum tertij & quarti Imp. ab anno salutis M. LV. præfuisse constat) sortem labascentis Collegij commiseratus Coloniam Agrippinam, vtpote ad tuitionem locum transtulit. Diuæque Virgini ad gradus in posterum deuouit: quod etiam præter annales Colonienses, membranæ quædam perquam veteres ex Archiuo Reipub. deprompt æ liquidò contestantur. Sic n. autor scripti eius antiquissimi, (qui se vrbis amanuensem fuisse profitetur) iussu Magistratus in publicas quondam tabulas redegit. Postquam (inquit) per venerabilem virum S. Annonem Archiepiscopum Colonien sem Canonici S. Reinoldi, qui ibidem per magnificum Carolum Pipini filium fuerant instituti & dotati, ad Ecclesiam S. Mariæ ad gradus Coloniam sunt translati, ea videlicet de causa, quia dicti Canonici tunc temporis in præsenti loco non poterant pacem vel quietem habere propter prædonum & raptorum insidias, & continuũ strepitum bellorum, nondum enim tunc temporis locus iste per fossam satis munitus extiterat, &c. Quæ documento sunt, quod ipse D. Carolus, non autem alter quispiam ex successoribus Regibus, vrbis Collegijque huius primordia iecerit, atque Annonem Episcopum grauari initiaria, quem indignè succedentibus temporibus citra legitimam causam illud transtulisse, ciuiumque liberos eo præsidio non leui posterorum cum iactura mudasse, causabantur. Cæterum translatis simul & agrorum decimis, (quarum nomine certa etiammum denariorum præstationes quotannis Collegio persoluuntur) ne fraudem religioni intulisse Archiepisc. opus diceretur, quosdam è Collegis vitæ morumque innocentia maximè præcellentes ibidem constituit, eademque hactenus Diuo Panthaleoni sacram, reliquijs D. Reinoldi Martyris Colonia huc (ciuium deuotè petitioni acquiescens) integrè translatis, eiusdemque patrocinio in posterum inuigniuit. Equidem & successores sui memorantur priscis temporibus frequenter huc commeasse, cumque Decano loci rem Ecclesiasticã sedulò procurasse. Extat iuxta eadem Reinoldinam prope Sacellum Diuæ Margarithæ (quod Archiepiscoporum relegioni peculiariter inseruisse asserit ur) locus, qui **Freithoff** à vetusti forsan asyli memoria etiammum appellatur, propè hunc sedem fixisse, eundemque antiquitus hac de causa sæpenumero frequentasse proditum. Sed cùm vnica demum & primaria D. Reinoldi ædes tantæ hominũ multitudini intra & extra vrbis conspicia huc confluenti non sufficeret, effectũ est sumptibus piorum hominũ, (inter quos præter Imp. & Comites nonnullorum è Nobilibus Borchmannorum familijs præsertim de Randenrade, Swanshalle, Dobbe, Suderman, à Berswordt, Swarte de VVickede, aliisque progenitorum conspicua adhuc possum liberalitas plurimum eluxit,) vt breui temporis spatio plures erigerentur, populique vndique concurrentis deuotioni satisfieret. Denique Henricus de Virneburch Archiepiscopus Coloniensis, consensu quoq; Lubberti Decani & Conuentus S. Mariæ de Gradibus, necnon Hermanni Decani Tremoniensis (vt verba literarum anno salutis M. CC XXXII. consignatarum perhibent) quo Parœciarum partitio intra & extra mœnia fieret, eademque firma ratáq; in posterum permaneret, authoritatem suam interposuit. Ergò ternæ mox priori adiectæ sunt, nam ædes seu Sacellum Diui Martini Imp. hic commorantium seu his succedentium Comitum peculiare, longo ante tempore præfuit: quod singularibus etiam Seruorum & Cerocensualium (quos vocant) aliisq. Cæsarum olim beneficijs locupletatum, primas tum ab antiquitate, tum à veteri structuræ genere imò & Regij palatij vicinitate facile meretur. Non autem instituta nobis breuitas patitur augustissimum nobilium Virginum, non Diui Francisco atque Dominico erecta olim maximis sumptibus Monasteria, aliasque sacras per vrbem visendas ædes & Nosocomia Xenodochiaque ob oculos ponere, cum ampliudine sua maiorum summam liberalitatem cum singulari deuotione pietateque coniunctam satis superque contestentur: imò etiam incitamento quoque meritò esse debeãt, non modo vt salua & incolumia conseruentur, verumetiam vt feruorem illum fidei, inque semel suscepta religione summam ipsorum constantiã emulari perpetuò, & remotis omnibus nouarum opinionum illecebris conseruare in animis nostris atque amplificare studeamus. Sed de rudimentis & progressu ab initio suscepte religionis (ne longior sim) hæc sint satis. Nunc breuiter quaq; demonstrandum est, quæ rerum Politicarum ratio, quisq; adeò Reipublicæ status per Carolum & posteros reges introductus sit. Non ambiguum verò est vicinas hasce per VVestphaliam ditiones, quæ ab initio Episcopatibus subiectæ non fuerum, ex hostica terra in prouinciæ formam redactas, nec non VVidekindo, alijsq; qui antea eas tenuerant Dominis, beneficij iterum nomine à Carolo fere attributas, pleraq; tamen etiam sibi posterisque à se Regibus reseruasse. Id enim præter alia Curtes seu villæ istæ amplissimæ (quas supra memorauimus) atque agri Aulæ quondam regiæ, cum sitis propinquis passimque per vicinas ditiones circumiectis satis superque demonstrant. Argumento quoque fuit Comes seu Vicarius hic olim Regius, qui iunctas sibi habens priscæ nobilitatis quasdam familias, veteri appellatione Borchmannos id est Castellanos dictos, vniuersam Rempublicam administrabat. Has autem Reges singularibus beneficijs peroranam, è Patrimonio suo fundos syluasque seu foresti suburbani ampissimi Ius, possessionemque liberaliter contribuentes, quæ à tam longa temporum seriem ad earum familiarum posteros hucusque transmiserum: qui Regio feudique nomine etiammum ea iuxta priscæ consuetudinis præscriptum possidentes Vasalli inde Imperij seu rectius patrio idiomate **Reichsherrn** antiquitus appellantur. Cùm verò hereditaria VVestphalicarum ditionum possessio in posteritate Caroli ad Arnulphum vsque Cæsarem permansisset, ab eius morte Otto Saxonum Dux gener ipsius vsurpare illud Ius cœpit, ab eoque deinceps ad Henricum Aucupem eiusque posteros transiatum est. Horum ætate Huni gens barbara Germaniam grauiter populari sunt, sacra & prophana impiè temerantes, quos denique Henricus, post quam anno salutis IↃ CCC XX. ad Imperij gubernacula adscitus esset fortiter repressit, viresque eorum, ne se iterum lacessere per Imperium auderent prorsus fregit atque contudit. Sub Ottone verò primo huius filio & successore, cum Imp. bello fraterno implicitus esset, Huni iterum nouis per Germaniam excursionibus grassantes, VVestphaliam quoque grauiter diuexarunt: quos Imperatoris exercitus Trotmanniam vsque (vbi tentoria fixerant) subito consecutus, ad internecionem concidit, trepidatione que vel maxima oppidanos liberauit. Hæc strages anno IↃ CCCC XXXVII. edita est, eoque loci vbi exercitus consederant, telorum cuspides aliaque veteris armaturæ genera, quandoque eruta sunt. Et extat ad latus Septentrionale vrbis secundum mœnia fons quidam limpidus Diui Iohannis dictus, cuius lacuna siue colluuies Hunorum aquatio, hoc est vulgari idiomate **die Hunen Drencke** hactenus appellatur. Anno etiam sequente cùm Henricus Imperatoris frater ex fœdere cum Eberhardo Palatino & Gisberto Lotharingiæ Duce inito contra Ottonem Imperatorem germanum suum fratrem susciperet, is vt rebus suis consuleret mox obsedit Tremoniam (Trotmanni VVitichindus vocat) quæ tunc præsidio fratris occupabatur. Ciues autem subitã inopinataque obsidione consternati, & fortunæ Tanematri non immemores, persuasi sunt à militia suæ quodam præfecto ab Hagen dicto (forsan quod pagi illius nominis non longè ad Ruram inde siti incola vel dominus fuerit) vt se se dederent, neque incertam belli obsidionis que aleam experirentur. Itaque portis effusi in gratiam Cæsaris concesserunt, præsidiaque illius excepernt. Hinc ille vlterius Dorstenium VVestamque prouectus, exercitum in fratrem mouit, ac per paucos qui Rhenum (ignari hostem iam propinquum) temerè traiecerant, miro illum Strategemate circumuenere, victoriamq; plane insperatã, erepti ipsi periculis, reportarunt. Ab eo tempore Tremonia in fide Cæsaris constans permansit. Nam & idem hic Otto cum Francofurti ad Mœnũ Natalitia Christi festa celebrasset, ibiq; intelligeret fœdus à filio genero; contra se ictum, licet igitur Pascha Aquisgrani celebraturus erat, tamen mutata sententia Coloniam nauigio descendit, indeque Trotmannium (quod Droomanni apud Regionem deprauate scriptum est) vtpote ad tuitionem ab hostilibus insidijs locum profectus est. Cumque Paschales ibi feriasi cum Aulæ suæ proceribus rietè peregisset, militem ibi contra Ludolphum & Conradum Sueuorum Duces conscripsit expeditionemque iude suscepit. Nihil posteà memorabile de rebus Tremoniensium extat, ad Henricum vsque secundum, qui cum vxore sua Cunigunda celebres hic Imperij conuentus atque Comitia peregit: in quibus Padiborneñsis Ecclesiæ Antistes Meinwercus suam ipsius matrem capitis apud Cæsarem Imperijque ordines ream peregisse legitur, quod filio suo Theodoro (quem earum admodum fratri Meinwerco sciuerat) atroci quadam crudelitate necem procurarat. Hanc tamen cùm preces omnium procerum (indignante etiam vel summè ipso Episcopo) tandem & vix egrè capitali supplicio liberassent, Imperator mitiorem pœnam secutus, bonis omnibus exuit, eaque possessioni Ecclesiæ Padibornensis adiecit perpetuoque deuouit. Quod actum memorant Annales Trotmundæ anno salutis M. XVI. die decimâ Ianuarij, indictione tertia. Hic idem Imperator quoniam frequenter huc commeare solebat, post quinquennium in æde D. Martini (quam Regibus peculiarem diximus) Aram quandam Diuoque Iohanni sacram erexit, id quod vetus inscriptio maiorum tempore nondum obliterata liquidò contestatur. Quemadmodum verò regnante hoc Cæsare & successoribus duobus non parum efflorui Tremoniensis Respub. Sic ab Henrico IV. cladem non exiguã perpessa est, potissimum cum anno M. LXXIII. Saxonum plerique proceres ob summam eius tyrannidem res nouas moliri ab eoque deficere cogerentur. Annonis tamen Archiepiscopi Coloniensis authoritate apud Cæsarem denique effectum est, vt aquior subditis fieret, eius; in gratiam tandem iterum redierint. Ab eo tempore quieta ferè VVestphalia donec Fridericus Barbarossa Henricum Leonem eius Dominum ab Imperio Romano proscriptum VVestphaliæ & Anga-

LIPPE



LIPPIA. Opp. licet Comitib. de Lippia subsit, tamen eius dimidia pars est olim Comitib. de Marca concessa, &c. eam nunc in totum possideant aquo iure cum Comitib. de Lippia, agricultura se sustentat et oblectationem utilitatemque ex Lippia flumine capit.

Hæc Hermannus Hammelmannus.

DORTMVND

& Angariæ Ducatu exueret, eorúmque possessionem Archiepiscopo Coloniensi traderet. Quæ res licet vniuersam VVestphaliam plurimum turbaret, bellisque cruentis inuolueret, tamen vrbs Tremoniensis Friderici Regis (qui frequenter ibi versari & proinciis Saxonicis Ius inde dicere solitus erat, patrocinio beneficijsque communita, pace interea tranquillitatéque commodum perfruebatur. Monstratur adhuc in vrbe locus, vbi subinde Imp. pro tribunali præsedisse dequæ iure interrogantibus respondisse dicitur. Quod & Chronicon Episcoporum Monasterienſium disertis verbis attestatur. Cœpere autem tum Comites de Alena posteris temporibus de Marca cognominati, ex Ascaniorum Principum vetustissima stirpe genus ducentes illustriores bello fieri. Cum quibus vbs Tremoniensis, vicinitatis ergò alterna pace dissidijsque sæpenumero volutabatur. Engelbertus enim de Marca agros primùm ipsorum populari, commeatum excludere, itineráque cœpit reddere infesta: vel ob id quoque ferocior quod in affinitatem Engelberti de Valkenberch Archiepiscopi Coloniensis (quem & ipsum ciuitas infensum habuit) nuper concesserat. Eiusdem autem temporibus memoranda illa strages in loco VVolfskamp seu VVulueruch hodie dicto ad primum ab vrbe lapidem edita est, ex qua Comes Engelbertus contra Saxoniæ Ducem & Episcopos Osnabrugensem & Padiburnensem non incruentam tamen victoriam reportauit. Cecidere in eo conflictu multi ex primaria VVestphaliæ nobilitate, quin & è Regum Scotiæ familia quendam hoc pugna interemptum annales commemorant. Cuius funebrem Memoriæque ergò Templum ipsud pareciale in pago Brechten ditionis Tremoniensis postea sit extructum, vtpote ad cuius cœmiterium ipsius aliorumque cæsorum corpora sint delata. Anno deinde salutis 1297. die festo S. Marci maiorem quàm vnquam aliàs ciuitas Tremoniensis passa est cladem, cum vnius hominis incuria ignis temerè custodius & in straminа prolapsus vniuersam ferè fatali incendio consumpsit: Stantibus enim in foro per quatuor vrbis portas patuit prospectus, Sed huic mox ciuium calamitati Imp. clementer prospexere, consistorium dirimendis per Imperium litibus huc transferentes, annuos quoque mercatus indicentes, imò & lacertam vrbem (subleuando ciuium inopiam) annuis ipsi ædificijs exornantes, vnde brevi temporis curriculo absumpta flammis Diuorum templa nec non publica priuatáque ædificia pristino nitori reddita, ornatius etiam quàm ante incendium fuerant, paulatim restituta sunt. Quo etiam eò tutiores ab hostilibus incursionibus operis incumberent, fœdera cum vicinis principibus stabiliuere, præsertim cum Marcanis Comitibus, qui propterea ad annum vsque 1344. ab omni iniuria cessauerunt. Tum verò notas controuersiarum causas resuscitando Engelbertus Adolphi filius bello iterum incursionibusque eos infestare occœpit, cui vi resistere, hostilesq; ipsius conatus eo facilius frangere, ad fœdera Godfridi Comitis Arnsbergensis transiere, iunctíque se viribus impetum eius, tentatásq; sæpius insultationes eluere. Quæ re intellecta Comes victorias percupidus, insidijs rem gerere tentauit, hac ratione vt cohortes aliquot in fossa iuxta promurale vrbis noctu abderet, qui cancellos ad septentrionem quà eluuies discernitur clanculum perforarent, reliquisque qui in procinctu erant militibus aditum patefacerent. Sed proditio hæc mirificè atque vt annales referunt diuinitus detecta, perque excubitorem eius somnu præuentum à senatu instituæ, atque hactenus cum summa omnium deuotione quotannis liberatæ Reipublicæ ergò obseruatæ atque celebratæ sunt. Simultatibus verò his denique sublatis, arctissimo deinceps fœdere Engelbertus Tremonienſibus iungitur, Reipublicæ eorum defensionem recipiens, cuius etiam fœderis in Saxonia meminit Cranzius, euidentissimque testantur literæ maiori Comitis sigillo Anno salutis, 1364. consignatæ, Senatuique quoq; Secundi Ludouici, item & Caroli IV. autoritate & diplomatis abundè prospectum est. Hæc autem aliaque multa quæ longum esset enumerare concessa illis principibus, quæque alias salubriter apud ipsos constituta fuerunt, tantam apud exteros concilium illis dignitatem, vt noua sua oppida municipiáq; ad Reipub. eorum normam componere exoptauerint. Vti constat Anno Domi. 1376 renouatum est: quando post aliquot menses VVilhelmus Comes de Monte, Dux item Iuliacensis & Comes Clexensis Tremoniam absessuri cum non parua suorum manu in castris ante vrbem conspicerentur. Sed obsidio hæc interuentu principum nonnullorum soluta est, Comite tamen montis pecunia cui inhiabat, quamque meto obsidionis à ciuibus extorquere sperauerat planè frustrato. Post biennium verò Tidericus Dominus de Dinxlachen è Comitum Marckensium familia, vir irrequieto animo comitetis sibi nonnullis aliis Comitibus & Baronibus per faciales hostilitatem oppidanis denunciat, qua illi contempta, cumque aperto Marte rem ille gerere potis non esset, ad proditionem confugit, occultatis nimirum in fœna quod plausibus in vrbem adueclum est nonnullis militibus, qui diurnis ad portam Excubijs improuiso iugulatis aditum reliquæ extra muros cohorti clam abditæ patefacerent. Sed tiadem quoque in facinore per Excubitores deprehensi max pœnas (cum in alijs in vrbe proditionis conscijs) in foro amputatis cernichibus luerunt. Cuius etiam anniversariæ Deo vindici grationes olim publicæ instituæ in hodiernum vsque tempus concelebrantur. At grauiore postea anno salutis M. CCC LXXXIIX. multorum potentissimorum principum obsidione vrbs Tremonienses iterum præmitur, cuius primarius autor & Dux Fridericus de Saluerde Archiepiscopus Coloniensis extitit. Electores enim reliquique alicuius nominis Principes tum ob VVencesiai Imp. ignauiam quodcunque sibi libitum fuit, licere quoque in animum induxerant. Is igitur ne non negotium rectè succederet, in societatem belli secum traxerat Archiepiscopum quoque Moguntinum & Treuerensem, Episcopos item Ratisponensem, Bambergensem, Padiburnensem atque Osnabrugensem, Bauariæ item Ducem, necnon Fridericum Comitem Palatinum Rheni: Duces quoque Iuliæ & Montis cum non parua aliorum Comitum & Baronum manu, quibus se etiam contra fœdera tam pridem constituta sociauerat Engelbertus Comes Marckensis, quem & comitabantur Henricus Episcopus Monasterienſis Otto Dux Brunsuicensis, Otto Comes de Teckleborg, Otto Comes de Reiberge, Otto Comes Holsatiæ & de Schawenborg. Domini item de Stenuorde, Solmis, & Burchgrauius in Stromberg cum nonnullis alijs Baronibus, rari pro certo tam amplis vndiq; contractis copijs à nemine resisti posse, neq; difficile mune funarum, insessam vtrique & nunc ab Imperatore neglectam defensuq; vrbem funditus excindere, tantaque potentia facile posse edomari. Castra igitur in conspectu vrbis vndique figere, vias obsidere, Ciues sine intermissione conflictibus lacessere tormentisque ignitis diuexare occeperunt. Sed illi stipendiario milite præter suorum præsidia satis antea instructi, hostium impressiones parui facere, imo etiam eruptionibus quotidianis in hostica terra castris que predas agere hostemque muris abcedere coëgerunt. Nihilominus in obsidione pertinaces principes, per annum integrum eodem mense, erectis hinc inde qua commeatus importari poterant præsentiis & munitionibus penuria tandem Ciues ad deditionem cogere nitebantur. Quam in rem cum anxia quoque abiuncti prospectum esset, & hi conatus in cassum ternunt. Ad pacis igitur mentionem deuentum est, quæ cum frustra sæpius interuentu nonnullorum principum tentata esset, tandem à quarundam Vicinarum vrbium Legatis persuaderi sibi ciues passi sunt, vt conditiones nonnullas reciperent & tranquillitatis publicæ ergò partem aliquam bellicorum sumptuū, videlicet quatuor decim millium florenorum persoluerent. Quæ de re litteræ publicæ erectæ, documentaque consignata sunt. atque ita ab obsidione diuturna tandem discessum. Sed quæ tqs frustra admotis tot obsidibus inuerti non potuit Reipub. hæc postea inde temporibus cum recolligere sese delmisset Ciuili discordia atq; intestinis odijs penè tota concidisset. Nam seditione excitata ciues, Magistratum officijs deiumbant, in carceres conijciunt, ex vinculis causas dicere compelluni. Sua enim incuria peculium Reipub. diminutum, ærarium exhaustum, telonia vrbis vectigaliaque oppignorata & distracta dicere, imò ad vechibilionem compellere. Senatus verò licet culpam hanc in bella retracta obsidionemque nuper perpessam, sumptusque immensos propterea erogatos reijcerent, adque Tribunal Cæsaris prouocaret, tamen excusatio hæc nequiquam audita est, adeò vt viritim singuli de suis facultatibus deniq; conferre, omneque ex alienum soluere coacti sint. Quo & eo deuentum est, vt in Magistratum (qui hactenus ab ipsis Reipub. incunabilis è Nobilibus tantum familijs legi consueuerat, in eum deinceps ex sex quoque Tribubus singulos cooptari oporteret: quod anno primum salutis M. CCCC. permissum denique atque vsu receptum annales testantur hac ratione discordia motusque ciuiles tandem sopiri, pacisq; publicæ ergò pactum conuentum est vt accepta illatæque iniuriæ perpetua oblitione delerentur. Fulsus tamen hoc Reipub. infitium, lentam multorum annorum medelam vix suscepit, donec perspecto ciues periculo pariburs cum Senatu optimatibusque vtris aduigilandum esse decreuerum, ne Reipub. detrimentum caperet. Itaque vt ab externa quoque violentia tutiores fierent, fœdera iterum cum vicinis principibus sancita, simultates que anteriores vndique sublatæ sunt: quod testantur publica monumenta, tam cum Archiepiscopis Coloniensibus, quam Comitibus de Marca diuersis temporibus erecta. Mox enim à motu isto Ciuili cum Adolpho Comite Clevensi, eiusque fratre Gerhardo Comite Marcico antiqua fœdera renouantur, ipsique Comites patrocinijs vrbis in rebus difficilioribus accepiis eo nomine mutuo tribus millibus florenis) suscipiunt. Quibus se quoque filius eius Adolphus in concilio Constantiensi: Ducatus titulo insignitus, Anno videlicet M. CCCC XIX. maiore etiam quam parens benevolentia sponte obstrinxit. Post quinquennium verò perdurantibus in longum fraternis inter Adolphum Ducem Cleuensem & Gerhardum Comitem de Marca ijsdemque capitalibus dissidijs, ne ciuitas ob vicinitatem hiscè quoque motibus involueretur, apud Cæsarem prospectum est, vt Theodorus de Moerse Archiepiscopus Coloniensis temporalem quandam sui tuelam defensionemque si res postularet susciperet, quod tabulæ eius anno M. CCCC XXIV. consignatæ & subscriptæ luculenter contestantur. Hisce quoque Gerhardus Comes de Marca anno subsequente sepuet obstrinxit, vt tanto validius eorum præsidio contra fratrem Adolphum communiretur, eiusque potentiæ resisteret. Sed longum nimis foret persequi fœdera ista omnia atque amicitias toties renouatas, quæ deinceps inter Adolphum, item Iohannem Adolphi filium Ducem Cleuensem & Comitem de Marca, eiusq; successorem & filium quoque Iohannem, denique cum illustrissimo Principe & Domino D. VVilhelmo eius que parente Iohanne Ducibus Iuliæ Cleuorum Montis Comitibusque de Marca, ad hæc nostra vsque tempora intercesserunt, quibus omnibus prospectum est, vt firma pax Reipub. conciliaretur, simultatum materies sustollatur, commercia vtro citroque essent libera, denique tui ipsum æquitasque inter subditos, tam à multa annorū serie nullis dissidijs interrupta vigueret. Sed de origine atque incremento veteris Reipub. Tromannorum hæc breuiter sint satis.

Nunc tribus quoque verbis demonstrandum est, quanti olim hanc Rom. Imp. priuilegijs communierint, & quamodo integrum totius vrbis & Comitatus Ius maiorum temporibus ad Senatum populumque Tremoniensem sollicitet deuolutum sit. Inter verò beneficia à Regibus quondam accepta hoc non in minimis ponendum. Quod omnes sententiæ rerum controuersarum de quibus dubitabatur apud Senatum eius vrbis requirendæ essent inter Rhenum & VVeseram, de omnibus (vt habent statuti verba) ciuitatibus Teutonicæ quæ sunt in Romano Imperio ex ista parte Alpium, & Similiter quod, à DD. Imperatore hanc libertatē impetrauerant ne vel ad mandatum ipsius vel alterius cuiusquā principis externum militem recipere aut foras ad præstandum euocari aut sequi vllius militiam cogerentur, sed munitionem suarum defensioni incumbere tantum relinquerentur. Quod item ab omnibus vectigalibus telonijs exactionibus terra mariq; liberi vndecunque per Rom. Imperium essent, ucue à quoquam ad externa Iudicia iuniti extra territorium suum compellerentur, tam ab antiquitus recepta consuetudine, quàm Friderici Secundi Ludouici, item & Caroli IV. autoritate & diplomatis abundè prospectum est. Hæc autem aliaque multa quæ longum esset enumerare concessa illis principibus, quæque alias salubriter apud ipsos constituta fuerunt, tantam apud exteros concilium illis dignitatem, vt noua sua oppida municipiáq; ad Reipub. eorum normam componere exoptauerint. Vti constat Anonem quendam Ordinis Teutonici olim per Liuoniam Magistrum, in recensu se armis domita subactaque Curonia oppidum construxisse nouamque Tremoniam vulgari idiomate Dorpte hodie etiammum appellatam vocasse. Quod cum ad consuetudines & plebiscita vrbis Tremoniensis conformare cuperet, missa Legatione earum exemplar à Senatu facilè impetrauit, vt in ipsis literis & statutorum quæ extat formula anno salutis M. CC LXXV. ad eum transmissis videre est. Porro est comitatus vrbis & ditionis Tremoniensis à sola Regum beneficentia antiquitus penderet, tamen paulatim cum à domo Saxonica Imperij dignitas translata esset, Cæsaresque raro in VVestphalia versarentur hereditarius esse cœpit, ea ratione vt Comitum successores feudi eum nomine ab Imp. libertum acciperent. Hi igitur mediatatem Iuris sui demum in Senatum transtulere, quod luculenter demonstrat literæ à Conrado Comite anno M. CCC XLIII. senatui traditæ, quibus alienationem à maioribus suis quondam factam sub certis legibus ratam habet atque confirmat. Parvitò igitur & æquabili iure Comes & Senatus Iurisdictionem deinceps longa annorum serie exercuerum, donec Iohannes Sieckius ad quem dotalis Iure ex familia Lindenhorstana Comitatus demum deuolutus erat, alteram quoq; medietatem cum gladij nunc omnimoda potestate necnon Iure possessionibusq; suis vniuersis ex empto in Senatum libere transferret. Quam translationem Maximilianus Imp. anno salutis M. D IV. Regio suo diplomate vniuersim potestate & iurisdictione, quæ tum Comitatus Proconsulib. & Senatui cum VRIGRAVIATV eius necnon Iure vniuerso permittens liberiq; Feudi nomine contribuens. Et cum ab antiquitus recepta consuetudine bini Consules complicatis manibus osculum genæ Imperatoris præbentes (vt veteres Membranæ testantur) Comitatus Iura solerent accipere, tamē hic mos deinceps in desuetudinem abiit. Quemadmodum & anno M. D XX. Carolus V. Rom. Imp. Hilbrando de Nigris cognomento Swartzen soluta iuramenta præstanti de manu Comitatum hunc tradidit. Et Caroli successores D D. Impp hic Lamberto ille Detmaro à Berswords, pareati nimirum filioque verustæ appellatione de Apri area cognominatis eundem quoque iuramenti formulam tradidere. Senatus igitur hac ratione per Vrbem & Comitatum vniuersum absoluta potestate vitur fruitur, qui dirimendis quotidianis & tàm ciuilibus quàm criminalibus controuersijs Prætorem Vrbanum ab antiquitus recepta consuetudine præficere solet. Cuius tamen decreta si in dubium vocentur, finalibus ipsius Senatus sententijs terminari oporteat.

SVSATVM.

SVSATVM vrbs VVestphaliæ, post Monasterium, opulentissima, amplissimaque, vt quæ decem populosis sit distincta Parœciis, Primæua fundatione castrum, & vnam earum munitionū fuisse perhibent, quas VVidekindus, contra Carolum Magnum triginta annis bellum gerens, aliquoties deiectas & conuulsas, reparavit. quales etiā Eresburg & Siborg erant. Verùm alij ex Chronicis Colonienſibus & simul ex annalibus ciuitatis Lippiæ referunt, etiam tum, Soist, fortissimum propugnaculum fuisse, sub dominio Colonienſis Episcopi: Dagobertum enim hoc castrum expugnasse, debellatisq; Saxonibus, idem dedisse S. Episcopo Cuniberto, qui eius filium Sigibertum instituerat. Verùm de ista donatione nihil referunt annales vel Echertivel Corbienſis Monachi, vel Crantzij, vel Roleuingij. Hinc communi aliorum sententia perhibetur, Susatum ad ius Colonienſis Episcopi venisse, quum Henricus Leo priuaretur Saxonia. De quo paulo post, latiùs.

Colonienses & vrbis Lippiæ annales perhibent, Susatum, caput esse Ducatus Angariæ, cùm tamen hæc vrbs vltra Lippiam flumen sit sita, & alij, ad ripam Lippiæ Ducatum Angariæ se extendere scribant. Verùm, vt olim Angariæ regnum (quia interdū etiam regnum dictum est, vt testatur Crantzius in sua Saxoniæ lib. 2. cap. 26. Atque ipse VVidekindus, nonnunquam Rex Angrorum vel Saxonum dictus est, eodem in Metropoli sua teste lib. 1 cap. 9) non ad ripam Visurgi, verùm etiam vltra Visurgim se extendit, Ita fieri etiam potest, vt vltra Lippiam se extenderit Angriuariæ Ducatus, cuius caput fuerit in ea parte Susatum.

Constanti autem historicorum consensu perhibetur, Susatum Præfecturam quondam fuisse, quæ quotidiana accessione, in tantam paulatim vrbem excreuerit. Indeque Susati adpellationem natam, quòd ob loci situsque opportunitatem, ædificiorum aliquid in castrum ipsum semper accesserit, vt à quotidiano incremento, Susatum, quasi ein zuſatz/sit cognominatum. Complures pagos vicinos sibi subditos occupat, olim Præfecturas minores, quos populari nunc lingua, Die Burden/ indigetant, quòd grauamina & onera, à quibus ciues immunes sunt ac liberi, sustineant. Ager, etsi totius passim VVestphaliæ syluis, & pecorum pascuis, quàm aruis sit lætior, circa Susatum tamen atque Hammonem, frumentaria gleba fœlicior: Salinarum etiam fœcunditate commendatur. Vicinus nanque vrbi Passendorff, pagus, salinis celebris, maximam præstantissimi salis copiam, quotidiano censu suppeditat, vnde non Susatensium modò, sed & vicinorum, remotioribus passim locis, necessitati subuenitur. Earum verò salinarum dominī, patritiis, vt plurimum orti familiis, vrbis sunt ciues. Vrbs ipsa molas fex, ad communem ciuium vsum habet, quibus aqua, qua circumagitantur, detrahendæ facultas, exteris est omnis præcisa, cùm aquæ in ipsa vrbe scaturiant. Est in ea magnificum Canonicorum Collegium. D. Patroclo, qui & vrbis patronus est tutelaris, sacrum. In eo hoc tempore Præpositus est vir celeberrimi nominis Godefridus Gropperus Agrippinas, Iureconsultus, Metropolitanę Colonienſis Eccleſię Præsbiter Canonicus, eloquentia & eruditione, magnisque legationibus percelebris; Martis etiam studiis, animo, manuque fortis.

Multis ac variis priuilegiis & immunitatibus Susatienses gaudent, inter quæ id comprimis memorabile, quòd præ cæteris VVestphaliæ oppidis, non solùm in proprio, verùm etiam vicini Principis fundo, cuiuscunq; generis feras venandi ius obtineant. Vtitur præterea vrbs ipsa mero ac mixto imperio, & sub illustrissimi Cliuorum, Iuliacensium, ac Montensium Ducis clientela nunc degit: cum ante sub Archiepiscopo Colonienſi fuisset per annos ducentos, octuaginta, à tempore Friderici primi Imperatoris, quo ille Henricum Leonem, Saxoniæ Ducem, prouinciis pulsum, omni exuerat feudi dignitate. Tum & Susatum cœpit parere Eccleſiæ Colonienſi, vsque ad tempora, anni M. C C C C. XL. quando Susatienses amicitiam Adolphi Cliuensis Ducis affectārunt, quod se dicerent ab Archiepiscopo in antiquis libertatibus arctari. Itaque ad Ducem Cliuensem defecerunt, cui saluis immunitatibus antiquis, sacramentum fidelitatis præstiterunt: multis interim nunciis ac literis hinc, atque inde missis; ad Ducem, vt abstineret aliena ditione: ad vrbem, vt ad cor rediret, agnoscens (quem debebat) Colonienſem Archiepiscopum dominum in temporalibus & spiritualibus, sed cùm toto triennio, his atque aliis viis nihil proficeretur, ad arma peruentum est, Ioannis Cliuenſis Adolphi filius, tum filius familiâs, cum valido præsidio, vrbem tuendam ingreditur, salutatusque à ciuibus Princeps atque defensor, solenni iureiurando inauguratus est. Tum validas colligens copias ditionem Cliuensem ingreditur, vrbem Xanctensem obsidione cingens, quæ media ex parte, Colonienſis erat dominij, quàm cùm vi cœpisset, inde rediit Susatum, passus est ei bi obsideri. Theodoricus autem Archiepiscopus comparatis copiis, ad obsidionem se parans, multos sibi confœderatos conciliat. Monasterienſem, Hildesheimenſem, Mindenſem Episcopos, Lodouicum Bauariæ Electorem, Gulielmum Brunsuicenſem Ducem; Ioannem Nassouiæ, Gerhardum Secenum, & alios Comites. Venerat etiam illi auxilio VVilhelmus Landgrauius Turingiæ, Dux Saxoniæ inter agmina sua ducens, duo millia quingentos ex Bohemis, homines, armis iam diu innatos, & qui sine exemplo crudeliter desæuirent: Hi in ipso intinere, Ioannem de Hoya Comitem Osnaburgi, à ciuibus vinctum, solis comminationibus, è septennali & iam arcta captiuitate, in qua se vir procerus erigere non posset in sublime relaxarunt. Solus Rodolphus Traiectenſis Episcopus, & Bernardus Lippiæ Comes, partes Ioannis tutati sunt. Adolphus pater, propter senium & imbecillitatem, expeditioni non interfuit. Obsedit ergo Archiepiscopus Susatum, multis militibus armatorum (scribit Colonienſis Chronographus octuaginta millia in Episcopi castris fuisse.) Oppugnauit autē toto mense, rarò intermittens bombardarū tonitrua. Sed cùm ea non terrerent ciues, apparatis magna multitudine scalis, statuit variis simul locis inuadere murum. Erat ea scalarum multitudo, & id roboris, vt vna, tres, aut quutuor in quaque starent, & ascenderent. Oppidani aduersus ea miserunt lapides & trabes: sed omnium erat validissimum defensionis genus. Sartagines in muris disponebant per interualla, subiecto igne, pultes in aquis bulliente feruore miscebant: hunc liquorem capacibus vasis, feruescentem fudēre in armatos, scalis incumbentes. Exuperabat ea vis omne genus tormentorum, in ipsis suis armis ardore excruciati, suffocabantur. Tormenti genus incomparabile. Tali tum modo defensi muri, periēre ex scandentibus plurimi, qui pro suo debito primi venerant ad arma. Nam Bohemi facilè cessēre indigenis honorem, vt militia prælati, primi essent in periculis. Archiepiscopus eo accepto incommodo, oppugnationem deseruit. Ex hoc tempore, Susatum in iure Ducis Cliuensis permanet.

Hæc partim ex Saxonia Crantzij, partim ex Colonienſi Chronographo, partim ex manu scriptis, excerpsimus. Ea autem quæ sequuntur, ex codice manu scripto in Bibliotheca Dominicanorum Susaten. annotauimus, cui titulus, Mappa Mundi Magistri Iacobi de Susato, &c.

In VVestphalia etiam, inquit, est Susatum, nobilis illa ciuitas, antiqua & præclara, pulcherrima & ditissima inter cæteras VVestphaliæ ciuitates, abundans, opulenta, & populosa, in campo plano, inter agros vberrimos sita, muro duplici profundisque fossis circundata, turres triginta, sex principales, altas, firmas, ac pro defensione dictæ ciuitatis, si opus esset interiori muro annexas, pergirum habet & bene munitas, habet, inquam, & decem portas ad diuersas regiones exitum præbentes. Sunt ibi plures Eccleſiæ, pulchræ Sanctorum laudibus, sumptibus gloriosis consummatæ, inter quas magna est famosa Eccleſia, miræ magnitudinis, tutri maximę altitudinis, glorioſi martyris S. Patrocli, dictæ ciuitatis glorioſi patroni. Ibi Collegium clericorum die noctuq; Domino famulantium. Ibi religiosorum sanctimonialium pulchra monasteria, quæ circa Dei cultum diurnis nocturnisq; horis, diuinis obsequiis, deuotissimè in sanctitate occupantur. Erat enim hæc ciuitas oppidum olim inclytū regni Angarorū, & postea caput Ducatus VVestphaliæ, ad Duces Brunsuicenses deuolutum, sed ab Henrico Leonis, Duce Brunsuicensi deperditum propter crimen lesæ Maiestatis, impositum eidem per Fridericum I Imperatorem, Anno 14 sui Imperij, ab ipso patienter in pœnam receptū, & ab Archiepiscopo Colonienſi Reinoldo, cum toto Ducatu VVestphaliæ vsq; ad sagittæ iactum in Rhenum gratiosè datum, & sic infeudatur, quia prædictus Archiepiscopus, prædicto Friderico in obsidionem ciuitatis Mediolanensis, in qua fraudulenter, dictus Henricus Leo recesserat, fidele præbuit auxilium, & constanter. Insuper & Philippus successor Reinoldi à Friderico Imperatore iam dicto, precio quinquaginta marcarum puri argenti & seruitio corporali fortissimo & multiplici comparauit, sibi suisque successoribus à Pontificiali dignitate perpetualiter incorporauit, voluitque sibi de consilio Ducatum hunc emere precio tantillo potius, quàm in beneficia accipere propter maiorem sibi firmitatem, Hactenus ille.

SOEST.



AR NSPERGVM.

VESTPHALIA, regio formosa ac nobilis, inter Visurgim & Rhenum fluuios sita, in Hassiam serè excurrit, & ad Septentrionem Frisiis se sociat, multis & variis Comitatibus, & illustrium, nobiliumque dynastiis, dominiisque distinguitur, quæ multa Roleuingius, & post eum Hammelmannus, diuersis de VVestphalia tractatibus commemorant. Inter ea quoque Comitatus est antiquitate, auctoritate, multisque commoditatibus cæteris præstans, Arensburgicus, cuius possessores & Comites, maximè Fridericus, teste Gobelino & Crantzio VVestphalię se Comites scribebant. Sunt, qui Angersperg, haud secus, quàm Arnsperg legunt atq; pronuntiant, quasi ibi Angariæ Ducatus inceperit. Quod tamen cum historiarum veritate minus conuenire videtur, cùm Ducatus iste, ab hoc Comitatu, separatum dominium semper fuerit. Colonienſe enim Chronicon, Angariæ Ducatum prope Heruordiam, ibiq; primariam totius Saxoniæ Arcem & munitissimum propugnaculum constituit.

Crantzius lib. v. Saxoniæ cap. 25 commemorat, quomodo Luderus Comes de Stoppelberch, & Arnsperg filiam Comitis de Northem duxerit, cum qua est istum non solum Comitatum consecutus, sed etiam Brunsuicensem & Luneburgensem Comitatus, quos mater prædictæ filiæ adduxerat in dotem Comiti de Northem. Fuit enim Luderi vxoris mater Gertrudis Ecberti Marchionis Saxonis filia, quæ consensu imperatoris Henrici IIII ista dominia viro dotis loco, attulerat. Itaque in VVestphalia habuit sine dubio partem Comitatus de Arnsperg, cuius sibi vendicauit titulum, & multa iam etiam consecutus erat in Saxonia dominia Luderus, quibus hoc accessit, quod Henricus V ei attribuerit magni Ducis sine mascula hærede morientis, Ducatũ ad Visurgum, propterea, quòd ei nauauerat operam contra patrem Henricum IIII. Et quia tunc omniũ Saxoniæ Principum hæreditatem consequebatur, sine duhio etiam hoc consecutus est deinceps, quod adhuc reliquum erat Saxonibus Heroibusin VVestphalia ex istis dominiis, quæ paruerant olim VVedekindo & eius filiis.

Et non est dubium, quòd non paruas possessiones vel dominia habuerit in VVestphalia, quia pręter id, quòd ex Saxonum Principum hæreditate habuit, fuit ei quędã pars Comitatus, de Arnsperg cuius titulum gessit, quem Comitatũ amplissimum fuisse vel ex eo constat, quòd Fredericus Comes de Arnsperg, qui se VVestphaliæ Comitem scripsit, & tunc viuente Ludero partem Comitatus tenuit ibidem, potuerit suo tempore omnes fere reliquos VVestphalos subigere, Colonienſem, Monasterienſem, & Paterbornenſem Episcopos, atque alios: Et quemadmodum cum Ludero aliquando oppugnauit, & vicit Henricum V, ita rursum idem Imperator eius opera vsus est, contra Saxones: Historiæ tamen non referunt, an aliquid amplius præter istum Comitatnm vel potius eius partem ab Arnsperg habuerit, postquam auderet se scribere Comitem VVestphaliæ, quia Ottonis Bauariæ Ducis & Saxoniæ filia fuit Friderici mater.

Luderus factus Imperator, non habuit masculam prolem, sed Gertrudem filiam collocauit Henrico Superbo Bauariæ Duci, huius auus maternus, erat Magnus Dux Saxoniæ, cuius Ducatum acceperat Luderus, beneficio Henrici V quem, tamen postea oppugnauit, Et ita Henricus Bauarus cognomento superbus, redit ad maternam hæreditatem, quia Luderus imperator, ei in dotem attribuit totam Saxoniam, sub qua etiam erat pars illa VVestphaliæ compræhensa. Ex hoc natus est Henricus Leo, parens omnium Ducum Brunsuicensium & Luneburgensium, qui cum diu omnia præclarè tam in Saxonia, quàm VVestphalia gessisset, excidit tandem gratia Cæsaris Friderici Barbarossæ, A quo ex sententia Principum per publicum decretum Goslariæ omni honore, ducatu, & beneficiis ab Imperio habitis, exutus est, Atque deinde dominia, vrbes, ditionesque suæ, ad diuersos Imperij Principes peruenére.

Arnspurgicus autem Comitatus, quando ad Episcopatum Colonienſem deuenerit non vna est historicorũ sententia. Crantzius in Metropoli scribit lib. 6. Quod cum multis de causis, Anno 1164 Henricum Comitem ibidem obsedissent Episcopi Colonienſis, Paderbornenſis & Monasterienſis, atq; Henricus Saxoniæ Dux, qui fuit Leo, eiectusque Comes tandem sit castro, verum ita receptus in gratiam, vt post obitum suum, consignaret Ecclesiæ Colonienſi Comitatum, Atque ab eo tempore putat Crantzius Colonienſes Archipræsules, totam illam ditionem, antiquissimæ istius nobilitatis tenuisse.

Colonienſe Chronicon, aliter Comitatus ad Episcopatum accceſſionem refert, ex historiis Episcoporum Colonienſium, quæ manuscriptæ hanc ita commemorant. Conone Archiepiscopo Treuirenſi, Colonienſem Ecclesiam gubernante, accessit eidem Colonienſi Ecclesiæ nobilis possessio, videlicet Comitatus de Arnsperg, cum vniuersis castris, terris, dominiis, viribus & pertinentiis suis, hoc modo, Godefridus siquidem vltimus Comes de Arnsperg, habens vxorem nobilem de domo Comitum Cliuensium, cum ambo ipsi ad senilem peruenissent ætatem, & liberos non haberent, Idem quoq; Comes statum Colonienſis Ecclesiæ, in partibus Ducatus VVestphaliæ, concussione guerrarum, ac atroci bellorum ac iniuriarum incursu, tempore vitæ suæ multoties perturbasset, Tandem, sanę mentis consilio, suæ conditionis tempora recensens, & improuidè gesta, meliore commutatione satagens reformare, Idem ipse, præfata sua coniuge Comitissa similiter annuente, contulit donatione perpetua inter viuos, dictum Comitatum de Arnsperg Ecclesiæ Colonienſi, cum castris, fortalitiis, terris & domniis, hominibus ministerialib⁹ & vasallis, & cum omni patrimonio & attinentiis dicti Comitatus, Quorum quidem nonnulla de castris, opidis, atque iurisdictionibus eiusdem Comitatus, antea ad ius Colonienſis Ecclesiæ iure dicti videlicet dominij pertinentia, ab eadem Ecclesia in feudo possidebat. Et vt huiusmodi donatio præfati Comitatus, pro firmiori subsisteret stabilitate, ipse Comes cessit personaliter dicto Comitatui adhuc viuens, dimittens realiter possessionem castrorum, terrarum & omnium bonorum ipsi Comitatui pertinentium Colonienſi Ecclesiæ supra dictæ, Recipiens pro commutatione cessionis huiusmodi, certa alia bona Ecclesiæ ad æstimationem reddituum atq; prouentuum ipsius Comitatus, videlicet, nobile castrum Brule, cum suis pertinentiis, & nonnullis aliis prouentibus atque redditibus certis, ad vitæ ductum eidem Comitatui assignatis, Retentis duntaxat præfatæ Comitissæ quibusdam castellis & bonis, pro suo dotalitio, in dicto Comitu pro ipsius vitæ ductu. Idem quoque Comes, paucis postea superstes annis vita discessit, donatione quidem præfati Comitatus, ipsius obitu confirmata. Hæc, ex manu scripta Episcoporum Colonienſi historia excerpsimus.

A tempore istius donationis, Comitatus Arnspergicus, penes Ecclesiam Colonienſem permansit, cuius præcipuum opidum Arnspergum, ad Ruram situm, arcem editiore monte adiunctam habet, gratam & commodam Episcoporum residentiam, vt quę iucunda simul & vtilia venationis exercitia, piscium item copiam, ex prętерlabente Rura prębeat.

ARNSBERG.

Das kloster Winckhu sen.

Die alte Stadt

Die newe Stadt

Der weis na Soest

RVRA

FLV.

NOVESIVM.

NOVESIVM, alij Nouesum, Marlianus, & vrbis anales, Nussiam, Νόεσιον Ptolemeo Germaniæ vrbs, item Tacito, Ammiano Marcellino, Antonio Pio, alijsq; memorata. Et NIVISIVM Gregorio Turonensi, Sed Abrahamus Ortelius, ex nummorum notulis Ptolemei, omnino aliam colligit. Vrbs est Vbiorum Rhenana; quatuor miliarib. sub Agrippina Colonia distãs, quam Marlianus in Ducatu Iuliacensi, sed Ptolemei enarrato, melius, in Colonienſi diœceſi collocat. Tacitus, Legnorum gẽtem vbijs proximam constituit, & in ea, Nouesium. Eam tamen gentem, propter Vbiorum, & Menapiorum potentiam, nihil propriæ ditionis habuisse, compertum est. Hæc vrbs, à primordio, secundis Rheni fluctibus irrigata, siniſtrum situ latus illustrauit, donec fortuna minus propitia, alueum Rhenus immutans, vrbemq́ue non longo spacio adspiciens, brachium eius vsibus reliquerit. Qui Nouesiensem obsidionem Caroli Burgundionis accuratè describit, Monachus Cœnobij suburbani Noui montis. Ciuitatis inquit, Nussiensis dispositio, magis in longum protruditur, quàm in latum, Per cuius longitudinẽ ad orientalem plagam, amnis præterfluit Erppia, ibidem à Rheni fluuio absorbetur, vnde etiam ciuitas ab hac firmatur parte, nec alia habet fossata, Distat tamẽ riuus iste, itinere quasi medię horę à Rheni fluuio, & per plures gradus ab isto riuo fit ascẽsus ad ciuitatem, quæ in alto posita est. Sed ex Rheno brachium procedit, in quod intrat Erppia iuxta ciuitatem, Et istud brachiũ pariter cum Erppia, constituunt fluuiũ, ita vt maiores naues ex Rheno ad ciuitatẽ cum mercibus deferat. Et brachiũ hoc Erppia adauctũ, etiam duas, vrbi vicinas ambit insulas, vna maior, altera minor dicitur. Deinde, à tota Septentrionali plaga in latum, & pro media parte occidentalis plagæ in longum, ipsa ciuitas duplici cingitur muro, & in vtroque cõplures turres firmæ, & foris repletus est extimus murus terra, quasi vsque ad summum, vbi ambulacrum habet, vt tutam stationem defensoribus præbeat. Alia deinde media pars occidentalis in longum, & meridionalis plaga in latum, simplici cingitur muro, extra quẽ, lato & alto munitur aggere, vtrinque foueis benè defenso. Atque hæc quidem obsidionis Corolinæ enarrator. Templum est Nouesij collegiarũ Canonicorum, & Canonissarum D. Quirini reliquijs, tymbo operoso, & frequenti peregrinatione memorabile, De cuius prima fundatione, hæc, loci archiuum suppeditat.

Euerhardus Comes, & Matrona nobilis Berta Comitissa, vxor sua, diuino Spiritu ducti, sua alodia contulerunt ad construendam Ecclesiam Nussiæ, in honorem Dei, & Beati Quirini martyris, se, & alia bona sua eidem Ecclesiæ postmodum conferentes, excepto, opido Nussiensi, & duabus Curtibus, quarum vna Hukelhem, & altera Herda, nuncupatur. Quas Curtes cum iam dicto opido Nussiensi Berengero, tunc Tullensi Episcopo, suo filio contulerunt, hoc pacto. Quod ipse in eisdem Curtibus, & opido Nussiensi vsum fructum, quo ad viueret, obtineret, & post mortem suam, ipsum opidum cum Curtibus supradictis communiter possiderent, Maior Colonienſis, & B. Quirini Nussiensis Ecclesia. Postea ergo, mortuo prædicto Tullensi Episcopo, Reuerendiss. D. Anno secundus sanctæ Colonienſis Ecclesię Archiepiscopus, Anno domini 1074. Quinto Kalend. Octob. in die Dedicationis Maioris Ecclesiæ Colonienſis, paci & vtilitati prædictarum Ecclesiarum paterna sollicitudine prouidere, altercationumq́ue causas, quæ frequenter eueniunt, occasione possessionum indiuisarum, ab ijsdem Ecclesijs penitus remouere cupiẽs, de ipsarum voluntate & assensu communi, diuisionem possessionum Nussiensis opidi, & curtium prędictarum inter ipsas communium, fecit, hunc in modum. Quod Maior Ecclesia Colonienſ. Hukelen cùm molendinis, pratis, & alijs pertinentijs suis. Ecclesia verò Nussiensis, curtim de Herda, cum suis similiter pertinentijs, sine aliqua calumnia diuisim, perpetuò possidere debeant. Et quod vniuersa iudicia opidi Nussiensis, nomine Colonienſis, Ecclesiæ, excepto tamẽ iudicio Abbatissæ Ecclesiæ Nussiẽsis, quia de bonis eiusdem Ecclesiæ, in sua Camera exercere consueuit) ad ipsum Archiepiscopũ Colonienſem, tanquã tutorem, & defensorem earundem Ecclesiarum, cum alijs nonnullis iuribus dicti opidi pertinere debeant. Et ne ex tali diuisione, Ecclesia Nussiensis læsa videretur, idem dictus Archiepiscopus eidem Ecclesiæ insuper dedit duas curtes, cum pertinentijs earum, quarum vna sita est apud Vdesheim, & alia apud Langensteich prope Rhenum, quas curtes, ipse Anno Archiepiscopus, de suis bonis iacentibus apud Helmesteden in Saxonia, ab Ecclesia S. Ludgeri in VVerdena emerat. Dedit præterea eidem Ecclesiæ Nussiensi, tertiam partem agriculturæ in terra, quæ vulgariter dicitur. Artlandt/quæ sita est circa dictum opidum Nussiense. Dedit etiã præter alia iura sæpè dictæ Ecclesiæ Nussiensi, omne, quod de fermento ceruisiæ (quod fermentum vulgariter dicitur, gruit) debet, vel possit accipi in opido Nussiensi; Ita quod sine eius licentia, nullus possit ibidem ceruisiam fermentare.

Anno salutis M.L. Reuerenda Domina Abbatissa Ecclesię Nussiensis, Romam, deuotionis ergò profecta, à fratre suo, Leone nono, tunc temporis Romano Pontifice, reliquias D. Quirini Ducis Romani, & Martyris, impetrauit, & Nouesium transuexit. Qui sanguinem pro Confessione Christi profudit. Anno 274.

Quemadmodum autem multorum annorum decursu, Nouesium opibus, mercatura, & potentia floruit, ita vt sit, dum vrbes & opida, fatalia sua puncta contingunt, grauissimis etiam calamitatibus præmitur. Nam circa annum Christi 881. vt ex Sigeberti, & Reginonis chronico lib. 2. constat, Nortmannorum Reges, Godefridus & Sigefridus, Agrippinam, Bonnam, Tulbiacum, Nouesiumq́ue igne depopulantes, in fauillas redegerunt.

Sub Philippo, Romanorum Rege, ob diuersa Adolphi Archiepiscopi Colonienſis studia, qui deserto, quem prius Aquisgrani coronarãt, Ottone, Philippi Regis æmulo, huius sequebatur partes, & eidem etiã Regule diadema Aquisgrani imposuit. Vt hinc Clemens III Romanus Pontifex, eum à sede Episcopali amouerit, Brunone de Seyna, surrogato, vnde Philippus Rex cæso Ottone, hostiles in Episcopatum Colonienſem copias introduxit, Et expugnatam vrbem Nouesiensem Adolpho Archiepiscopo tradidit. Quam historiam Crantzius in sua Saxonia lib. 7. Segebertus. & alij, describunt.

Deinde Anno salutis M.CCCC.LXXIIII, vnius ferè anni obsidionem à Carolo Burgundiaco sustinuit, qui tandem, aduentante cum copijs Friderico Imperatore, solutis castris, Nouesio non expugnato, discedit. Imperator autem Nouesienſes prærogatiuis, & priuilegijs ditat, Nam immunitatem vectigalium, quæ telonarij Rhenani ex mercibus prẽter nauigantium mercatorũ exigunt, ipsis donauit, libertatem etiam cudendę pecuniæ, Edixit insuper Ciuibus, vt auream aquilam in clipeo nigro in signis militaribus vsurparent, & quaslibet senatus literas, rubra cera, obsignarent.

Sed in omnium grauissimam calamitatem infœlix Nouesium Anno 1581. mense Maio incidit, tum ob religionis dissidium, tũ ob libertatis studium, quo priuilegia, opes, dulcemq́ue libertatẽ, cum summa vicinorum omnium miseria, turpiter amisit. Quãdo cum Episcopo suo Colonienſi, solitas disputationes fouit, quando oblatum ab eo prẽsidium recusauit, & in propinqua hostiũ vicinitate, etiam monitum, nocturnas excubias negligenter habuit. Quam vrbis vastitatem, ab elegantissimo huius temporis historico, Michaële ab Isselt, in adaucta Surij historia, graphicè descriptam, in indice referimus.

NEVS

De Erfft flu.

Fluss aus dem Rhein

OCCID.

MERID.

SEPT.

ORIEN.

A. S. Quirins Munster
B. Vnser lieber frawen Capel
C. S. Claren Closter
D. Das Münsterus closter
E. Zu Marienberg Closter
F. S. Sebastians Closter
G. S. Michelsberg Closter
H. S. Alexius Closter
I. S. Nicolai Capel
K. Das Gasthaus
L. Der Kamper hoff
M. Die Ober Pforte
N. Die Zolpfort
O. Die Hantpforte
P. Die Neder Pfort
Q. Die Rheinpforte
R. Zu den stieg
S. Cranenpforte
T. Die Raufteps
V. Das Rhatthauß
X. Das Kaufhauß
Z. Die Statwage

NOVESIVM, circa annum 1206. Romanor. Rex Philippus capit, et deposito per pontificē ēpō Adolpho, donat.
Anno 1474. A Carolo Audace intrepid. fere anno obsessa.
An. 1496. Ecclesia maior fulmine tacta conflagrat.
An. 1578. Incendio Platea superior deformatur.
An. 1585. Nouenario comite decima Maij noctu occupat.
An. 1586. Post paucos dies, obsidione à Parmesi principe die 26. Julij expugnatur et capitur. Aliquot postmodum horis miserabili incendio fere tota consumitur.

IP.

VVESALIA.

VESALIAM ſuperiorem, Pirckheimerus, & Althaimerus, commentariis in Cornelium Tacitum, Voſauiam, & Ficeliam, antiquitus adpellatam, perhibent. Ibiq́ue Mammeam, Alexandri Imperatoris Matrem cæſam, atque ſepultam, Quam Chriſtianiſſimam mulierem ſcribit Abbas Spanheimenſis, lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, ex Alexandria Antiochiam conceſſiſſe, & Chriſtianam Origenis doctrinam, cum ingenti admiratione, audiuiſſe, Quod etiam in vita Alexandri, Georgius Cedrenus, græcus hiſtoricus, refert. Sed nos VVeſaliam ingrediamur. Opidum eſt, ad ſiniſtrum Rheni latus, & ſuo quondam iure, ſub Romano Imperio floruit, Cùm ante, ſub Schonenbergicorum aduocatiis, ac Burggrauiatu, alieni iuris, fuerit, Donec ſub Friderico ſecundo Imperatore A. circa annum M. CC. XXIII oppidanorum impenſa, ad Imperium Romanum peruenit. A quo tempore, nullius vnquam Aduocati, ſiue Burggrauij magiſtratum agnouit, Et ne in poſterum etiá vnquam agnoſceret, certis eſt ab Imperatore Gulielmo, Anno Chriſti M. CC. LII. priuilegiis, & libertatibus donatum. Deinde Henricus, eius nominis ſeptimus, filius Henrici Comitis de Lutzelburch, Imperator electus, VVeſaliam, & Popardiam Balduino Archiepiſcopo Treuirenſi, fratri ſuo, pro certa pecuniæ ſumma impignorauit, pro auxilio, & copiis conquirendis (vt atteſtatur in vitis Cæſarũ Criſpinianus) ad componendas diſcordias, & mutua vulnera Guelforũ & Gibellinorũ in Italia. De qua impignoratione, in Bopardiæ deſcriptione, plura. VVeſalia igitur nunc, Archipræſuli Treuirenſi paret, ſitu eſt perameno, ædificiis priuatis, ac publicis decoratur. Inter quæ, pietati dicata, maximè cõmemoranda veniunt. Hic igitur initio, viſendam ſe præbet D. Virginis Eccleſia, in ſuperiore oppidi parte, inchoata anno ſalutis M. CCC. VII. (qui annus in altis ac pulcherrimis feneſtris, chori, eiuſdem Templi, perantiquis literis, quod tamen rarum, annotatus eſt) Sed anno M. CCC. XXXI Ipſa Aſſumptionis die, in honorem B. Virginis & Annæ Matris eius, eſt conſecrata. A Balduino autem, Archiepiſcopo Treuirenſi, ex Parochiali in collegiatam commutata. Fundata autem primitus, & ædificata ex eleemoſinis Reip. VVeſalienſis. Offert de hinc ſeſe Veſtalium virginum, ordinis D. Bernardi Abbatia, quæ in Diœceſi Treuirenſi, omnium antiquiſſima dicitur. Prope mœnia deinde Rhenum verus, Xenodochium conſpicitur, in cuius Eccleſia, ſu ſupra ſummum altare, columna lignea eſt, ad quam alligatus à Iudæis, & flagellatus S. puerulus VVernerus, martyrium paſſus eſt, Vbi germanicè ſcriptum legitur. M. CC. LXXXVII. Hat Wernerus die Wammenraidt / den todt gelitten XIII. Kal. Maij Cripta etiam nunc extat, in qua perfidiſſimi, hoc facinus perpetrarunt. Corpus eius, timore perculſi pœnarum, extulerunt, & abiecerunt in locum, non procul à Bauaraco, vepribus & ſpinis obductum, quod poſtmodum ab incolis inuentum, tranſlatum eſt Bauaracum, vbi Deo in eius memoriam ædificatum eſt Templum, quod hodierno adhuc tempore ab eius nomine adpellationem habet. Quamuis martyris reliquias, Lutherani profunde in terram merſerint. Generoſus dominus, Eques & nobilis Holſatus, Henricus Ranzouius, lib. quem de annis enneaticis ſcripſit, hunc puerum à Iudæis anno ætatis ſeptimo in die paraſceues ſuſpenſum, flagellatum, membris omnibus conciſum, crudeliq́uemorte interemptum, commemorat. Eſt & Eccleſia, præpotenti Deo, S. Martini nomine ſacra, cui vnicus Rector præeſſe conſueuit, ſed cum eadem benè dotata, diues eſſet ſub Diethero Archiepiſcopo Treuirenſi, Anno ſalutis M. CCC. III. facta eſt collegiata, & perpetua fundatione ordinatum, vt eſſet Præpoſitus ibi, Decanus, Et quinque Canonici.

BOPARDIA.

BODOBRIGA, Germaniæ opp. ſiniſtrum Rheni latus, ſitu iucundo exornat. Bopardia, Boparten eſt, vt Pirckheimerus cenſet, Telonio innoteſcit. De primis eius initiis, pauca apud probatos Auctores leguntur, Niſi, quod Munſterus, B. Rhenanus Rerum Germanicarum lib. primo. & tertio, Et Andreas Althaimerus in Tacitum, referant, quod Conſularis Dux, qui eo tempore, quo nondum Germania tota paruit Romanis, ſedem habuerit Mogunciaci, & ſub ſe Præfectos militares vndecim, quorum vnus Bodobrigæ tunc nominatæ, nunc verò Bopardiæ, conſederit. Illud quoq; conſtat, quod Druſus, quinquaginta & plura caſtella, per ripam Rheni erexerit, inter quæ Bopardiam, vnum fuiſſe, multi viri docti, exiſtimant; Cuius rei, magnum etiam argumentum eſſe poſſunt, vetuſtiſſimæ, & quadrangularis ſtructuræ, rotunda illa in muris munimenta, murorum altitudinem non excedentia, ſine turribus ſupernè plana, æqualibus interuallis diſtantia. Eſt & peruetuſtus, manuſcriptus liber, ſed anonimus, qui Oppenheim, Ingelheim, & Bodobrigam, vno eodemq́ue tempore conſtructa perhibet. Vnde autem Bodobrigæ nuncupatio, dubium eſt. Apud Antoninum, Boudobrica, In inſtrumento, & perantiqua Eccleſiaſtica donatione, Bochbarda legitur. Nam Otto tertius Imperator, qui eſt fundator Eccleſiæ collegiatæ S. Martini apud VVormatiam, donationem fecit ipſius Eccleſiæ, in cuius literis, ſic legitur. Ad Eccleſiam S. Martini, infra muros VVormatienſes conſtructam, dedimus quandam, noſtræ proprietatis Eccleſiam, in villa Bocharda nuncupata, infra noſtram regiam Curtim ſitam &c. Data Idib. Septembris, Anno dominicæ incarnationis D. CCC. XCI. Indictione ſexta, Anno autem III Ottonis regnantis, Imperij autem ſui primo. Actum, Romæ feliciter. Bopardienſe autem oppidum, eadem ratione, qua & VVeſalia, ad Archiepiſcopatum Treuirenſem deuenit. Ab Henrico enim ſeptimo, eius nominis Imperatore Balduino Archiepiſcopo Treuirenſi, ipſius fratri, impignorata fuerunt. Nam, Anno M. CCC XI. Balduinus ſuæ Eccleſiæ, quod Bopardienſes & VVeſalienſes in Sturis, & aliis Treuirorum Archiepiſcopo obediant, & intendant, in pignore, ab Imperatore beneuole obtinuit, quod vtiliter impetrauit. Sic enim legitur in literis, ſuper hac impignoratione erectis, & datis, apud S Caſſianum in caſtris, ante Florentiam, Anno Domini M. CCC. XII. Regni Hinrici quarto, Imperij primo, VI Idus Decemb. Quare non ſub Conone Archiepiſcopo; ſicuti malè narrat Cratapolius, in ſuis Epiſcoporum Treuirenſium Rhapſodiis, hanc impignorationem factam, conſtat. Cono tamen, ſummã pecuniæ impignorationis adauxit, vt eo difficilior eſſet redemptio.

Legitur quoque in geſtis Treuirorum &c. Mortuo Henrico ſeptimo, ſucceſſit Ludouicus Dux Boiariæ, Ab illo rurſus libertates ſuæ Eccleſiæ, & priuilegia fecit innouari Balduinus.

Item, Anno, M. CCC. XV. Ludouico Cæſari, aduerſus Fridericum Auſtriacum, Balduinus in prælio fortem nauauit operam apud Spiram, tam auxiliis militaribus quam re frumentaria, quo loco, multa Eccleſiæ ſuæ priuilegia impetrans, Bopardiam, & VVeſaliam, & additionem Golgenſcheidt, in pignore ſuæ Eccleſiæ, cum Hulda acquiſiuit.

Item; Anno. M. CCC. XIX Balduinus auxilio venit Ludouico Cæſari, aduerſus Fridericum Auſtriacum apud VVisbaden, vbi, cedente Friderico, vti Bopardienſes, ſi nollent ipſi obedire, authoritate Regia diffidare poſſet, impetrauit, Quam obedientiam, cum negarent, Balduinus, auxilio Epiſcopi Moguntini, magna vi Bopardienſes inuaſit, perruptis portis, & incenſa oppidi parte cum ſuburbio (quod tamen præter voluntatem accidit Epiſcopi) ipſos in ordinem redegit, vt gratiam ab eo poſtularent, & illi, eiuſque Eccleſiæ ſubiectionem, & fidelitatem iurarent. Hinc videre licet, quod non ſub Conone, prima impignoratio facta ſit.

Prope Telonium, quod ædificatum eſt caſtrum, dicitur Balduinus, vt Bopardienſes in officio contineret, erexiſſe. Iuxta Bopardiam Arx vetus eſt, quam Vulcani rabies deformauit, Domus Regia vulgò nuncupata, Quæ in poteſtate Baronum eſt, vulgus. Die Bayrherrn von Boppart adpellitat, qui multa caſtra in Lotharingia poſſident, vbi, vt plurimum, morari conſueuerunt. Hæc autem regia domus Anno M. CCCC. XCVII à Bopardienſibus, in obſidione ſecunda Brandenburgici Ducis, ne hoſtis eſſet munitio, incenſa eſt. Torrens, hanc præterlabitur domum, inde nomen habens, Die Bõnigs Bach, originem habet ex ptoximis ſyluis ad oppidum pertinentibus, Reipub. eò commodus, quod ſeptem per illum molæ agitentur. Primaria oppidi Eccleſia S. Seuerum Epiſcopum quondam Rauennæ Patronum agnoſcit, qui inditio columbæ, ex laico, ſubito, factus eſt Epiſcopus, Quemadmodum eius memorat hiſtoria. De fundatoribus ſummi Monaſterij, hoc eſt, B. Mariæ virginis in monte, Cratapolius in Annalibus Epiſcoporum Treuirenſium, refert, ſub temporibus Arnoldi octuageſimi ſexti Archiepiſcopi his verbis, Monaſterium B. Mariæ extra muros Popardienſes, Benedictinæ profeſſionis Monalium, temporibus Henrici quarti Imperatoris, ac huius Præſulis, ex bonorum hominum eleemoſinis fundatum, hic Arnoldus Archiepiſcopus Treuirorum promouit, & illi benè proſpexit. Eſt & hic Carmelitarum inſtituti Monaſterium, cuius ſacra ædes, multa nobilium & Magnatum ſepulchra habet.

Ober Wesell.

Schonenberg

S. Mariæ paro chiale templum

S. Martini parochia

Hospitale

Orhßen thorn

RHENVS FLV.

Vosauiæ alias Ficeliæ Ciuitatis ad Rhenum sitæ exactissima delineatio, Quæ Germanico Idiomate Ober Wesell vocatur.

Boppart

RHENVS FLV.

Bodobriçæ Ciuitatis ad ripam Rheni collocatæ peramœnus situs, quæ hodie Boppart dicitur

DANIA.

DANIA, terra continentis extrema in Arctos extensa, quas habet solidi & continui tractus partes, eas, magna vndarum interruptio, pro varia freti reflexionis obliquitate discriminat, Ducatum Holsatensem, Thietmarsensem, Slesuicensem, Scaniam, Hallandiam, Bleckingiam & Iutiam prouincias habet, & insulas mira amœnitate præstantes non paucas. Regio titulo decoratur.

SCANIA, magnitudine & opibus, facile superat reliquas regni prouincias. Alij nuncuparunt hanc Daniæ partem Scandinauiam, pro Schondania, id est amœna Dania, Alij Scaniam, atque alij Sconingiam. Multis igitur à scriptoribus compellatur nominibus, Scondia, Schondermarchia, Schondania, id est, amœna Dania. Plinius aliquo loco Scandiam & alio Scandinauiam nominauit: sed mansit illi vsitatius Scondiæ nomen, quod pulchritudinem significat, quoniam cæli beneficio, telluris obsequio, portuum & emporiorum commoditate, maritimis opibus, lacuum & fluminum piscatione, venatione nobilium ferarum, inexhaustis diuersi generis metalli venis, opidorũ frequentia, ciuilibus institutis, nulli cedit beatæ regioni. Atque ita quidem de Scania scribit Daniel Cellarius, auctor speculi Germaniæ, qui vnico elogio, sub hac Daniæ parte, etiam Bleechingiam cum Hallandia comprehendit, sed nos de Schania separatim. Ea regno Suetiæ continens est. Et nequaquam vt Crantzius, aliorum relatu deceptus refert, vndique aquis cincta. latitudo duodecim, longitudo octodecim est miliarium. Media est inter Bleeckingam prouinciam & Hallandiam, quarum illa, ad austrum, hæc ad Boream clauditur: est autem regio Daniæ pulcherrima, armata viris, opulenta frugibus, diues mercibus, Ecclesijs plena, passim arcibus nobilium, curijs, prædijs, & monasterijs ornata. Metropolis in ea est Londa, siue Lundia ab Ellebagen tribus miliaribus, distans, agrorum circumquaque iacentium fœcunditate fortunata. Vbi traiectus ex Cronenburgo in Scaniam, Arx est Regia, excelso in mõte, Helsingborch, & iuxta, opidum eiusdem nominis, inde tribus miliaribus in meridiem, alia est ad mare Arx, Landeskroon, ex qua ad Malmogiam, quæ & Ellebogen dicitur, duo sunt miliaria. Est ea insigne emporium, & præcipua totius Scaniæ ciuitas propter nundinas & frequentes negotiationes. Hinc, duobus ad austrum miliaribus, est Falsterby, vicus, ob Halecum capturam celeberrimus, ad quem certo anni tempore, ex diuersis Germaniæ Daniæque ciuitatibus mercatores conuenire solent. Fuit hæc Halecum captura, olim circa Rugiam, & in littore Pomeranico, sed peccatis populi crescentibus, inde in littus aquilonare migrauit ad iam dictum vicum Falsterby. Verùm paucos ante annos, captura etiam illa ratior est facta, & sensim in Mastrandiam, quæ in primo aditu Noruegiæ ciuitas est, declinauit, vbi hodie, & in locis occidentalibus, maximo emolumento capiuntur. Est Scania ferax omnis generis frumenti, gens bellicosa. Nam ea, vbi bellum cum Suecis gerendum, prima ceu limitanea, ad arma vocatur, vnde ferocior cæteris. Inter præfecturas, quas Heret, vocant, maiores Suetiæque finitimæ sunt. Gedinghered, & Frosten. Ex quibus Daniæ præfecturis, duobus itineribus, sed admodum difficilibus in Suetiam peruenire potest.

HALLANDIA, à parte aquilonari, Scaniæ est proxima, quæ Noruegiam versus Boream, ab ortu, Suetiam attingit. Initium, vbi Scaniæ continua, ab immenso promontorio sumens, quod Hallandt Aafs, nauiæ verò Kollen nuncupant, & secundum littoralem tractum vsque ad Elfeburgum, Sueticam arcem extenditur. Ad ortum, eam Suetiæ partem attingit, quæ VVestergotia dicitur: magna agrorum fertilitate prædita. Hinc vrbibus, arcibus, templis, Nobilium habitationibus, prædijs, & pagis passim exculta. Sed, quibusdam in locis proximo bello Suetico nonnihil deformata. Ciuitates maritimæ sunt, Hallandt Aas, Lahelm, Helmstede, Falckenburgum, VVarburgum, sexto inde miliari Elfeburgum, regni Suetię Arx. In littore Hallandiæ, innumeræ sunt insulæ atque scopuli, sine nomine, quorum series se latè circa Noruegiæ littora, & promontoria extendit. Frumentis & piscibus abundat, cigni, grues, anseres, anatesque syluestres, quæ magnis agminibus æstiuo tempore eò commigrant, ad maris litus, & in lacubus, ingenioso & subtili aucupio capiuntur. Et, cùm in hac regione passim nemora sint, ac syluæ, in quibus lupi, cerui, capreoli, vulpes ac lepores abundant, hinc multum operæ venationibus passim impenditur. Quin & boum, & equorum numerosa agmina in Germaniam quotannis emittit.

BLEKINGIA, tertia Scaniæ prouincia, ad Austrum porrigitur, non procul ab ea Suetiæ parte, vbi Colmariana ciuitas, eum aree sita est. Germaniam respicit, & has habet ciuitates, vel ad mare, vel ad sinum aliquem maris sitas. Trelleborgam, Istediam, Santhamer, Ahusium, Selsburgum, Ellcholmiam, & Rottenby: quæ ad fines Suetiæ sita est. Incolæ, vt plurimùm cum Germanis maximè verò cum Lubecensibus & Prostochiensibus, frequentes negotiationes exercent, agros colunt, sed potissimum pascuis gaudent. De his iam commemoratis tribus Daniæ prouincijs, bene scribit Crantzius, quod simul iunctæ, spacium conficiant duplo amplius, quam vicina, quàm statim ingrediemur, Zelandia.

NOBILISSIMVS totius Europæ sinus, vulgo Or Sundt Scaniam à Zelandia dispescit. Ita per excellentiam hoc Danicum fretum vocatur, alioqui generatim Sundt, quoduis fretum designat. In hoc autem sinu pro mercibus vitro citroque exportandis, rursumque inuehendis, aliove transuehendis, reddenda est ratio. Qui secus faxit, capitale esto, & bona, quantulacunque subtracta, regio fisco cedant. Hac ergo velificantes, dorsumque maris secantes, quocunque soluerint, has fauces intrare, debitumque portorium, velis deductis, regio quæstori pendere tenentur, quibus transmissis, mox alij onustiores, rationem reddituri cæteruatim appellant. In hoc igitur freto Daniæ Rex, omnes quasi Europeos negotiatores domare potest. Vidimus id nostris temporibus, Anno 1587. quando nobilem & aurcum hunc sinum Rex claudens, Hollandos atque Zelandos mirifice anxios reddidit, quorum sexcentæ naues ibidem detentæ sunt, ob illatam iniuriam Regio legato Caio Ranzouio viro Nobili, quem Rex cum literis & mandato Bruxellam ad Ducem Parmensem eiusdem anni Ianuario Mense, ablegârat: Vbi in reditu rebus fœliciter actis & catena aurea cum effigie Ducis Parmensis donatus à Statuum militibus, tertio à Bruxella miliari captus, Bergam ad Zoomam, inde Regijs referatis literis, & crepta catena aurea, xvij. Ianuarij Hagam Comitis in Hollandiam deducitur. Et ita tandem grauioris periculi metu, dimittitur. Ad tantam vindicandam iniuriam, Daniæ Rex sinum hunc claudit, & sexcentas Statuum naues in eo retinet, donec multam persoluerent triginta millium imperialium, dalerorum. Ex quibus Caio Ranzouio, ob captiuitatis perpessas iniurias, decem milia Rex gratiosè donauit.

PORRO, etsi omnes naues inter Schaniam, & Zeelandiam, per nobilissimum hoc fretum nauigare soleant, tamen frequenter accidit, vt minora nauigia, quibus ab insulis & locis vadosis minus est periculi, ex Holsatia & Lubeco vicinisque regionibus soluentes, per Balticum mare nauigationes suas instituant, ita tamẽ, vt in opido Niburg. consueta vectigalia Regi Daniæ persoluant.

ZELANDIA, inter reliquas Regni Daniæ insulas, maxima sequitur, cuius longitudo xvj. latitudo xiij. est miliarium. Habet ciuitates xiij. Arces Regias septem. Parrochias propemodum septingentas. Traiectus in hanc insulam multi, breuissimus ex Helsinburgo Scaniæ, cui ex opposito Zelandia exhibet Arcem veterem Regiam CORONEBVRGVM munitissimam & inexpugnabilem, Friderici Regis opus. Cuius peculiarem descriptionem damus. Insula hæc, rura habet pinguia & fertilissima, absque stercoratione segetes omnis generis proferens. Saxonis historici patria. Vrbiũ in Mediterraneis præcipua, ROTSCHILDIA est, sic a Roe, id est Reye, et fonte admirando appellata, qui editiore loco situs, perennes vndarum scatebras euomit. Huius etiam vrbis accuratam descriptionem dabimus, à nobilissimo viro Regio Cancellario D. Nicolao Kaas nobis præsentatam, peculiari volumine, quod de sola Dania meditamur. HAFNIA, Regni Metropolis, à portu mercatorio, & nautico consessu commodissimo nomen trahens, Academia inclyta, Regiam hanc insulam exornat: Versus aquilonem HELSINGORA est, vrbs littoralis. Sequitur deinde Arx omnium magnificentissima, quam Rex Fridericus secundus villa diruta, loco omnium amœnissimo singulari apparatu condidit, eamque de suo nomine FRIDERICI BVRGVM nuncupauit.

FIONIA proxima est, Insula aliquanto minor Zelandia, sed fertilitate fœlicior. Copioso enim frumentorum prouentu ita abundat, vt ad remotissimas regiones ea quotannis passim emittat, præsertim siliginem & hordeum. Quemadmodum etiam annuatim numerosos boum & equorum greges Germanis suppeditat. Qui littora inhabitant, præter agriculturam, piscationibus etiam incumbunt, vnde haud contemnenda rei domesticæ compendia sibi comparant. Nec desunt, ob multas per totam insulam syluas, ceruorum, capreolorum, leporum atque vulpium venationes. In eius quasi meditullio, Metropolis est OTTONIA, vulgo, Ottensehe, Vrbs Episcopalis ab Ottone primo, multorum testimonijs ædificata, circa ea tempora, quando Heraldum Regem ad fidem Christianam suscipiẽdam impulisset, cuique filium Suetonem è sacro fonte suscepisset. Hæc vrbs, emporium est Insulæ præstans, in quo circa festum Epiphaniæ insulanorum, ac præcipuè nobilium frequens conuentus, sicut Chilonij in Holsatia celebrari solet. Circum Ottoniam veluti centrum, æquali prope distantia, reliquæ ciuitates in maris littore, ita sunt conditæ, vt portuum situsque oportunitate, negotiationes suas non solum in mari Baltico, verùm etiam per Suetiam, Noruegiam, Russiam, Belgium, atque Germaniam latè exercere soleant. Nomina earum hæc sunt: Niburch, Sieinburch, Faborch, Assens, Bogens, Middelfart, Kettemynde. Regias Arces Fionia quatuor habet Neuburgum, Hagenschouvv, Hinsgagel, Escheburg, Et curiam Rugard. Pagos complures, & Nobilium prædia non pauca. Est enim hæc insula ob cæli amœnitatem, & iugera fructuosa, Nobilibus viris gratissima. Sunt etiam quædam in hac insula loca, bellicis præliis nostra memoria nobilitata. Est enim mons quidam Oschenberg, non procul ab arce Hagenschovv, in quo Regis Christiani tertij auspicio Ioannes Ranzouius Eques Auratus dux belli, ingenti prælio deuicit Christophorum Comitem Oldenburgensem, Anno Christi 1535. die xj. Iunij, quo in cõflictu duo Comites, alter Hoiensis alter Tecklenburgensis interẽpti sunt, quorum cadauera postea loco pugnæ effossa, Ottonium delata, & in templo S. Canuti sunt sepulta. Circa idem etiam tempus in monte Faufcheburg, qui milliario distat ab opido Ascens, aliquot rusticorum milia cæsa sunt atque profligata. Plures Fioniæ adiacent insulæ minores, numero xxxv. omnes ferè habitatę & culturæ, quarum Langelandia maxima. Has autem omnes ob huius loci angustiam, in Indice, breui narratione describimus.

IVTIA occidua pars Daniæ quam Ptolemeus Chersonesum Cimbricam appellitat, inter duo maria longè in Boream, quemadmodum Italia in austrũ porrigitur. Ab albi flumine ad Aquilonem, octuaginta prope miliaribus germanicis ad opidum Scagenn porrecta, multas amplas, & insignes regiones comprehendit, latitudo eius, vbi maxima, nempè circa Aleburgum xx. miliaria habet. Ea autem duplicem constituunt Meridionalem & Septentrionalem, in Meridionalis Iutiæ ex Saxonia aditu, sita est Holsatia, quæ veteribus, quòd à reliqua Germania, per Albim fluuium ad boream diuulsa sit, atque intercluſa Nordalbingia est dicta, ac Romani Imperij boream versùs extrema ditio, ac limes semper fuit. Eamque ob causam, Imperator Henricus Auceps, limitaneam præfecturam, in vrbe Slesuicensi non nihil imperij limites prætergressus, constituit. Habet autem Iutia pro termino australi Eidoram fluuium, qui ad occiduum decurrit, exitque in mare Britannicum, Frisios dirimens à Thietmarsis, limes proinde Daniæ atque Holsatiæ. Sequens autem Regio, Slesuicensis Ducatus est, quæ & Iutia australis dicitur, Ab Eidora decem & octo miliaribus, ad Koldingam vsque protenditur. A merropoli Slesuicensi, & peruetusto emporio nomen habet. Olim Iutiæ Ducatus adpellabatur. Quem VValdemarus Abelis Regis Daniæ pronepos, primus in feudum accepit abs Erico Rege, circa annum M.CC.LXXX. Extincta autem Regum ac Ducũ stirpe masculą, & Ducatu Slesuicensi cum regno in vnũ corpus redintegrato, Margareta trium regnorum regina, ducatum Slesuicensem permisit Gerhardo Comiti Holsatiæ, hac conditione, vt à Rege Daniæ collatum beneficium recognosceret. Reliqua autem terra à Koldinga Iutia borealis vel Cimbrica septentrionalis dicta. Noruegiam versùs se extendens, ad promontorium cimbricum, iuxta Schagen, ob syrtes, & vadosum, ijs in locis mare, nautis celebre, ac metuendum opidum, in cuneum coarctata desinit, & ad decem germanorum miliarium spacium in mare excurrit. Sed Iutia, quæ austrum respicit, angustissima est prope Slesuicum, vbi Irea fluuius ab occasu, & Silia ab ortu Istmum faciunt. Quem primò Godefridus Rex Daniæ contra Carolum Magnum, tanquam limitem regni sui excitauit. Post-

modum

HENRICVS RANZOVIVS, FRIDERICI II. Daniæ Regis intimus consiliarius, tam vtriusque Ducatus Slesuicensis et Holsatiæ, quam Dithmarsorum Gubernator &c. Fruditor, singulare præsidiū, Sic patriam opusq; nostrū exornabat.

SEPTENTRIO.

Traiectus ex Schagen in Norwagiam est miliarium 8.

Schagens ref

Promontorium Hornsus a nautis dicat hertshals

A Christofferberch, A Christophoro Rege, sic dictus, vbi tumultuantium rusticor, copias superauit.

B Ottesunt, Eo, quod Otto I. Imp. hinc in Iutiam Tirholm fidei propagandæ causa, traiecerit.

OCEANUS OCCIDENS

Wensussel

Westa peninsula

WENSSYSSEL

Norder Iudland

CIMBRICA CHERSONESVS

Suder Iudland

DVCATVS SLESWICENSIS

HOLSATIA

KEDINGER LAND.

Dithmarsia

MARE OCCIDENTALE

RANZOVIANÆ DOMVI NVNCVPATV.

De Helmes

De Trendel

Rom

Leis.

Halhauen

Hals

Lymford

Egens

Dockedal

Sellegard

Ad Alborch Opp. loco, cui C. adsignatum, seditiosa rusticor multitudo quae ad XXV. millia excreuerat contra Christianum Regem insurgens a Strenuo, ac nobilissimo belli duce, IOANNE RANZOVIO, caesa est, ac dissipata, capto eorum ductore Clemente, nauclero, qui plumbea diademata coronat. iustas scelerus poenas, luit.

Ex hoc littore traiectus in Hallandiam, est miliarium triginta.

Anholt

Wederoe

Hallands Aas

Wedder

Kyholm

Samsoe

Alroe

Gernoe

Hellenis

Lun

Samps

Kallenborch

Esrum

Helsenor

Elsenborch

Kiøgeborg

Corsoer

Ringsted

Roschilt

Copenhage

Solthom

Nyborch

Stege

Nestued

Wordingborch

Pregstou

Moena

Langelant

Lagnus sinus, quē contemnit Cimbris Ptoleneus tradit

Femern

Fehmarn

Wagria

Stormaria

Holsatia

Lubeck

Hamborch

Bremen

Stade

Nieuwerk

Heilligenland

Büsen

Ripen

Hadersleus

Apenrade

Flensborch

Tundern

Sildia

Amrō

Foere

Ostfriesland

Oldenburg

Aterendorp

Elsborch

Nylos

Gefwar

Oscloster

Horne

Warborch

Falckenberg

Trudsholm

Vlmenes

Osterg

Westede

Helmstede

Snæstorp

Fulling

Kulberg

Jenekoping

Vesbo

Ostbo

Wexoe

Calmarn

Sunderbo

Wernemo

Gedinges Herret

Engelholm

Hiertz Closter

Knapperop

Gunesstorp

Tomrop

Bosecloster

Erichsholm

Witschol

Longeby

Landeskron

Lynden

Scharholt

Ellebagen

Akvs

Helsborch

Landa

Hannor

Falsterbo

Trelleborch

Nex

Santhamer

Alant

Suoneke

Smalandia

Scania

Blekingia

Gothia

Mare Orientale

Mare Balticum

Sinus Codanus

Sinus Venedicus

Orientalis

Occidens

Meridies

Ripa Cimbrica

Ripa Germanica

Ripa Saxonica

Ripa Belgica

Ripa Gallica

Ripa Hispanica

Ripa Britannica

Ripa Scotica

Ripa Hyperborea

Ripa Sarmatica

Ripa Prussica

Ripa Livonica

Ripa Moscovitica

Ripa Tartarica

Ripa Asiatica

Ripa Africana

Ripa Italica

Ripa Graeca

Ripa Turcica

Ripa Arabica

Ripa Persica

Ripa Indica

Ripa Ethiopica

Ripa Nubica

Ripa Mauritanica

Ripa Hesperica

Ripa Atlantica

Ripa Americana

Ripa Magellanica

Ripa Australis

Ripa Nova Guinea

Ripa Nova Britannia

Ripa Nova Hollandia

Ripa Nova Zelandia

Ripa Nova Francia

Ripa Nova Hispania

Ripa Nova Anglia

Ripa Nova Scotia

Ripa Nova Gall

modum Thira Regina Daniæ, Heraldi Regis mater reparauit. Deinde Margaretha Regina Daniæ, cui nomen inditum Nigræ, mater Canuti Regis, tertiò muris & fossis amplissimis firmari fecit. Et Denneverck, etiamnum vocatur. Verum de mirabili hoc Danorum vallo, consule indicem, dictione, Slesuicum. Et peculiarem, de Slesuico, tabulam.

ANGLI SAXONES sedes suas olim habuerunt inter Iutiam & Saxoniam quæ terra inter Iutlandiam & Holsatiam, Saxonum in angulo sita est, & Slia flumine ac opido, ab vna parte clauditur, ab altera verò sinu freti atque vrbis Flensburgensis terminatur. Hi autem Angli, à Britannis inuitati tribus longis nauibus, cum copijs auxiliaribus, quas ipsis adiunxerunt Iutæ & Saxones, sunt delati. Quod illis factu facilis fuit, cùm sint portus optimi in Oceano occidentali, ex quibus in Britanniam, paucis diebus, traijcere potuerunt. Cùm autem Britannia, ab illis defensa esset, non soluris stipendijs, perpetuum domicilium & sedes in ea fixerunt. Et Britannia à nouis incolis nomen accepit, quod hodie retinet, quemadmodum & lingua eius gentis, multum habet affinitatis cum Danica. Quod plurima vocabula vtrique genti communia ostendunt. Hac igitur occasione Britannia ab Anglosaxonibus occupata, in duo regna Anglorum, & Scotorum est diuisa, vt Beda, Crantzius, & Cimbrorum annales testantur. Erra nt igitur cæteri, qui Anglos ab Engers in VVestphalia, aut ab opido, Ancklen Pomeraniæ, ortum habuisse scribunt. Constat enim ex Ptolemeo, & Cornelio Tacito, Anglos, antiquissimos esse terrarum Septentrionis ad Oceanum incolas. Tacitus enim Anglos coniungit Arios, Elisios, Maximos, qui eam etiamnum adpellationem retinent, nimirum, Ar, Alsen & Mone, Quæ sunt vicinæ insulæ subiectæ Regi Daniæ, & Ducatibus Slesuicensibus. Beda etiam recenset diuisionem Britanniæ inter Saxones, Anglos, & Iutas. Hæc Illustris & Nobilis vir D. Henricus Ranzouius, tractatu de periodis imperiorum, accuratè obseruauit.

Iutia porro ab Isthmo, ad Danicum opus, paulatim sit latior, vt ferè manus, si à brachio inceperis, formam repræsentare videatur. Est tritici, siliginis, hordei, & panici ferax, præsertim quæ ad ortum vergit. Nam occidua pars, aquiloni proprior, frumenti minus fertilis est, sed pascuis vbique abundat pinguibus. Hinc aliquot boum, & equorum millia, quotannis in Germaniam emittit. Vrbes habet xxviij. Episcopatus quatuor: Ripensem, Arhusiensem, Aalburgensem, vrbes sunt celebres maritimæ, & VViburgensem, vrbs mediterranea, ob comitia regia maximè celebris. Habet & Iutia Arces Regias xx. Monasteria xiiij. præter ea quæ passim in ciuitatibus existunt. ARHVSIA, emporium est celebre, ob portum, quem ingens illud promontorium Hellenis efficit, quod ab arce regia Kalloe, per ditionē Mols, vsque ad altissimum montem Ellemansberch, ad duo milliaria se extendit, & tam suo, quàm insularum aliquot obiectu, placidum nautis æquor efficit. Ab Arhusia equilonem versus, quinque miliaribus ingens sinus ad opidum Hobro, Iutiam ingreditur. Ab hoc sinu, quinque sunt miliaria ad ALBORGVM emporium ijs locis, & frequens, & celebre. Nam Lunfurdt, maximæ profunditatis sinus, grandiores etiam naues, ad ipsos Alburgi mures deducit. Et totam VVensliam à reliqua Iutia, præter exiguam continentis portionem diuellit, & paulatim ab Alburgo ad occasum vergens, adeo se dilatat, vt aliquot insignes insulas contineat. Sunt & aliquot opida, vt Lemvvick, Tisted, Nicoping, præterea, aliquot insignia monasteria, ad istius sinus ripas, condita. Hinc non multum distat, angustum illud spatium, quod est inter Oceanum & sinum Lunford, Harbooer vocitant, adeo exiguum & humile, vt spirante vehementius Circio, intumescente que Oceano, fluctus exæstuantes, se in sinum aliquando effuderint, & pisces ex salsugine aquarum, sint mortui. Ab hoc Isthmo duobus miliaribus ad ortum, est insula, olim Ottonia, nunc verò Thirholm, à Regina Thira nuncupata. Sinus, quo in insulā hanc aditus patet Ottosund, vulgò dicitur, cuius in sua Dania Crantzius lib. 4. cap. 19. meminit. Hinc boream versus, traijcitur in Insulam Morsoe quatuor miliaria longam, inde in Prouinciam Salling à littore aquilonari, vbi ex Morsoe in VVensliam tra iectus est vnius miliaris.

VVENSLIA, peninsula, triquetra est quasi, cuius latus breuissimum ab Alburgo in Schagen, quatuordecim est miliarium, vbi in conum desinens, paulatim se ad solis ortum æstiuum inflectit. Hic est ille Iutiæ angulus, ob pericula, nautis adeo infamis & formidabilis. Nam ingens dorsum & Syrtis longissimè se in mare protendit, vt, qui turiò, & citra periculi metum esse volunt, non propius, duobus miliaribus, ad littus accedant. Tale est omne Iutiæ litus occidentale, vt, qui in Noruegiam, vel ex Oceano in Orientem nauigare intendunt, longo circuitu Iutiam euitare cogantur. Sunt tamen quatuor omnino montes in hoc longissimo littore, ex quibus nautæ suas habent obseruationes, & indicia. Incolæ piscaturam exercent. Cùm autem portum, & fidā nauibus stationem non habeant, naues suas ex alto venientes, conuocatis in subsidium socijs & vicinis, ex mari in littus pertrahunt, vsque eo, quo fluctus maris transcendere, easque leuando tundendoque lędere minimè possint. In ligneis domibus ex tabulis & asseribus constructis, habitant. Cùm verò solum quod incolunt, vndique sit arenosum, quod ventus in quamcunque partē, ceu niuem impellere soleat, sæpe accidit, vt arena eorum domunculas inuoluat, vt manè surgentibus, nisi per summa tecta, nullus pateat exitus, quare studio, sic leui structura sunt compactæ, vt non magno dispendio, ab vno in alium locum transferri possint.

Hæc Iutiæ regio passim compascua, quo fit, vt singulis annis, multa pecorum millia longinquas in terras emittat. Nā constat, quod ex ista & alijs Daniæ prouincijs, quibusdam annis, vitra quinquaginta millia boum in Germaniam sint abacta, de quibus Gottorpiæ vectigal est depensum.

Quod Crantzius historicus ex Mela refert Iutiam inculta frugibus esse, sit sanè ita, si Melæ ætatem respexerimus, si verò, qualis nunc est, æstimabitur, valde exculta, & pagis, opidis, Nobilium prædijs, arcibus, monasterijs atque Ecclesijs ita exornata, vt in VVensliæ ex monte prope Hiering opidum, quadraginta duæ turrigeræ Ecclesiæ conspici possint.

CORONEBVRGVM.

ZELANDIAM, regiam, & præstantissimam Daniæ insulam, inter alia peregregia castra & oppida, vnica præ cæteris inuicta, & planè inexpugnabilis arx decenter exornat. CORONEBVRGVM hæc dicitur, situ & mirabili opere adeo munita, vt, nisi ab his, quos vitæ tædeat propriæ, tentari, nedum expugnari queat. Ita, vt non immeritò regionis vniuersæ, arcium oppidorumq; teneat principatum, atq; à præeminentia, regio sit condecorata cognomine. Hæc, sereniss. Daniæ Rege Friderico Secundo ita ordinante, & idea vniuersa disponente, vetere arce hoc loci fundditus diruta, excitata est, extremæ insulæ Zelandicæ oræ præsidio, ac tractus marini, quem Sunt; indigetant, defensioni, maximis & innumerabilibus vndiq; conquisitis saxis, interq; compacta, & fistucata ingentiū arborum robora, compactis atq; conclusis, ac loco fundamenti demersis, tam valida est ex ipso maris fundo educta, vt immanes pelagi fluctus, magno prouolutos procellis, atq; ad vallum, murosq; horrisono boatu ac fremitu illisos, citra vllius periculi metū, sustinere queat. Mirantur exteri symmetriam & harmoniam structuræ Italicam, mirantur quotquot hoc castrum intuentur, qui Danica rura vel maria lustrant. Nam soueis vallis, propugnaculis, machinisq; grandioribus, colubris, serpentinariis, pluteis. mortariis muralibus, variis & admirandi generis munitionibus, sulphureo nitratoq; puluere, & omnis generis comeatu vsq; adeo instructa, vt vix alia, quod constanter dixero, totius Europæ, huic arci comparari debeat. Hoc fatentur ingenuè, quotquot in remotissimis orbis regionibus, rerum visu dignarum, curiosi obseruatores fuere, tam exteri, quàm Regiæ Maiestatis subditi. Quales inter primos Henricus Ramel, Gerardus Ranzouius, Benedictus & Nicolaus Alefeldij, omnes remotissimis peregrinationibus culti.

Intus, magnificis ac planè regiis conclauibus, cubiculis, porticibus, menianis, ad stuporem, magnificè exornata, quæ picturis tapetisq; vestita, in quibus omnes Daniæ Reges acu venustè depicti videntur, supernè, sculpturis polita & auro obducta respledent. Tecta cupreis obducta laminis, pauimenta diuersi generis coloribus variata, nitent. Muri cæsis ad normam lapidibus constant; foueæ aquis instructę, eodem lapidum genere, à fundo ad summum vsq; vtrinq; munitę. Regia in hac Arce culina, prout etiam balnearium hypocaustum, in quo vtensilia omnia, diuesq; supellex tota argentea. Media Arce, area est ampla, & visu iucundissima. Nam quoquò versum oculorum aciem pandas, vel turres præcelsas, vel tectum, sole splendente ad instar auri nitens, vel muros, magno ingenio elegantiq; structurę artificio, & fenestris conspicuis ornatos, porticus & regiam familiam, delectamq; nobilitatem passim inambulantem, & aream tam spaciosam ac latam occupantem videbis. In qua, institutis theatris & scenis, comœdiæ exhiberi, ignes volatiles proiici, spectacula, ludi, triumphi, decursiones equestres, solennia hastarum ludicra institui possunt. Tornecumata vocant, in quibus cataphracti, hastas vibrare, simulati & ludicro conflictu, ad exercitia equestria informari solent. Quin & fons largus ex cupro cōflatus nitentibus aquis abundans, areę medium occupat, tantis ornamentis illustris, planè vt intuentibus sit admirationi, cuius structura, incredibili sumptu facta. Videntur illic statuę æreæ, fusili opere, iusta hominis magnitudine, raro ac nobili artificio factę, varias orbis nationes accuratè repræsentantes, quæ bombardas, clypeos, arcus, gladios, & diuersorum generum arma, pro nationum diuersitate gestant, ex quibus dulcem Arcis necessitatibus aquam, copiosa vbertate emittunt. Ad Arcis mœnia, qua mare & Huenam insulam respiciunt, videre est admirandę molis, & prorsus stupendæ magnitudinis saxum, quod planè nullis viribus humanis loco moueri posse videbatur, huc iussu Regis pertractum, cum hac inscriptione.

ANNO M. D. LXXX. FRIDERICVS II. DANIAE REX, CVRAVIT HOC SAXVM A PRIMO SVO LOCO VBI VICISSIM ALIVS SVBROGATVS EST LAPIS, AD HVNC DEVOLVI LOCVM.

Hic Zelandia & Schania prominentibus vtrinque promontoriis, ita propè coeunt, vt vix parui milliaris inter se relinquant maris spacium, quod vocatur, Der Orsund. Per hasce angustias totingentia Germaniæ, Liuoniæ, Suetiæ & Russiæ flumina, in orientale mare se exonerantia, ceu per cataractas, præcipiti cursu, in latum illud inter Iutiam, Daniam & Norueg iam pelagus exeunt. Ad hunc locum omnes naues orientem versus, & vice versa, in Oceanum occidentalem cursum instituentes, veluti ad centrum coire, arcemque ipsam, vti sedem & residentiam Regiam, velorum depositione decenter cohonestare, & vectigal Regio collectori pendere necesse est. Et cum in vtroque littore arx posita sit, hic quidem Coroneburgum, illic Helsinburgum. Rex, si quando id ita necessitas postulat, suis in medio collocatis nauibus, ita has fauces occupare & occludere potest, vt, qualemcumque etiam numerosissimam classem, ab ingressu vel egressu cohibere possit. In hunc locum sæpissimè vno die ducentas, sæpe etiam quadringentas, interdum etiam sexcentas, atque adeò plures & onerarias naues, ex diuersis Europę partibus conuenire contingit. Rex in hac Arce gubernatorem habet, Gerardum Ranzouium, Henrici Ranzouij in Ducatibus Slesvvici, Holsatiæ & Thietmartiæ vicarij, filium, magnis peregrinationibus cultum, qui Germaniam, Græciam, Pontumque Euxinum peragrauit, & ex Constantinopolitana vrbe Hierosolymam se contulit, tum, per Italiam & Galliam in Hispaniam Madritum, & in Lusitaniam Olisiponam profectus, iter suum Lutetiam Parisiorum, & in Angliam conuertit. Inde rursus in patriam solum Holsatiam, ac tum in Daniam se recepit. Helsingora oppidum arci Coroneburgicæ subiacet, mari tam propinqua vicinitate iunctum, vt eius procellosi fluctus impetu suo ciuium hortos frustulatim exedant atque elidant. Nundinis frequentissimis, & peregrinarum mercium aduectione clarum, in quod multi conuenæ & magnarij, diuersis ex locis confluunt. Quo etiam conquisitissimæ quæq; res, incolarum vsui inseruientes, apportantur.

INCISVM FRONTISPICIO ARCIS CORONEBVRGENSIS CARMEN.

Inclytus hanc celsam Fridericus condidit arcem,
Nomine qui simul & sorte Secundus erat.
Rex pius & iustus, mitis, robustus in armis,
Qui tamen inuitus prætulit arma togæ.
Cui Regina thoro vixit sociata iugali,
Mechelburgiaca nata Sophia domo.
Quæ pariter virtutis amans, studiosa mariti,
Pignora coniugij plena decore dedit.

Ergo vbi pacatos ageret Rex impiger annos,
Structiuræ tanta mole peregit opus.
Muniitque Arcem, velut aspicis, haud quod in ista
Spem sibi tutelæ præsidijque locet:
Nec velut antiquæ structor Babylonis, ouando
Iactet vt humana robora facta manu,
Iste luit pœnas fastus, dum septimus annus
Cerneret ameuitem persimilemque feris.

Rex nihil ostentat Danus, se credit & optat
Præsidio tutum solius esse Dei.
Scit bene, ni faueat Numen, quod robora nulla
Vel chalybe, aut duro facta Adamante, iuuent.
Ergo dei astrorum, terræque marisque creator,
In quo spem solo Rex Fridericus habet.
Prosper vt ille dies, & soboles seriæ Nepotes,
Has habitent, firma pace vigente, domos.

SIC DE EADEM HAC ARCE RANZOVIANAE MVSAE.

Est, vbi, quæ regno sunt consociata sub vno,
Rura procellosi diuidit vnda maris.
Scanica rura vocant, nec non Zelandica, quæ nunc
Sub iusto scepiro, rex Fridericus habet.
Hic in vtroque sita est insani littore ponti,
Arx, Regi quanil gratius esse potest.

Fama est Iustinum struxisse in rupibus Arcem,
Rara qui fuerat Cæsar virtute Secundus:
Ex hac Europam atque Asiam telluris & æquor
Raucisonum medio spectabat lumine Cæsar
Inuictas pelago puppes, terrasque repostas:

Nomina si quæras, hæc Helles, illa Coronæ
Nomen habens domino est vtraque fida suo.
Nauis enim non vlla mari se credit Eoo
Hac penetrans, quæ non ponere vela solet.
Omnibus hic opus est merces vt fateantur, & illas
Subducta redimant pro ratione sibi.

ALIVD.

Condidit hanc Arcem regni Fridericus in ora.
Virtuti hic nulli Rex & pietate Secundus.
Rex amat hanc Arcem, Regni & per sæcla Coronam
Esse dedit nomen, sed virtus inclyta Regis
Exxis splendorem, Crœsi quoque viceris aurum

Prouenit hinc auri, & argenti tantus aceruus,
Hunc regni vt nerium dicere iure queas.
Mirentur reges auri, argentique fodinas,
Quas ipsis tribuit dextera larga Dei.
Non minor est, quem de multorum mercibus amplis
Prouentum Daniæ rex Fridericus habet.

Despicit hac velut, ex specula Rex altus vtrimque
Aethoum, occiduumque fretum, hinc & Scania longe
Nec non fertilibus, Zelandia cernitur aruis
Ius Regis cogit puppes hic sistere cursum,
Aedradare, inde ratis felici nauigat aura.

FRETI DANICI OR SVNDT
ACCVRATISS DELINEATIO.

Pharus

HVENA

Vranisburgum

ELBO-GEN

LANDESKRON

CORONEBVRGV

HELSCHENOR

Groseeck

Lundehoue

Interior Arcis magnificentia

TOPOGRAPHIA

INSVLÆ HVÆNÆ IN CELEBRI PORTHMO REGNI DANIAE, QVEM VVLGO OERSVNDT VOCANT, SITAE, IN QVA ARX VRANIBVRGVM DICTA, QVAMPLVRIMIS, VARIA EXACTAQVE RATIONE, ELABORATIS MACHINIS Astronomicis referta, in summæ illius scientiæ honorem & instaurationem à TYCHONE BRAHE nobili Dano, Domino de Knudstrup, circa annum M. D. LXXX. exædificata est.

HVius insulæ medium vbi Arx ipsa consistit, eleuationem Poli quinquaginta quinque, quinquaginta quatuor cum dimidio graduum obtinet, & ab occasu remouetur partibus 37. ferè. Habet autem in circuitu 8160 passus maiores, quorum quilibet 5. pedum assumitur, vnde duo quasi miliaria germanica mediocria in ambitu adæquat. Quæ, cùm in celeberrimo totius Regni freto, per quod quam plurimæ naues ab Orientali in Occidentale mare, & vice versa iucundo prospectu transeunt, constituatur, quædam etiam præcipua huius Regni oppida in propinquo circuitu conspicit: In Selandia, Hafniam Regni Metropolim Academia Regia mercaturaque celebrem, versus Libanotum distantem tribus miliaribus, Helsingora, vbi naues prætereuntes soluunt vectigalia, & Arx Croneburgum dicta, magnificè à Rege Friderico Secundo nouiter extructa est, versus circium duobus miliaribus remouetur. Totidem etiam Helsinburgum in ipsam septentrionem, idque in Scaniæ littoræ distat, in quo etiam Landskronia, vnico saltem miliari dissita versus Eurum patet. Lunda, quæ licet maritima non sit, tamen huic spectatur versus Messeurum in distantia 4. miliarium. Malmogia verò Vpophænicem respicit, remota miliaribus quinis. Has ciuitates insula in circuitu videt, & vicissim ab his, cum sit admodum alta, prospectatur. Licet verò non admodum magna sit, nulla tamen eius pars ociosa & sterilis existit, estque ferax frugum, & iumentis abundat, alit damas, lepores, cuniculos & perdices in magna copia, & piscaturæ circumundique apprimè opportuna est. Syluulam habet ex corylis, vbi nulla nucum vermiculis vnquam infecta visa est, vt neque glires hæc terra patitur. Olim quatuor Arcibus insignis erat, cum Huenellæ gigantissæ (ex qua hæc Insula nomen accepisse creditur) posteri, inter quos Hugo & Grunhilda apud Germanos in Athletharum historia celebres, memorantur, illam inhabitarent. Nomina Arcium adhuc recensentur: Synderburga, quæ versus meridionale littus sita erat, quemadmodum Nordburga oppositas partes, circa Borcam obtinebat. Karhecidia verò ortum hyemalem, veluti Hamera æstiuum respiciebat. Harum quatuor Arcium fundamenta adhuc conspiciuntur, sed rudera nulla sunt residua. Licet verò Insula hæc admodum altè inter marinam salsedinem exurgat, tamen riuulos & fontes aquæ dulcis, non paucos habet. Estque inter alios fons, qui nulla vnquam hyberni frigoris vehementia congelatur, quod alias in his Regionibus est clarissimum.

ORTHOGRAPHIA

ARCIS VRANIENBVRG IN INSVLA PORTHMIDANICI HVAENA, OPT. ET POTENTISS. REGIS FRIDERICI SECVNDI DECRETO, ASTRONOMIAE INSTAVRANDAE GRATIA A TYCHONEBRAHE D. DE KNVDSTRVP EXAEDIFICATAE.

Explicatio partium exteriorum præcipuæ domus.

A. Ianua Orientalis ex Ionico & Dorico opere composita. B. Cœnaculum hibernum F. Lapis fundamentalis quem posuit Magnificus Dn. Carolus Danzæus Legatus Gallicus. G. & H. Fenestræ cellæ subterraniæ. C. Camera pro hospitibus. Suntque versus occasum duæ similes. M. Musæum rotundum cum Bibliotheca & globo magno aurichalcico, cuius diamiter 6. pedum est. K. Cauea auiaria cui similis respondet versus occasum. L. Laboratorium chymicum subterraneum & rotundum continens 16. varias fornaces arti Spagyricæ destinatas. I. Foramen per quod dimittuntur carbones pro laboribus Pyronomicis. Z. Cella subterranea pro reponendis lignis ad comburendum hyberno tempore. X. Coquina. D. Camera Regis rubea. α. Camera flaua octogonalis. E. Camera Reginæ cærulea. His tribus respondet versus occasum Cœnaculum maius æstiuum viridi colore exornatum, vnde naues omnes ex vtroq; mari occidentali & orientali per fretum illud vltro citroq; frequentissimè comeantes iucundo prospectu videri possunt. X. Fenestræ superioris contignationis. O. Obseruatorium maius meridionale sex insignes & maiores machinas Astronomicas continens. P. Globus volubilis cui imponitur instrumentum inter obseruandum distantias stellarum, cui similis versus occasum respondet. Q. Ambitus octogonalis in quo situs est globus prædictus. N. Obseruatorium minus meridionale Armillas Aequatorias magnas continens. VV. Descensus in Laboratorium & Ascensus in Obseruatorium. R. Obseruatorium maius Septentrionale quatuor magnis instrumentis Astronomicis refertum. S. Obseruatorium minus Septentrionale alias Armillas Aequatorias magnas capiens. T. Alius globus versatilis imponendis instrumentis inseruiens, cui etiam versus Occasum similis respondet. V. Locus in quo situs est globus ille magnus. ϑ Suprema Camera octogonalis proximè infra cuspidem domus, ex qua vndique patet prospectus habens in circuitu ambitum quem Galeriam vocant supra tectum. γγ. Structuræ octogenales in quibus imagines excisæ 4. Anni partes referentes conspiciuntur, & per artificium Hydaticum, quando lubet, ggrantur, aquasq; singulæ ternas sursum attollunt. ζζ Sex camini in vnum desinentes versus Austrum & alij sex versus Boream, in quibus omnes camini totius domus distinctim concurrunt. N Locus pro Horologio sonante horas per campanam quæ superius pendet in 5. λ. Pegasus ostendens vnde spirent venti, qui dum circumuoluitur infra tabulatum supremæ Octogonicæ cameræ per indicem volubilem, omnes ventos, prout quotidie flant, indicat, Vnaque horæ sub eodem tabulato patent per alium indicem ex eodem centro reuolutum. Atq; hæc est exterior domus deliniatio qualis patet ab Oriente aspicientibus, quibus omnia eodem modo respondet ab Occidentali parte, quemadmodum Meridionalis & Septentrionalis facies etiam sibi ipsis in omnibus assimilantur.

Ichnographiæ explicatio.

A. Ianua Orientalis. C. Occidentalis ianua. ϑ Transitus quatuor ad angulum rectum concurrente. B. Fons aquarium volubilem rotans qui aquas hinc inde eiaculatur. D. Cœnaculum hybernum. E F G. cameræ pro hospitibus. L. Gradus maiores per quos ascenditur in superiorem contignationem. H. Coquina. I. Pœau K. Puteus profundus 40. vlnarum artificio Hydatico seruiens, & aquas per Syfiphones in omnes Cameras totius domus distribuens. M. Ambitus pro lignis reponendis. O. Gradus in pœnu subterraneum ducentes. S Circuitus supra Laboratorium, vbi in quasdam fornaces carbones deiiciuntur. P. Gradus minores ducentes à Laboratorio in Obseruatorium. R. Cauea auiaria versus occidentem. Q. Alia cauea auiaria versus ortum, in quibus aues liberè in paruis arboribus hinc inde volantes cantitant. T. Bibliotheca VV. Globus ille magnus aurichalcicus, 4. Camini. V. Mensæ. Y. lecti. N. loci secreti. Sunt autem omnia in hac tota distributione, se inuicem respicientia & æqualia, ita vt quatuor Cameræ, eiusdem sint magnitudinis, itidem & turres vtrinq; adhærentes cum suis ambitibus, Porticus etiam & atria decussatim conclauia æquabiliter ditimentia, eandem inuicem magnitudinem seruant. Omnia vero quæ tum in Ichnographia, tum in Orthographia conspiciuntur proportionem magnitudinis eam habent, cuius Basis quadrata intelligitur in quolibet latere esse pedum 50.


Delineationis totius capacitatis explicatio.

A. Domus præcipua in ipso meditullio totius capacitatis extructa, & per quatuor latera æquale quadratum efficientia in 4. mundi plagas exactissimè vergens, ita vt duæ turriculæ Meridiem & Septentrionem, ambæ verò valuæ Ortum & Occasum exquisitè respiciant. E. Porta Orientalis opere rustico & Tuscano composita. D. Porta Occidentalis eodem opere elaborata. Habent autem hæ duæ portæ superius duos canes maiores Anglicos excubatores cuiu sua domuncula, vt vndiq; aduenientes latratu indicent. B. Officina Typographica maioris domus Idæam in parua forma referens. C. Domuncula pro seruis, etiam maiorem domum, quò ad frontispicia repræsentans & subterraneum habens carcerem. F. Exterior valli facies. G. Interior valli forma cum sua planitie, vbi duo coniunctim spaciari possunt. N. Quatuor viæ versus ambas portas & vtramq; domunculam ducentes, in 4. mundi plagas adamussim excurrentes. O. Quatuor ianuæ hortorum. M. Vmbracula amœnitatis gratia in hortis constructa. L. Horti herbarum & florum. H. Horti arborum varii generis numero trecentarum. I. Ludus quem **Pilkentafel** vocant. K. Ludus globulorum quem **Rolltafel** vocant. Atq; hæc est totius capacitatis generalis descriptio. Habet autem valli ambitus figuram quadratam, cuius singula latera continent pedes 300. Altitudo verò ipsius valli ab imo fundamento est pedum 18. Crassitudo eiusdè infima est pedum 14. Suprema verò vbi ambulatur, pedum 9. Domus ipsa in medio sita, quæ etiam exactè quadrata est, habet in singulis lateribus pedes 50. Altitudo muri 40. Turres vero rotundi à Meridie & Septentrione annexi habent 20. pedes in diametro, quibus ambitus exterius adhærentes addunt pedes 9. Porticus ab Oriente & Occidente inserius quadrati habent 14. pedes in quolibet latere. Tota altitudo domus à terræ superficie vsque ad Pegasum supremum est pedum 70. Domus etiam tota, quaquauersum patet, hypogæa habet ædificia, quorum profunditas est pedum duodecim, hæc verò subterranea cum sint, non hic repræsentantur.

VRANIBVRGVM: Arx, quamplurimis, uaria exactaq; ratione, elaboratis machinis Astronomicis referta, in summae illius scientiae honorē, et instaurationem, d. TYCHONE BRAHE Nobili Dano, Domino de Knudstrup, circa Annum M. D. LXXX, exęd. ificata.




OCCIDENS.



ICHNOGRAPHIA PRAECIPVAE DOMVS.

ORIENS.





Totius Ambitꝰ et capacitatis delineatio.

ORIENS.



A. Templum. B. Arx ipsa Vraniburgū C. Officina et habitatio artificū, astronomica instrumenta conficientiū D. Subterranea quędā structura, terna organa astronomica continēs E. Prędium oeconominę destinatū. F. Pagus 40. rusticorū habitationes continens. G. Forum iudiciale. H. Syluula coriorum. I. Auicularū aucupium. K. Aucupiū falconum.

HAENIA.

HAENIA, Daniæ Metropolis, vrbs in Zelandia maritima, in planitie sita, ab orru bruma. li ad meridiem, vsque ad occasum brumalem vbique mari alluitur, adiacente ad meridiem insula, Amagger, quæ portum incredibili commoditate celebrem præbet. Excurrit enim ad orientem in Balthicū mare ad stadia quatuor, vadosis & perpetuis arenis impetum maris sæpè vehementissimum retundens, quo fit, vt inter dictam Insulam Amagger, & agrum Hafniensem orientalem ad quingentos passus tuta concedatur statio nauibus. Admirabilis & hic conspicitur naturæ prouidentia, quæ particulares quasdam stationes ab initio regiis nauibus, regnique custodibus fidissimas designauit ad ipsum littus, ne longius in mare excurrendū toties esset nautis; Estque spectaculum hoc planè insolens, turribus & ædificiis contiguas videre naues, vastissimis molibus, maximis cum domibus decertantes. Raræ sunt tales stationes, & in omnibus totius Europæ portubus facilè numerabiles. Longitudo insulæ est miliarij vnius, & dimidij versus meridiem, latitudo sex, interdum quatuor stadiorum. Fertilissima est, (vt omnes maris Balthici) perenne promptuarium Hafnienſibus datum; Ab Hollandis frequenter excolitur, quos mediocri proposita libertate, euocauit Christianus secundus: Hi strenuissimè agriculturæ operam nauantes, documento fuerunt Danis, maiores vsuras ex solo ipsorum peti posse, improbus si accedat labor. Distat, quà proximè ciuitatem respicit, quadraginta quinque passibus, Insula parvula intercedente, in qua arx planè regia, & antiqua visitur, iungiturque insula hæc ciuitati duobus pontibus ita constructis, vt nauibus ingressum egressumque concedere possint. Visuntur in hac quoq; insula Armamentarium Regium, & Quæsturæ domus. Inter has insulas alternante fluxu, refluxuq; maris, quamuis incerto à tempestatibus (præsertim ab occasu brumali flantibus) excitato, custoditur portus, & expurgatur insigni naturæ artificio. A septentrione ad occasum brumalem, paludibus & stagnis vndique cingitur, præterquā quòd fossis & vallo latissimo & altissimo, etiam locus naturā, & hominum industria vndique videatur munitissimus. Estque circuitus vrbis ab hac parte planè circularis, recta linea terminatus à mari, qui circuitus, quatuor ad summum stadiis describitur.

Huius autem vrbis tenuia fuêre initia, Nam Absalon Huide, Archiepiscopus Lundensis & Episcopus Roeschildensis, vir nobilitate generis, sapientia, animi magnitudine, patriæ amore, atq; in rebus gerendis fœlicitate & successu præstans, munitionem quandam in ea insula, in qua nunc est Arx, magnis sumptibus extructa, fieri curauit, cui adpellationem de suo nomine, Axelhues, indidit, vt eo melius aduersus pyratas, locus ille defendi posset. Iussit etiam iis in locis, vbi hoc tempore splendida ædificia sunt, casulas quasdam piscatorū poni, Estque locus postea Kiobmans Haffen, id est, portus Mercatorum vocatus. Quòd negotiatores, cùm à pyratis vrgerentur, ibi receptum haberent. Historiæ hæc accidisse perhibent circà annum Christi M. C. LXV.

Priuilegia vrbi prima à Iacobo Episcopo Roeschildensi data sunt, anno C. M. CC. LIV Idib. Martij. Et postmodum ab Inguaro Episcopo confirmata, Anno M. CC LXXXII. Quæ aucta Regum diplomate Erici, Anno M. CCC XIX. Voldemari M. C C C. X L I. Et Erici Pomerani, anno M. CCCC. XXII confirmata sunt.

Ius municipale, quo pleræque Regni Danici Vrbes vruntur, à Christophoro Bauaro, Anno Christi M. CC CC. X L III obtinuit.

Atque eadem hæc priuilegia, quibus alia accesserunt, diuersi deinde Reges confirmarunt. Vt Christiernus, eius nominis primus, Anno M. CCCC. LV. Ioannes, Anno M. CCCC. XCII. Christianus tertius, Anno M. D. XXXVI. Et Fridericus secundus, Anno salutis M. D. LIX.

Inter præcipua regni ornamenta, meritò censendà est Academia, cuius instituendæ facultatem Rex Ericus Pomeranus à Martino V. Pontifice primus impetrauit. Quòd cùm ille ob diuturna bella, quibus magno Regni incommodo, implicabatur, perficere non posset, Christiernus Oldenburgicus, qui primus in nobilissimam familiam suam, Regium axioma inuexit, tandem Anno Christi M. CCCC. LXXVIII, per missu Sixti Romani Pontificis, Impetratisque ab eo Academiæ Bononiensis priuilegiis, ad optatum finem deduxit.

Atque hinc quidem Iacobi Middendorpij error adparet, qui secundo de Academiis Orbis Christiani libro, Haffniensem hanc Academiam, primo per Fridericum tertium Daniæ Regem, circa annum Domini M. D. XXXIX erectam, & à Christiano Rege instauratam scribit. Cùm Fridericus aliquis tertius Daniæ Rex nunquam in rerum natura fuerit, & Fridericus primus ante annum Christi M. D. X X X I X in fata concesserit.

Primam autem Academiæ erectionem, fundatoris filius Ioannes Rex confirmauit, & Scolam, noua fundatione stabiliuit Anno M. CCCC. XCVIII. Christianus verò tertius Anno M. D. X X X I X eam, Professorum & lectionum numero adauxit, additis quoque redditibus certis, quibus viginti studiosi alerentur. Tandem autem Fridericus secundus, Anno Christi M. D. LXIX. Iulij XXII. maximo tum feruente bello, cum vicino Sueciæ Rege, & Professorum salaria munificentissimè auxit, & superioribus redditibus, quibus viginti illi studiosi aliti sunt, annuas obuentiones, Anno M. D. LXIX addidit, vnde octuaginta alij liberaliter sustentari queant. Ita, vt centum studiosi illic Regia munificentia nunc viuant.

Primarium Vrbis templum D. Mariæ sacrum est, In eo sacrantur & coronantur Daniæ Reges, Canonicorū Collegium olim fuit. Aliud est spiritus sancti, Tertium D. Nicolai mari vicinius, Quartum in Arce, Quintum, D. Petri, quod hoc anno M. D. LXXXVI magnis impensarum sumptibus à Friderico secundo restauratur, vt in eo Germanicæ nationis homines sacros conuentus haberent.

HAFNIA



HAFNIA vulgo KOPENHAGEN Vrbs Daniæ primaria qua se terra marique conspiciendam exhibet Anno Salutis M. D. LXXXVII.

KOPENHAGEN.



HELSINGOBVRGVM.

HELSINGOBVRGVM, Schaniæ Danicę ciuitas est maritima, arce editissima insignis, quam vrbem Helsingorũ nominat Saxo Grammaticus lib. x i i i, & Helsingum opidum, lib. x v. Sita est in ipsis penè faucibus, & ad fretum, per quod in eum, quem Codanum sinum appellat Plinius, Naturalis historiæ lib. 4 cap. 13 illabitur Oceanus, vbi traiectus est ex Schania in Sialandiam Insulam breuissimus, Germani vulgò nominant, **den Sundt**. Orientalem maris ripam tenet Helsingoburgum, quemadmodum Helsingora, vnà cum Croneburgo Arce Regia, & longe magnificentissima, occiduam. A Septentrione in austrum porrigitur ciuitas, longior quam latior, monte nimirum perquàm ædito, qui huic imminet ad Orientem, obstante, quo minus in latum etiam extendi possit. In huius medio Templum est virgini olim Deiparæ dedicatum, non magnificum quidem illud (ex cocto enim tantum lapide extructum visitur) amplum tamen inprimis, & excelsum, cui turris adiecta est aliquanto, vniuersum autem ædificium eiusmodi planè, vt & gratiam quandam habeat, quod decenti simplicitate commendetur, & copiosa luce in eo perfundantur omnia. Nusquam plura, quàm hìc, antiquæ nobilitatis Danicæ ad parietem Templi Septentrionalem, depicta visuntur Insignia, sepultis in eodẽ templo, præstantibus nobilitate vitis. Non procul à templo Prætorium est ad Austrum, vnaq; forum, in quod merces suas quotidiè ferè conuehit frequens vicinia. Præter mercatum hunc quotidianum, in quo ciuium potissimum, ac vicinorum seruitur commodis, alij duo anniuersarij, alter in medio quadragesimæ, alter sub dominicam palmarum dictam, sic celebrantur, vt non ex Dania tantùm, verùm etiam ex peregrinis, & procul dissitis regionibus huc commeet maxima hominum multitudo, comportatis eodem exoticis etiam mercibus, haud paucis, vt vix in vlla Panagyri Daniæ, vel hominum sit, vel mercium frequentia maior. Ex mercibus tamen in hisce nundinis frequentiores sunt equi, ac boues venales, quorum distrahendorum causa, hæ primitus sunt institutæ. Opido toti, qua in longum patet, Mons imminet, vt ante dictum, ad orientem, præruptus admodum, ac æditus, cuius fastigio, super solidissima caute, arx imposita est longe munitissima. Hæc ab Helsingis (hi Sueciæ populi sunt, quorum patria Helsingia) sub ipsam olim Natiuitatem Seruatoris Christi in carnem, Frothone I I I Daniæ Rege, vel circiter, extructa memoratur, à quibus quidẽ Helsingis & nomen inditum tum Arci, tum ciuitati, addẽ & ei, quę trans fretum est Helsingoræ. id autem nomen sonat, non tam oram, seu extremitatem, quòd videri alicui possit, quam arenam Helsingorum. Est quidem illa extreama Sialandiæ versus ortum æstiuum, vel Boream pars, vbi sita Helsingora est, cum arce Croneburgo. Verùm veteri Danorum lingua Or, arenam sonat propriè, cuius magna est etiamnum circa Helsingoram copia, longiori tractu in mare procurrens, idque non admodum profundum, à qua verisimile est nomen factum & ciuitati & freto vicino, quod à Danis appellari dixi **Oresundt** &c. quasi dicas, arenæ fretum vel sinus. Et flexus vbi nunc arx est Croneburgum, olim dictus est, **Ore krogh**, quasi arenę flexus, ab eadem nimirum arenæ copia. De tempore extructæ Arcis Helsinburgensis circumferuntur Barbari quidam versiculi duo, qui sic habent.

Tempore Natalis Christi Turris capitalis
Helsinborg struitur, velut in scriptis reperitur.

Ea sanè perampla est, vt per se ciuitacula videri possit, in cuius meditullio turris quadrata, & ipsa ampla admodum, atque inprimis edita, contignationum seu interstitiorum, sursum versus (quæ tabulata vocantur.) complurium, ad miliaria aliquot, procul esse spectandam exhibet. Hanc turrim, duplex ambit murus, alter proximè cingit eandem: qui autem remotior est, arcem totam, vnaque ædificia complectitur quàm plurima, quotidianis igitur eorum, qui arcem tenent, vsibus accõmodata. Murus exterior, qua parte plagam respicit Orientalem, & Aquilonarem, fossa cingitur sic satis profunda, q; is locus minus videatur natura munitus, quàm latus occidentale. Id enim magis est præruptum, seu arduum, & natura inaccessum. Fuit hæc arx multorum Regum olim sedes, vbi comitia quædam Regni celebrata sunt, vt cùm initio gubernationis Erici V I, cui Kleppingo posteà cognomen fuit, sub annum Domini 1260 ad diem 9 Martij mensis, & conuentus inibi habiti, maximè, quando negotium erat Danis cum Suecis vicinis, aut inter Suecos ipsos pax per Danos constituenda, quod factum est, & anno Domini 1310, quando conuenientibus Helsinburgi Rege Daniæ Erico V I I, **Menued** dicto, & fratre huius Christophoro Birgezo, item Sueciæ Rege, & huius fratribus Erico & Valdemaro, cum Gerhardo Hollatiæ Comite, & Henrico Duce Megapolensi, composita est omnis inter Birgerum & fratres eiusdem controuersia. Meminit huius Ioann. Gothus historiæ Sueonum & Gothorum lib 20 cap. 19.

CORONIA. vulgo Landiscroon.

AB Helsingoburgo distat Corona, & ipsa maritima (quam vulgò Landiscoronam dicunt. Id sonat terræ, seu prouinciæ, vel regionis Coronam) miliaribus Germanicis plus minus duobus, & dimidio versus austrum. Hæc ab Erico V I I I Daniæ Rege primùm condita est, sub annum à Christo nato 1413. cùm prius eo loco pagus fuerit, **Saebye sondre**/ id est, Australis dictus, cuius adhuc appellationem platea quædam in hac ciuitate retinet. Incolis dicta **Saebye gade**/ id est, platea Saebye. Quam Landoram appellat Saxo lib 14 de Erico I I I I & Valdemaro I, horumque gestis verba faciens, ea non ciuitas fuit, sed longior quidam, vt Saxo ipse loquitur, arenæ tractus, à continenti littoris in mare procurrens. His enim penè verbis vtitur Saxo. Nec facile est dicere, sub quonam Schaniæ littore is fuerit tractus, hicne, vbi Coronia nunc est, an alibi. Vicinus est vrbi ad orientem fluuius, dimidio tantum miliari ab vrbe distans: hic in Meridiem fluens, ac in mare sese exonerans, cursum nonnihil flectit ad Aquilonem, mariquè mixtus Coroniam præterlabitur, ac portum efficit vastissimarum etiam nauium capacem, quo non est alius per Daniam magis commodus, aut oppportunus, ea res occasionem præbuisse videtur, condendæ hoc loco ciuitatis. Vallo ac fossis cingitur, Arcemq; adiunctam habet, cuius fundamenta à Christiano I I I Daniæ Rege iacta, primùm sunt Anno Domini 1543, vel circiter, paucis post annis peracta eiusdem ædificatione. Haud paruum momentum ad victoriam attulit Christiano portus Coronensis, cùm patre defuncto, de regno is dimicaret aduersus seditiosos, & Comitem Oldenburgicum. Hic enim vrbe occupata, totam admodum, reliquo belli tempore, stationem habuere huius naues. Quæ res videtur & portum & ciuitatem sic Regi victori commendasse, vt posteà arcem quoq; hic locandam duxerit. Quo loco nunc arx sita est, olim cœnobium erat Carmelitarum, quibus sub ipsa huius ciuitatis quasi crepundia, in Daniam introductis, domicilium hic primùm statuit Ericus V I I I vrbis conditor. Portæ ciuitatis versus Meridiem & Mare tres sunt: Totidem etiam, qua vrbs continentem spectat. Orientalis vna, altera septentrionalis, tertia occasum æstiuũ respicit, & Corum seu Angesten, quæ à vicina platea **Saebye** nomen obtinet. Per has multùm quotidiè rerum venalium inuehitur, earum potissimum quas regio, seu prouincia vicina producit, quemadmodum per portas maritimas, quæ nauigiis in portum apportantur, ex variis Europæ regionibus, Liuonia, Russia, Pomerania, & Ciuitatibus Germaniæ maritimis; Hollandia item & Anglia ac Scotia, tandemque, ab extrema Norwegia, & aliis locis infigè maximus.

Non procul à porta maritima orientaliori, forum est peramplum, iuxtaque prætorium magnificè extructum. Et circa forum quemadmodũ passim in vrbe tota, maximè versus portas, Septentrionalem & orientalem, priuatorum ædificia sic satis splendida. A foro versus septentrionem, non longo spatio Templum est vastæ magnitudinis, & Templo iuncta turris prælata, ex lapide cocto constructa omnia fundamento excepto. Neque nunc alius est in hac vrbe sacrorum locus, præter Nosocomium, in ea platea quæ ad portam ducit orientalem, In hoc Nosocomio permulti aluntur ægroti, ac pauperes, ciuiũ potissimum liberalitate & beneficentia. Neque enim certos annuos prouentus hi habent, qualibus gaudent alia quædam passim per Daniam Nosocomia, & Prochodochia, maiorum liberalitate donata.

LVNDIA.

HAec à Coronia versus ortum, siue subsolanum, tribus distat miliaribus germanicis, estque mediterranea, quæ vbi mari proxima est, miliari tantum vnico ab eo distat. Sedes hæc olim erat Archiepiscopalis, inde vsque ab anno Domini 1104, & temporibus Asceti I Archiepiscopi ad tempora Christiani I I I. Quando fuerit, & à quo vel à quibus conditus, nusquam in historiis legitur. Nam qui Anglos Conditores agnoscunt, appellatione sola moti videntur, quæ communis est huic cum Angliæ Metropoli: Germani enim vtranque ciuitatem **Lunden** nominant. Dani hanc suam sua lingua **Lundt**/ quòd nomen saltum Danicè significat, vel syluam. Qui latinè volunt id quicquid est appellationis exprimere, nunc Lundam reddunt, nunc Londiam, nonnulli etiam Lundas numero multitudinis, vt Athenas, Londinum, vel Londium pro Lundia nouæ sunt appellationes, & Danis inusitatæ. Fama quidem est Anglos olim in hanc Oram Schaniæ, & quidem Lundiam, mercimoniorum causa, confluxisse frequentes, vbi emporiũ tum fuisse dicitur longè celeberrimum, multo ante conditas Malmogiam, & Haffniam, verùm id ad ea potissimum tempora referendum censeo, quibus Angliæ etiam imperarunt Daniæ Reges. Itaque commertia quidẽ cum Danis habuisse Anglos certum est, verùm ex eo mox non sequitur, ab his Londiam conditam, vel ab Angliæ Metropoli denominatam, vt vt peruetus sit Londinum Angliæ, cuius etiam in Phrotone I qui nonus erat Danorum Rex, apud Saxonem fit mentio. Illud extra controuersiam est inter vetustissimas Daniæ ciuitates censeri Lundiam. Ac sciendum, circumferri inter Danos de Lundiæ antiquitate rithmos quosdam peruetustos in hunc modum.


Denn thid Christus lod sig fode.
Stod Lundt or Schanor/ feger ste gnode.

Quorum verborum sententia est: Christo nascente, floruisse Londiam & Schanoram. Est autem Schanora Schaniæ ciuitas vetustissima, nunc penè vicus, tribus tantum à Malmogia miliaribus distans, versus ortum Brumalem. Vallo ac fossis olim cingebatur Lundia, cuius erant tres tantum portæ, Septentrionalis quæ hodie appellatur porta S. Olai, propter templum D. Olai, quòd olim ad hanc portam erat: & latæ plateæ porta à platea, quæ ad hanc recta ducit. Altera Orientalis, porta S. Martini dicta, ab ea, quòd in vicinia illa erat templo, à quo plateæ quoque nomen inditum. Tertia Meridionalis, quæ rubra dicitur,

HELSHEBORCH



LVNDEN



ELBOGEN



LANDESKRON



& Malmogiam ducit. Harum portarum etiamnum extant vestigia, iis enim ad huc locis rudera relicta sunt. Vallo autem diruto (quod quando, vel ex qua occasione sit factum, haud facile est dicere) non per tres tantummodo, sed per plures etiam, puta sex vel septem nunc vias, cuiuis patet in vrbem introitus. Plurima olim erant in hac vrbe templa, & quidem parochialia non pauciora viginti duobus, inter quæ primas semper tenuit ædes Laurentiana Cathedralis in meditullio fermè ciuitatis sita, vasta & inprimis magnifica. Ex secto enim lapide constructa est, & plumbeis laminis tecta tota, cuius ædificatio Suenone I Rege (qui sub annum Domini 1017 mortuus putatur) cœpta, ab Egino tandem huius loci primo omnium Episcopo, & proximo huius successore Richualdo, accedente opera & studio S. Canuti Regis perficitur, dedicatione peracta. Anno Domini 1085. XII Kalend. Iunias, hoc est ante Canuti Regis cædem anno proximo. Quo tempore collegium etiam Canonicorum primum institutum est, Ecclesia & Ecclesiasticis ab Rege Canuto dotatis quàm liberalissimè. De qua re Saxo lib. XI. Initio Canonici non vltra nouem fuêre, quibus Præpositus etat a latus, reliquorum velut Antesignanus: Sequentibus autem temporibus hic numerus sic auctus est, crescentibus etiam per maiorum liberalitatem, reditibus annuis vt præter Prælatos quatuor, Præpositum, Decanum, Archidiaconum & Cantorem, Canonici extiterint numero ad 24. Vicarij longè plures.

Sed de reliqua ædis Laurentianæ, de Horologij, de Hypogæi siue Cryptæ, de Altarium magnificentia plura vide in Indice.

Ecclesiæ adiacet ad occidentem Schola Triualis illa quidem, verum celebrior multò, quàm in aliis Schaniæ ciuitatibus. In hac Scholarcha semper esse consueuit Magister Artium promotus, cui iunguntur Hypodidascali quatuor, ex quibus, qui supremus est, Capituli Lundensis constitutione, Artium Baccalaurius esse tenetur.

Versus meridiem ab altera templi Laurentiani parte forum est, & id peramplum, vnà cum prætorio. Frequens huc confluit, quotidie ferè, vendentium ac ementium turba, præterquam, quod bis annis singulis, tota pene vrbe Mercatus celebratur longè frequentissimus, idque sub Ascensionem dominicam, & circa festum Laurentij. Plura de istius vrbis historia sedulus lector in operis Indice inueniet.

MALMOGIA. Germanis ELBOGEN.

MAlmogia, inter recentiores est Schaniæ Ciuitates, vtpote, anno primùm à nato in carnem Seruatore 1320 vel circiter, condita, sub ipsa initia gubernationis Christophori II Daniæ Regis, Eadem tamen nunc penè Metropolis est Schaniæ, idque per mercimonia, quibus inclaruit, ex quo piscatio circa hanc vrbē cœpit esse frequens, Lundia nonnihil remittente de pristina celebritate, & claritudine. Maritima hæc est, à Lundia vix duobus distans miliaribus Germanicis, versus Meridiem, à Coronia quatuor totis, Incolæ hanc nominant. Malmoe, quod latinè redditur Malmogia, vel secundum quosdam, Malmogium. Olim inferiorem Malmogiam hanc dictam legimus ad differentiam sortè pagi cuiusdam vicini, qui à mari remotior & loco aliquantum editiore situs, eandem obtinuit appellationem, ita tamen vt superior dicetur Malmogia, quemadmodum hæc inferior. Danicè **Offre Malmoe / oc Nædre Malmoe.** Sublato pago cognomine, cuius nunc extant vestigia, hæc sine additamento nominatur Malmogia, quam Germani sua lingua constanter appellant **Elbogen**/ quod cubiti formam refetat. Ancoram posses dicere. Est enim ad hanc ciuitatem maris flexus quidam quem frequentasse Germanos est veri simile, piscationis olim causa in S. haniam profectos, etiam ante Malmogiam conditam. Multis olim immunitatibus donata fuit hæc vrbs, quibus etiamnum gaudet. Illud autem præter cætera peculiare huic concessit V Valdemarus Margarethæ pater, Daniæ Rex, quo tempore Schania primùm tota potitus est, sub annum Domini 1360, vel circiter, vt à telonij, quod vocant, solutione immunes essent Malmogenses omnes, in quamcunque Daniæ oram cum mercibus venire his contingeret. Id priuilegium renouauit, & confirmauit Ericus VIII, recentioribus illis Schaniæ ciuitatibus Malmogiæ, atq; Coroniæ, quam posteriorem ipse condidit, Arce munitissima insignis est Malmogia, & ædificiorum magnificentia, quæ nusquam sunt per Schaniam, quàm in hac vrbe magis splendida. Quo loco nunc arx est ad occidentem nimirum ciuitati olim ædificia quædam erant paulo quam, in reliqua vrbe magnificentiora, curiam dixere, seu habitationem monetarij, Danicè **Mynthergaerden**. Hæc ab Erico VIII Daniæ Rege primum extructa Anno Domini 1434. adiectis ei bonis quibusdam ruralibus, cum in bello Comitiano eam diruissent ciues sed ditisi, iterum à Christiano tertio restaurata est, & ad eam, qua nunc spectatur, magnificentiam perducta. Hæc restauratio inchoata est, anno Domini 1537. Qua parte mare & circium respicit Malmogia, muro tota cingitur, portis etiam quibusdem peruio, ex quibus duæ sunt celebratissimæ. Altera quæ in arcem itur: altera, qua ad pontem, quo mare insternitur, ad quem appellunt minora tantum nauigia, & si quæ Cimbæ aut naues actuariæ, cum hominibus, vel mercibus, seu Malmogia soluunt Hafniam nauigaturæ, vt est loco ex Schania in Sialandiam traiectus frequens, miliarium circiter quatuor. Naues autem maiores, seu onerariæ, Holcades dictæ, tum Græcis, tum Germanis, procul à ponte, vel ciuitate consistunt, velut in portu, tolerabili quidem illo, verùm non admodum turo præsertim flante circio. Reliqua vrbis pars, versus Continentem, & Austrum, vallo ac fossis probè munita est, paludibus etiam quibusdam tutam eam præstantibus nisi vbi & horti sunt (sunt autem circa hanc vrbem frequentes) vel viuaria, siue piscinæ. Portæ hic sunt præcipuæ: Orientalis vna: Altera Meridionalis, quibus & turres impositæ visuntur, cum tormentis maioribus haud paucis, quæ ex turribus prominent: Tertia porta Occidentalis non æquè frequentatur, vt superiores duæ, nisi cum sub littus Schaniæ exercetur Halecum piscatio, quòd fit quotannis ferè, inde vsque à festo Bartholomæi, ad Dionysij, per septimanas circiter sex continuas. Est enim hæc porta mari vicinior, eoque per eam, sicut & per maritimas illas, magna passim importatur per id tempus halecum seu harengarum copia: celeberrimus enim tunc, & quotidianus est vrbe tota mercatus, exoticicis etiam mercibus quam plurimis in vrbem importatis nauigiorum beneficio, per portas maritimas. Quin & per Orientalem portam, ac Meridionalem, non hoc tantum tempore, sed per totum alioqui annum, plurimum inuehitur frumenti, & aliarum rerū venalium, vt boum, agnorum, equorum, & si quid est generis eiusdem, fœnum, quoque & ligna, atque carbones, quamuis ligna suppeditant & nauigia. A saltibus enim, seu sylvis aliquanto remotior est hæc ciuitas. Media penè vrbe forum est spacioſum admodum, & in eo versus ortum domus ciuica, siue prætorium, amplum inprimis, atque magnificum sub annum à nato Christo 1546. impensis ciuitatis haud mediocribus exstructum, diruto prius, quod in ea vicinia est, Monasterio Franciscanorum. Est in medio nunc foro cisterna longè capacissima, quæ per canales & cuniculos quosdam subterraneos, eo ex quodam extra vrbem riuulo deducta, ad vsus quotidianos, & necessarios omnibus in vicinia habitantibus, aquam fundit copiosissimam. Non procul à foro, Orientem versus, templum est D. Petro Apostolo olim dicatum, spatioſum id inprimis & magnificum, latericium tamen, fundamento excepto, cui ad occidentem adhæret turris, imposita ei pyramide perquàm edita, laminis partim cupreis, partim plumbeis tecta tota. Quin & supra chorum eminet pyramis, verùm priore & angustior multo & humilior. Hoc templum parochiale est toti ciuitati, quamuis frequentissimæ. Templo ad Orientem iunctum est Sacellum, non magnum quidem illud, celebre tamen, in quo sacra olim fiebant, nunc pro Bibliotheca vsurpantur. Templo adiacet versus ortum brumalem Schola, eaque per celebris, in qua Rector siue Scholarcha vnus est, Hypodidascali autem quatuor.

FLENSBVRGVM.



CHLESVVICENSIS Ducatus, olim Saxoniæ Marchionatus, vnum ex tribus Iutiæ episcopatibus continet, Cimbricæ Chersonesi pars, post præcipuâ Schlesvvisensem vrbem, FLENSBVRGVM oppidum, ad maris orientem respicientis littus, cum portu multarum nauium capace, ostentat. Originem, nomenque à Flenone, Viro nobili, fortique milite habere, annales perhibent, qui prope littus maris Balthici habitans, eo ipso in loco, vbi nunc situm est Flensburgum, casas quasdam piscatorias, sibi tributarias habuit. Ad has postea tam vicini, quàm exteri, loci commoditate adducti, non solum confluxerunt, ibique suam sedem collocarûnt, verùm etiam ex piscationis quæstu, & paulo post, nauigationis commodis, aduenarum congressu & frequentia adaucti, formam & titulum oppidi, acquisieuerunt, vt sic Flensburgum, quasi, Flenonis burgum, nomen obtinuerit, circa annum Christi 1200. Paulo post huic nouo oppido, V Valdemarus Dux Iutiæ, ius municipale cum quibusdam priuilegiis concessit, & singulari diplomate confirmauit, post natalem Domini 1284. Quod ius, & quæ priuilegia, progressu temporis partim à Daniæ, partim à Iutiæ & Holsatiæ ducibus adaucta, & confirmata sunt. Oppidum hoc inter montes excelsos, littori maris orientalis adiacet, in quod eius portus se extendit, tanta commoditate, profunditate, & securitate, vt singuli ferè ciues ex domibus suis naues mercibus implere, & easdem rursus exonerare possint, vt non immeritò Crantzius, id oppidum terra mariq; rebus gerendis opportunum scribat. Amœnissimo, & saluberrimo in loco ædificatum est, nec non purissimis scatet fontibus, abundantiaque omnium rerum affluit, quæ ad omnes necessitates pertinent. Aedes habet magnificas, & splendidè exstructas. Ad hæc Parochias aliquot magnificè ædificatas, quarum omnium D. Ioannis parochia est vetustissima, estque longitudo eius passuum 2341. sita sub eleuatione polari 55. grad. 30. min. Arcem habet satis pulchram in monte collocatam, eiusdem nominis, vbi imminentem, & omnium oculis expositam. Versus meridiem habet Gymnasium, à Ludolpho Naaman Minorita, fundatum. Sepulta est in hoc oppido V Valdemari II. Regis Daniæ filia, cuius sepulchrali lapidi hæc etiam hodie inscripta leguntur, Sophia Marchionissa de Brandenburgh, filia quondam Regis V Valdemari II. hîc sepulta est cum prole sua. Variam hæc ciuitas experta est fortunam in bellis, quæ gesta sunt inter Reges Daniæ & comites Holsatiæ, propter Ducatum Slesvvicensem, aliquoties tam à Regibus Daniæ, quàm comitibus Holsatiæ obsessa, nonnunquam expugnata & spoliata est. Scribit in Saxonia Crantzius lib. 10. cap. 25. Ericus Rex Daniæ Flensburg oppidum ab Henrico Holsatiæ Comite, ob damna illata Danis, pignoris loco accepit, donec certa pecuniaria summa persolueretur. Rex accepto oppido, iussit profundissimo cingi fossato, quod hodie quoque cernitur, murum sustolli, & vicinum montem fossatis ambiri, vt facile appareret, quid in animo gestaret. Comes dictam pecuniarum summam circa finem anni depromere paratus, restitutionem oppidi poposcere; sed Rex auersatus nullas aures præbuit, semper causas texens ex causis, cur non oporteret. Facile enim tergiuersatur, qui potentia antecellit.

Idem lib. 10. cap. 30. Adolphus, comes de Schouvvenburgh Henrico Holsato mortuo, cum in præsidium impuberum ducum cum aliis strenuis viris vocaretur ex Ducatu Lunenburgensi, è Diœcesi Bremensi, ex VVestphalia, octingentis collectis militibus, aperto Marte fusis, fugatisque Danis, noctu Flensborgh oppidum à mari ingressus, peruenit in conuentum fratrum, & inde reliquum oppidum facile sui iuris effecit, & tum in Holsatiæ minorum Ducum potestatem rediit. Deinde in obsidione quadam vt Crantzius lib. 10. cap. 40. refert, Henricus Dux Slesvvicensis, & comes Holsatiæ, lancea cuiusdam interemptus est, post cuius mortem, ab Adolpho fratre Henrici, vnà cum arce deinceps superata est. Et hoc modo cum postea Adolphus bello inter Regem Daniæ, ac proceres regni & ipsum composito, Ducatum Slesvvicensem ritu solenni in feudum accepisset, verus Dominus Ciuitatis ac Arcis factus, quo sine hærede mortuo, ad Christianum I. Oldenburgensem Regem Daniæ deuoluta est, qui erat natus ex sorore Adolphi. Et iam anno Christi 1584. oppidum, vnà cum arce, sub Dominio Serenissimi Regis Daniæ Friderici II. Christiani abnepotis floret. Sed ortu nobilitauit Flensburgum, præstantissimi nominis cælator, sculptor, & pictor, Melchior Lorichius, qui magnis, remotissimarum nationum peregrinationibus cultus, Græciam, Italiam, Galliam, Belgium peragrauit, vt eius artis peritos excellentesque imitaretur, & videret artifices, ad quorum imitationem tam accurato iudicio se contulit, vt publica ipsius opera, & elegantissima ectypa, magistris suis, Italis, exterisque nationibus nunc sint admirationi. Inprimis autem, Suleymanni Turcarum Imperatoris Selymi filij, & Ismaëlis Persarum Regis Legati effigies, quas in æs Constantinopoli scalpsit. Quin & Flensburgensi huic patriæ, ornamento etiam existit Thomas ille Finchius, Geometricis artibus & scriptis clarus.

FLENSBVRGVM

ITZOHOA.

ITZOHOA *Floren-*
tissimae Holsatiæ Op.

ITZOHOA.

ITzohoa nobile, & augustum Holsatiæ oppidum, situ, lociq́ue natura, nauigatione, ac proinde negotiatione quæ per Storam & Albim flumina exercetur, præstans. Nam Stora, piscoso ac nauigabili flumine, vndique cingitur, quod flumen in intima Holsatia ortum, aliquot oppida, & nobilem illam Rantzouianam domum Bredenbergam alluens, ad occidentem Albi permixtum, à fluminum tandem parente recipitur. Oppidum autem Itzohoa primum à Ludero Biling Saxoniæ Duce, totiusq́; Holsatiæ domino, sub Ottone III A. circa annum Christi millesimum, contra VVandalos muniri cœptum, suppeditante flumine, & loci opportunitate munitiones: Cumq́ue VVandali, tempore Imperatoris Henrici II totam Holsatiam, Dithmarsiam ac Nordalbingam crebris incursionibus depopularentur, incensis omnibus villis ac pagis, vnicum propugnaculum in Itzohoe, & Borcklenburch, ab ipsis expugnari non potuit. VValdemarus autem, secundus eius nominis Daniæ Rex, deuicto Adolpho, tertio eius nominis Holsatiæ Comite, Hamburgum fugiente, oppidum istud diripuit ac deuastauit, Anno Christi M. C C. I. Postmodum verò anno salutis M. CC. VI. Holsatiæ Proceres, opportuna situs commoditate incitati, denuo hoc oppidum munire cœperunt, ibidemq́ue contra Regem se fortiter defenderunt, aquarum firmati præsidio, quæ mirum in modum eo die bis in eandem altitudinem exæstuarunt, vt ponte deiecto, ciues tueretur, Danis exclusis. Stora siquidem, quemadmodum & plæraque alia Holsatiæ flumina, ad aliquod miliaria, æstu marino, exagitatur. Itaq; hunc diem oppidani, celebri memoria, annuatim obseruant, eundemq́ue, ob partam tam illustrem victoriam, ciuium diem nuncupant.

Anno M. CC. XXXIII Itzohoenses, ab Adolpho IIII, syluis ac pratis, nec non insignibus, ac iure municipali donati sunt.

Gerhardus Comes Holsatiæ, & filius Adolphi IV anno reparatæ salutis M. CC. V. transtulit cœnobium virginum nobilium de Iuenflete, & id rursus extrui iussit ante oppidum Itzohoe, idq́ue multis, ac amplis prædiis ac fundis locupletauit, sepultusq́ue est in ipsa cœnobij Ecclesia, cum omnibus suis posteris. Deinde etiam anno M. CCC. XL Gerardus Magnus in Iutia cæsus, ibidem humatus est. Et Anno Christi M. CCC. LXXXI. Comes Henricus ferreus sic dictus, quod stipendia meruerat in Dania, Suecia, Anglia, & Italia: Nec non Elisabetha Comitis Nicolai coniunx, Anno M. CCC. LXXXVIII. Item. Comes Nicolaus, anno salutis M. CCCC. Annoq; Domini M. CCCC III. Albertus Comes, qui in Diethmarsiam irruptionem faciens, equo lapsus est, ex quo casu postmodum XXIX Septembris obiit. Post hos etiam Gerhardus Slesvvicensis & Holsatię Dux anno orbis redempti M. CCCC. IV à Diethmarsis cæsus, Anno deinde Christi M. CDXXI Henricus Holsatiæ Comes electus Antistes Osnaburgensis. Similiter Dux Henricus, filius Gerhardi in obsidione Flensburgensi lancea interemptus. Postremo sepultus est in eiusdem cœnobij Basilica, Anno M. CC. LIX Dux Adolphus Lubecæ mortuus. Extant ibidem & alia quædam monumenta tymbi, Epitaphia, Holsatiæ procerum, & illustrium, nobiliumq́; familiarum, imprimis verò ex heroica, & percelebri Ranzouiorum gente, Bredonis, Caij, qui Dominus & Hæres fuit Curui aggeris: Ioannis, Henrici, Pauli, Nicolai, & Mauritij, quorum plæraq́ue sepulturæ, ex candido mormore, præcellenti opere factæ conspiciuntur, eruditorum epitaphiis, & carminibus illustratæ. Extis, quod Iannis Ranzouij tumulo, marmori insculptum est excerpere placuit.

Ioanni Ranzouio, nobili Holsato, qui post susceptum balthei militaris decus, & perlustratas remotissimarum gentium prouincias, quantum pacis, belliq́; artibus, omnibusq́; corporis, atque animi eximiis bonis, enituit, id omne secundum pietatem in Deum, vni patriæ, eiusq́; laudatissimis Principibus, Friderico I, Christiano III, & Friderico II Danorum ex ordine Regibus, huiusq́ue patruis, Iohanni & Adolpho Holsatiæ Ducibus impendit, felicissimo euentu, vtpote summus cum iusto Imperio Dux, exortis subinde bellis destinatus, semper victor, qui præter copias, deditasq́ue vrbes atque arces, profligatos eiectosq́ue pro Cimbricis & Holsatis finibus, hostes rebellium Diethmarsorum contusam ac fractam armis contumaciam, octies, patentibus in campis, diuersis præliis sperata hostiles acies, vel ab ipsius indulgentia, vel à fœda fuga, vitam coëgerit impetrare, illustri & fidei erga patriam, eiusq́ue principes & clementiæ, erga victos gloria, quam ad fatalē maturæ senectutis horam, sine fortunæ ludibrio, perduxit, sicq́ue domi suæ ætatis veniam nactus, omnibus animi sensibus integris, in charissimæ coiugis, filiorum & nepotum complexu, æterno numini spiritum, à quo acceperat, firma in Christū fide, & certa resurrectionis spe, confirmatus reddidit. Henricus & Paulus filij, parenti charis. mœrentes posuēre. Obiit anno Domini M. D. Lxv. die XII mensis Decemb. cum vixisset annos LXXIII & mens. I.

Sed, de elogiis & Epithaphiis, quæ in aliorum Ranzouiorum monumentis tam in ista Ecclesia, quàm alibi passim leguntur: Item de generosis, claris, & fortibus, Nobilis Ranzouianę familiæ viris, qui quadringentis huc vsque annis, pace & bello floruerunt, liber extat, Antvverpiæ, Plantinianis, ac proinde elegantissimis typis excusus, cum Historico Epigrammatum libro, continente encomia Heroum, Imperatorum & Ducum, superioribus, & nostro sæculo, virtute bellica maximè illustrium, quos Henricus Ranzouius, in Duca tibus Regis Daniæ Vicarius, in Arce sua Breidenberga depingi, & versibus, partim à seipso compositis, partim hinc inde collectis, ornari curauit. Porro, in iam commemorato Itzohoensi Cœnobio, monastico habitu, etiamnum delegunt XXI diuinis officijs, nuncupatæ nobiles virgines. Haud ita procul ab isto virgineo, misericordiæ, pietatisq́; officina est sita, Xenodochium equestri D. Georgio sacrum. Oppidani Fredericum II Daniæ Regem, hæreditarium Dominum agnoscunt.

SLESVVICVM.

SLesvvicvm, Cimbricæ quondam totius Metropolis, amplissimum, & ex commerciorum frequentia opulentissimum oppidum, sed nunc, pro fatali eius casu, non ea magnificentia conspiciendum: situm in ipso Isthmo Cimbricæ Chersonesi, vbi inter duo maria, Oceanum scilicet Germanicum & mare Eoum, siue Balthicum, minima est terræ intercapedo, quæ etiam iusti milliarij germanici longitudinem non excedit. Nam flumen Threna, æstu Oceani, vsque ad Hollingstedepagum, refluit, à quo Slesvvicum oppidum, ad Sliam, sinum Maris Balthici, haud plus vnico milliari distat. Crantzius, & qui Saxonum conscripsere historias, aliam Slesvvico appellationem attribuunt, quam etiámnum apud Danos & Frisios vsus retinere videtur. Hi enim sua lingua hoc oppidum Hedebui vel, vt alij, Heideba, nuncupant, eò, quòd à quadam Daniæ Regina, cui Hethæ nomen, dicant primitùs esse conditum. Appellationis Hedebui vestigium, in occidentali littore ad Sliam, etiámnum supereſt. Ecclesia nimirum, quæ vetus Hedebui, nomen retinet. Quod si etiam Danum, vel Phrisicum Colonum, germanicæ linguæ ignarum, iturum Slesvvicum, aut inde redeuntē interroges, quónam se conferat, aut vnde veniat, non Slesvvicum, sed Hedebui, respondebit. Inuenio etiam in Annalibus Caroli Magni, à quodam anonimo Monacho cōscriptis, Slesvvicum prisci temporibus, Sliestorff, nuncupatum fuisse. Moderna autem oppidi nuncupatio, ex Saxonici idiomatis proprietate originem habet. Saxonibus enim & Cimbris, VVic, oppidum dicitur, positum ad sinum aliquem vel maris, vel fluuij (vt latius deducetur in Indice.) Cum aūt hoc oppidum in sinu maris Balthici positum sit, isq; antiquus Sliæ tractus fuerit, quod alueus è regione oppidi, se sinistrorsum flectēdo, sinū effecerit: Qui etiámnum (die Wick) ab incolis nominatur. Hinc Schleßwick/ & Slesvvici, est orta nuncupatio. Est autē peropportuno ad negotiationem situ, portum habens ad exercenda commercia, commodissimum. Olim enim ex Belgio, Britannia, Galliis, & Hispaniis, ad ostia Egdoræ fluuij nauibus merces transportabantur, quæ, per Threanam fluuium, Hollingstadium subuectæ, facili negocio Slesvvicum, ac inde, per mare Eoum, in Daniæ, Norvegiæ, Sueciæq; regna, nec non Liuoniam, Russiam, Borussiam, aliasq́ue Germaniæ Prouincias, quas mare Balthicum alluit, importari poterant. Ambitus Slesvvici, dum Vrbs amplior fuit, idq; hodie adhuc, intercisa & interrupta vallorum & aggerum rudera monstrant, si principium ab occidentali latere Sliæ sumatur, apud superstitem Ecclesiam, cui Heddebui nomen manet, vbi Slia sinum, occidentalem plagā versus, efficit, quem vulgo, (die Wick) vocant. Videntur ibi vallum, fossæque vrbis superstites, atque adhuc satis integræ. Quædam pilæ etiam lignei pontis, per quem transitus supra sinū fuit, compendiosa via, qua Ecklenfordiā Chilonium mq; itur, ante paucos annos apparebant. Huic loco mons altus imminet, Oldenburgi nomen habens, arboribus, fructicibus, & spinis vndequaq; consitus, vt propter densitatem ascensus sit difficilis, in cuius summitate Arx posita fuit munitissima, clauis Isthmi Cimbrici. Ea, etsi omnino nunc diruta sit, vt nihil reliquiarum supersit, manent tamen tres fossæ profundæ, quibus olim fortalicium illud circundatum fuit. Eam arcem, cum vrbe subiecta, cum Henricus primus Imperator Marchioni Saxoniæ sedem constituisset, illo mortuo, Dani obsederunt expugnaueruntque. Visuntur etiam adhuc loca, & castrorum vestigia. Ingressum quoq; sinus istius obstruxerunt Dani, vt nulla iustæ magnitudinis nauis ingredi queat, sed armentis, equis, curribusque vadum sit. Ab ea Vrbis parte, quæ Aquilonem respicit, agger fuit, in orientale littus Sliæ, vbi nunc Slesvvicum oppidum est. Tum temporis enim Slia tam altè, vt nūc Gottorpium, Arcem versus, non ascendit. Neq; Gottorpium adhuc iis temporibus conditum erat. Neque etiam hi, qui nunc Gottorpium ducunt, aggeres erant. Sed erat pars illa Aquilonaris tota palustris & saltuosa, vti adhuc lacus Bustorpianus, &, qui Castellum alluit, Der Borchſehe dictus, nemusq; & saltus (Poſen) nuncupati demonstrant, ita, vt transitus Slesvvicum, per illūaggerem saltem pateret. Essetq; natura loci is tractus munitissimus. In eius aggeris medio, loco editiore, propugnaculum erat, castrum D. Georgij. Quo in loco, Dux Adolphus denuo, nostro tempore domum ædificauit, cuius fundamenta, superiore anno, sub terris inuenta, fuerunt satis operosè muris exstructa. Aggeris etiam vna pars sub aquis manet, quæ Fauonio Tephiroque ventis, aquas abigentibus, adhuc cernitur, & ab eius loci gnaris, tamen non sine periculo, ceu vadum aliquando transitur. Cinxit deinde aliud vallum, vrbem Slesvvicum à Slię orientali ripa incipiens. Vallum illud cōtinuatum fuit septentrionem versus, atq; colli munimentum impositum, quod adhuc extat, & in delubrum versum S. Michaēli dicatum est, prope forum vrbis equinum. Videtur & valli aliqua pars, quæ intercisa, in orientem porrigebatur versus fontem, è quo canalibus aquæ in oppidum deriuantur, vulgo, (Der Pipenborn) Indeque haud longe, in lacum Sclię, qui Nöer dicitur, vallum illud desiit.

Antiquus hic Slesvvici ambitus fuit, partim arte, partim natura loci munitus. Sed, vt & de præsenti eius oppidi situ & conditione agamus, Danicis doceмur historiis, primum templum Deo vero & æterno conditum & dedicatū fuisse Slesvvici, ab Erico Rege Daniæ fratre Heraldi, quem S. Anscharius ad Christi fidem verbi diuini sedula, & fideli prædicatione conuertit, anno Christi D. CCC. XLVIII. Quo numero annorum, ab hoc nostro tempore, anni M. D. LXXXIII. subducto relinquuntur D. CC. XXXV. anni, ante quos hæc patria Christo Saluatori nostro nomen dedit. Verum sequentes reges non diu in ea fide perseuerarūnt, vt in Indice latius deducemus.

Circa annum, à nato Christo M. LXIV. Slaui, ciuitatem Slesvvick capiunt, expugnant, depopulantur, funditus extinguunt, & Religionem Christianam pessundār. Cessante autem iam Slauica persecutione, auctus est Slesvvici cultus diuinus, pleraq; monasteria & templa ædificata. Restaurata est imprimis Cathedralis Ecclesia, atq; opibus & redditibus aucta. Extructum est etiam ab Anglis, prope forum Ecclesia S. Spiritus, quod adiunctum habuit eiusdem nominis Xenodochium. Erat etiam Ecclesia D. Nicolai, ex australi Cathedralis Ecclesiæ latere, quæ adiunctum habuit monasterium ordinis D. Augustini, orientem versus. Ea ædificia funditus diruta, & solo æquata sunt, vt nulla eorum vestigia supersint. Extat & Xenodochiū & Sacellum S. Georgij ad pagum eius nominis supra montem, Aquilonem versus, sed & illud totum in nihilum est redactum, vna cum sacello, extantibus paucissimis ruderibus. Supra eundem montem penes viam, qua Flensburgum itur, Sacellum est D. Michaelis Archangeli, forma rotunda, vti plerisq; in locis, antiqua infidelium delubra cernuntur. Superest autem integrum monasterium nobilium virginum monialium in peninsula Slesvvici (Hollm) dicta. Templum in eadem peninsula, primùm pro mercatoria domo ab Anglis extructum, & sequenti tempore in Ecclesiam sacratum, planè dirutum iacet.

Ea, nunc est olim opulentissimæ & amplissimæ Vrbis deploranda facies, si ad illam pristinam magnificentiam diuini cultus, & opulentissimorum commerciorum referatur. Sed nihil nimirum. Vt enim hominibus vitæ suæ, sic imperiis, regnis, atq; Rebuspub. sui sunt fatales termini. Durat tamen adhuc, & mediocri statu conseruatur Cathedralis Ecclesia Slesvvicensis. Fundatus est Episcopatus Slesvvici ab Ottone primo, anno Domini D. CCCC. XLVI. Ac postea à Daniæ Regibus variis redditibus auctus. Episcopos habuit vsque ad hunc annum Christi M. D. LXXXIV. quadraginta quatuor, qui ibidem magna ex parte humati quiescunt.

Non procul à Slesvvicensi oppido, GOTTORPIA Arx sita est, nomen à Gothis obtinens, qui hic olim castra habuerunt. veterum Ducum Slesvvicensium sedes; nunc Adolphi, ex Oldenburgensi familia primi eius nominis dominio, vnà cum oppidulo subiecta est, qui arcem firmissimis propugnaculis ac muris munire, ædificiisque nouis ac ponte lapideo ornare cœpit. Telonium hic celebre, vbi compertum, sertilibus annis ex Dania 50000. boum, in Germaniam abacta, vectigal soluisse.

SCHLESWICVM

Adolphi Hô ſſatiæ Ducis

Oppidi insignia

GOTTORPIA.

SLEA FLV.

Ecclesia vetus Freddebuy

Gottorpia.

Fortibus à Gottis habet arce Gottorpia nomen,
Hoſſatici dudum quam tenuère duces.
Jam ſtudet hanc nec non munire laborat Adolphus,
Sæpe ibi quod Princeps inclitus eſſe ſolet.

Sleſuigum.

Panicies inter Scotos ſpectatur et Anglos
Quæ licet exigua eſt, æquora bina ſecat
Et cherſoneſi Cimbrorum dicitur eſtus
Non procul à Frena flumine uelifera.

Cingitur hic Iſthmus uallo, uallumq[ue] uocatur
Danorum, ſtruxit quod Godef[redus] opus
Sleſuigum porro nos illam dicimus inde,
Quod maris ad curuum eſt ad[iacens] ſinum,
Ampla fuit quondam, portuq[ue] exim[io] amico
Omnigenas merces, quas maris ad[uehit]
Res ea decreuit ſic vt non ampli[us] urbis
Sed tantum oppidulū, nomen h[abe]re queat.

Ex Generoſi ac Nobilis Viri D.HO[NORII] RANSOVII Musæo
CIↃ. Ↄ. LXXX. Coloniæ
Cum priuilegio.

A. Pons lapideus
B. Caſtrum D. Georgij, vulgo Die Jürgens Burch
C. Vetus delubrum; Nunc, Diuo Michaeli dicatum.
D. Eccleſia Cathedralis. E. Epiſcopi domus.
F. Turris S. Spiritus, ædificata à negotiatoribus Anglis
G. Curia. H. Reninsula, Holm germanicè dicta
I. Monaſterium dicatum, deo nobilium uirginum.
K. Hîc incipit munimentum Gotfridi Danorum Regis Inde nomen germanicè obtinens, Dennewerck. Ductum ab orientali Maris ſinu, vsque ad Occidentalem Oceanum.

SEGEBERGA.

HOLSATIAE Ducatum à nemoribus syluisque adpellationem sortitum, & nuncupatum, quasi in lignis, nemoribusque satum; sibi conditionem, & admirabilem lignorum abundantiam consideranti, nouum non erit. Regio est plana, quæ raris extollitur montibus, & quem inter duos, præcipuũ exhibet, is minimè rarus, situ est periucundo, & belli togæque ornamentis, quibus à nobilissimo viro, Henrico Ranzouio decoratur, admodum celebris, inter Lubecam & Hamburgam, famosas, Hanseatici fœderis, vrbes, Ita vt Hamburga septem, Lubeca verò quatuor miliaribus distet. Arcem tam antiquitate, quàm primo fundatore, illustrem, sibi impositam, & ad eius radices opidum adiunctum habet. Quod quidem castrum, priscis temporibus Aelberch, Nunc verò Sigeburgum nuncupatum, Lotharij, eius nominis secundi, Augusti opera, inclarescere cœpit. Is enim VVagriam, Sclauorum Cymbricæ Chersonesi regionem, Canuto, Slesuicensium Duci in feudum concessit, cumq; VVandalorum, & Obotritorum Regem creauit, qui paulo post à Magno, Nicolai Regis Daniæ patrui sui filio, interemptus est, extimulante impiissima matre, ambitione inflammata, ad parricidium filium. Hic Canutus, in Regia Lotharij imperatoris aula, enutritus, & iam Obotritorum Rex adpellatus, peropportuna situs commoditate illectus, tumultuario opere, montem Aelberg, in quo postmodum Arx Sigeberga collocata est, munire cœpit. Cuius quidem instituti, munitionisque præfectus, nocturno tempore à Latrone captus est: Adolpho primo Holsatiæ Comite, vt multorum suspicio est, conniuente, eò quòd crescentẽ Canuti potentiam, inuisam suspectamque haberet. Canuto autem, paulò post trucidato, VVandalorum, Obotritorum, & VVagrinensium dominum, Pribislaus, cum fratre Nicloto, ex Regum Obotritorum familia hæreditatis titulo, per vim obtinuerunt. Lotharius interim Imperator, Canuti mortem grauiter ferens, à S. Vicelino presbytero, & in Bardvvich, celebri olim Saxoniæ vrbe, verbi diuini præcone, religionis ergò, admonitus, traiecto flumine Albi, & conscriptis, eo loci, Nordalbingis (Holsati & Dietmarsi sunt, qui Nordalbingi dicuntur, quia ad Albis fluuij ripam, in Boream, siti sunt) montem Aelberg, iam secundò occupatum, Anno salutis M. C. XXXIV, præsidio firmauit, qui vt securam huic loco tutelam, magisque certam defensionem præberet, Religionis etiam studium, firmissimum politiarum vinculum, instituto suo coniunxit. Hinc Monasterium ad montis radicem excitari curauit. Quemadmodum ex priuilegio, eidem Monasterio à Lothario Imperatore concesso, perspici potest, cuius quidem verba sic habent.

In nomine Domini Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, Lotharius diuinæ ordinationis clementia Romanorum Imperator Augustus, notum esse volumus omnibus fidelibus, tam præsentibus, quàm futuris, quod nos pro persecutione paganorum in Christianos, Castrum in Slauia construximus, quod à modernis vocatur Sigeburg, ab antiquis Aelberg, & ante castrum fecimus Ecclesiam ad honorem Dei & virginis Mariæ, & B. Ioannis Euangelistæ pro fide Catholica ibi propaganda, ordinationem verò supra dictæ Ecclesiæ, commisimus fideli nostro fratri Vicelino viro religioso & bonæ conuersationis, cuius vitam in bonis operibus probatam cognouimus, suisque successoribus, quos sanior pars elegerit fratrum. Ad promotionem verò ipsius Ecclesiæ & ad sustentationem fratrum Deo ibi seruientium concedimus pro remedio animæ nostræ & dilectæ coniugis nostræ Righzem, omnem terram quæ est in occidentali parte Castri, videlicet, à Castro vsque ad fluuium Trauenæ, ex vtraque parte viæ, cum sylua in meridionali plaga adiacente cum sex plagis, &c. Et, vt hæc omnia rata & inconuulsa permaneant, impressione Sigilli nostri signari præcepimus. Data anno Incarnationis Dominicæ Millesimo centesimo tricesimo septimo, XVI Kalend. April. Anno verò regni nostri XII. Imperij V. Actum Bardevvick in Christi nomine feliciter. Amen.

Pribislaus autem, qui post Canuti mortem in Obotritarum dominum sese ingesserat, acerrimus Christianæ religionis hostis, mortuo Cæsare & Henrico Bauariæ Duce, imperatoris genero, cum Alberto Marchione Brandeburgensi, de Saxoniæ Ducatu contendente, principibusq; Germaniæ aliis bellis occupatis, hac tali occasione vtens, Castrũ Segebergense in potestatem suam redigere tentauit, Sed cùm esset validè munitum, & militaripræsidio, rebusq; necessariis instructum, expugnare non potuit, quare, re infecta, discedere coactus fuit; Monasterium autem cum suburbio, & cæteris proximè adiacentibus pagis, incendio vastauit, & Holsatiam depopulatus est. Tandem hoc Pribislao etiam defuncto, Adolphus secundus Holsatiæ Comes, VVagriam ob damnum, clademque perpessam, sibi subiecit, Holsatiæque Comitatui, quem Lotharius, Bilingorum extincta familia, Schavvenburgensibus concesserat, coniunxit, monasteriumque alio in loco restaurari curauit. Sub quorum iurisdictione, arx vnà cum opido tantisper permansit, donec Adolphus V. ex hac familia vltimus, sine hærede discederet, & Schovvenburgenses, ius suum, Comitatum Holsatiæ Christiano primo Daniæ Regi, ex sorore Adolphi V & vltimi nato venderent, & proceres ac status huius Comitatus illum in suum principem eligerent, cuius posteri adhuc Holsatiam, Stormariam, & VVagriam possident. Eaque ratione, hoc castrum, vnà cum opido ex hæreditate abaui, aui, & patris, deuolutum est ad Fridericum II Daniæ Regem, qui eius hoc tempore possessor est, & Dominus. Postquàm autem Arx Sigeberga iam munita, monasteriumq; ædificatum esset, opidum Segebergense crescere quidem cœpit, aliquoties tamen, cùm Arx obsideretur, concrematum, & penitus euersum fuit. Quemadmodum etiam anno M. D. XXXIV à Lubecensibus, Christiano III bellum inferentibus, ac arcem hanc obsidione cingentibus, cum re infecta discedere cogerentur, hoc opidum incendio deformatum est. Donatum autem primùm fuit iure municipali ac ciuitatis, nec non titulo & insignibus, Anno Domini M. CC. LX à Ioanne & Gerhardo fratribus Comitibus Holsatiæ, Stormariæ, VVagriæ, & Schauuenburgensium, qui incolis quoq; agros, pascua, & piscationes concesserunt. Quæ donatio non soluta ad hunc vsque diem inuiolata permansit, sed à successoribus etiam ipsorum est confirmata. Monasterium ipsum, ordinis est D. Augustini, in quo monachi non indocti, illi familiæ ornamento fuêre. Nam, Anno M. C. LXXXIV Theodoricus ex hoc Monasterio electus est Episcopus Lubecensis. In Ecclesia Monasterij humatus iacet Adolphus Comes Ioannis II filius, qui in hac arce ab Hartuico Reuentlauio nobili Holsato, præfecto suo, cuius filiam stuprauerat, interfectus est. Qui quidem, quali æstu ad arcem peruenerit, & hanc Comitis cædem patrarit, hunc in modum historiæ perhibent.

Hartuicus Reuentlauius, Nobilis Holsatus, reliquos suos fratres in Segebergense opidum conuocauit, vt cum illis deliberaret, quonam pacto stuprum filiæ & consanguineæ ab Adolpho Comite illatum, vindicarent, & cùm vnus illorum minas ac verba atrocia, aliquanto liberiùs in Comitem eructasset, Comes hoc resciscens, illum in Arcem abripi, & decollari, caputq; fratri Hartuico per cubicularium exhiberi iussit. Hartuicus, cum cæteris fratribus, vt par erat, casum hunc ægrè ferens, consenso equo caput fratris apprehendit, sanguinisque guttas in manum stillans, absorpit, & dixit. Refer Comiti; per sanguinem fratris mei, quem hausi, me mortem eius & ignominiam, quam mihi & familiæ intulit, hac mea manu, vt Nobilem Cimbrum & Holsatum decet, vlturum, & post, incitato equo, festinanter se subduxit. Elapso autem aliquot annorum spacio, Hartuicus tandem tempus oportunum se nactum sperans, quò iniuriam hanc vindicaret; cùm sciret Comitem venatione delectari, eumq; venatorem cum cane venatorio in syluam, indagandorum ceruorum causa, emittere solere, Ipse venatorem obseruat, eique in nemore vestes detrahens, nudum arbori alligauit, & sumptis vestibus, equo & cane venatorio comitatus, solus ad Arcem se conferens, à ianitoribus, manè hora tertia in æstate intromittitur, existimantibus eum esse venatorem. Ille recta ad cubiculum Comitis tendens, cùm pulsasset ianuam, ac à puero intromissus esset; Comitem his verbis alloquitur; Vides, ac nosti qui sim? Commenda te Deo, morte enim piabis facinora, ipsumque statim cum puero trucidauit, eodemque venatorio habitu discedens, citra impedimentum, ad suos reuersus est. Ita qui iustus est Deus, attrocia delicta, atrocibus pœnis, etiam in hac vita punire solet. Cùm autem Hartuicus Holsatiæ finibus cogeretur discedere, Romam profectus, absolutionem à Pontifice Ioanne XXII impetrauit, hac tamen illi pœnitentia iniuncta, vt bona sua in vsum pauperum distribueret. Ex quibus Refectorium Cœnobij Itzohoiensis nobilium virginum extrui curauit, Comitis autem puer, filius ipsius fuisse dicitur ex Hartuici filia natus; Id ex Epithaphio, In æde sacra Segebergensi constare putatur, quod habet. Anno Domini M.C C C. XV Occisus est Comes Adolphus cum filio suo & hic sepultus. In eadem ista Ecclesia multi etiam nobiles humati quiescunt, præsertim VValstorpij, quorum insignia ibidem appensa conspiciuntur, inter hos Gerhardus VValstorpius, cui Henricus Ranzouius in columna templi monumentum ex marmore Godlandico fieri curauit, in qno ipsius effigies, habitu armati equitis, ac ante signum crucis decumbentis cernitur, cum hac inscriptione. Henricus Ranzouius Domini Ioannis Ranzouij equitis aurati filius, huius arcis præfectus, auo suo materno Gerhardo VValstorpio, ex pia matris suæ postulatione, posuit. Anno Christi 1562. Sita est hæc arx & opidulum, Segenbergense inter Hamburgum, Lubecam & Chilonium, ita tamen, vt Hambugo per 7. Lubeca 4; Chilonio, per sex miliaria distet, sub eleuatione poli gradus 54. min. 30.

ARX SEGEBERGA, quondam Adelberga, Wagriam, nobilem Hollatiæ Regionem, exornat. Cuius icone, Sicuti et aliarū, totius Cymbricj Chersonesi vrbium, quæ nunq̄ ante, sunt editæ, Nobiliß. Vir, D. HENRICVS RANZOVIVS, Regis Daniæ in Ducatib. Slesui, Hollatiæ, et Dietmarsiae Vicarius, Huiusq̄ Arcis Præfectus, Vnicum Musarū Decus, opus hoc nostrū, adauxit.

Domus Henrici Ranzouij.

Curia

Stagnum Segebergense

HVSENVM.

HVSEM Oppidum est Slesvvicense situm in ditione Adolphi, tanquam Ducis Slesvvicensis, portum habens mercatorum negotiationibus celebrem. Hunc portum maris Oceani tractus, Heuer, nuncupatus, efficit, qui Husem opp. alluit, vnde facile nauigatio in Hollandiam, Selandiam, Angliam & Scotiam institui potest, quibus ex locis varij generis merces reportantur, quæ inde Flensburgum (quinque tantum miliaribus inde distitum) auehuntur, & sic ex oceano occidentali, in orientalem transferuntur. Hoc autem oppidum, etsi domibus, plateis, longitudine, amplitudine, ac vbertate soli Flensburgo vix cedat, hactenus tamen nullum ciuitatis ius habuit, nec muro, vallóue, aut fossis cinctum fuit, eò quòd Dithmarsi nondum essent subacti, atq; ab Holsatiæ ac Slesvvici Ducibus & ipsorum consiliariis metueretur, ne incolæ, arrepta occasione, deficerent, seq; vicinosque populos ac insulas, quemadmodum Eiderstedenses ac Strandenses, ad rebellionem commouerent, atque in hoc oppido, ob situm loci, refugium ac munitionem haberent. Nunc autem Dithmarsis quinque & viginti annis ferè subactis, ius ciuitatis, certis conditionibus ac legibus anno M. D. LXXXII. Februarij, die XIX. à Duce Adolpho obtinuit, qui pulcherrima Arce oppidum etiam ipsum decenter ornauit.

HVsenum illustris pars est quotacunque ducatus,
Qui nomen Slesvvig, traxit ab vrbe suum.
Holsatiaq; Duci iam dudum paret Adolpho,
A quo iuris habet principe, quicquid habet.
Nam licet egregio sit felix incola portu
Husensis, tutò soluere vt inde queat.
Mercibus atque suis Hollandos posit & Anglos
Visere, & exoticas inde referre domum:
Et licet haud cedat Flensburgo, quo sita crebrò
Transportare solet, vendere quæ statuit.
Ritè per Hesperium queat vt mare currere, nec non
Longius amotos visere posit agros:
Non hucusque tamen ius municipale valebat,
Quamuis optaret sæpe parare sibi.
Non ades muro, fossis, vallóue licebat
Cingere, ne contra sumeret arma ducem
Nec se Dithmarsis adiungeret, effera quorum
Vita ehei belli fax furiosa fuit.
His verò vitiis est exoratus Adolphus,
Et ius Huseno municipale dedit.
Illic & magnis extruxit sumptibus arcem,
Qua non vlla quidem pulchrior esse potest.

Ex nobili, & peraugusto D. Hen. Ranzouij Musæo.

HADERSLEBIA.

HADERSLEBIA opp. Slesvvicensis Ducatus, à VValdemaro Duce Iutiæ, anno Christi M. CC. XCII. ius & priuilegia ciuica consequitur. Arce quondam in colle munita fuit, quam Ioannes Holsatiæ Dux solo æquauit, & rursus, non procul ab oppido, ferè in peninsula nouam ædificare cœpit, nomine ipsius, Hansburgam nuncupatam, vna cum Ecclesia marmore auroque ornata. Sed is morte præuentus anno salutis M. D. LXXX. Fridericus secundus Rex Daniæ, eam, iure successionis adeptus, perfecit, cuius imperio etiamnum gaudet. Est & hic cathedralis Ecclesia, in qua Rumpoldus Dux Sleſiæ, eò à Cæsare Sigismundo missus, ad certas componendas lites inter Daniæ Regem Ericum & Holsatię Comites, Slesvvicensis Ducatus caussa exortas, peste in hac legatione extinctus, honorificè ab Erico Daniæ Rege sepultus est. Habet etiam Xenodochium in ipso oppidi ingressu, & Scholam ab ipso Duce Ioanne ædificatam, & copiosis dotatam redditibus. Insuper & portum tutissimum Fioniam in oceanum orientalem vergentem, quem fertiles in vicinia agri condecorant.

A Duce VValdmaro primum Haderslebia nomen
Iutia cui quondam paruit, vrbis habet.
Arx hic structa fuit vicino in colle, Ioannes
Quam dux illustris, diruit Holsatia.
Diruit ac arcem, vicino in littore cœpit
Sumptibus haud paruis ædificare nouam.
Hansburgum dicunt: simul vt cum nomine notum,
Arcu quis fuerit conditor, esse queat.
Struxit in hoc templum speciosum marmore & auro
Sincero verbi, motus amore Dei.
At nunc iure tenet Fridericus id omne secundus
Rex Daniæ, cuius fama perennis erit.
Et, quia Dux moriens, multa imperfecta reliquit,
Rex hæres opibus perficit ista suis.
Aedes præterea Cathedralis in vrbe videtur,
In qua Rumpoldi sunt monumenta ducis.
Gymnasium quoq; dux magna cum laude Ioannes
Extruxit, curam religionis habens.
Attribuit reditus opulento principe dignos
Nam studia in precio duxit habenda sibi.
Insuper & tutum maris Haderslebia portum
Fœcundos agros, pascua lata tenet.

Ranzouianis Musis suppeditantibus.

HVSEMVM DVCATVS SLESVICENSIS AD SINVM HEVERAM OPP.

Insignia Oppid

Illustris viri HENRICI RANZOVII Regii gubernatoris etc. conatib

Coemiterium

Arx

Forum

1. Locus in quo meræs ascendunt

2. Locus, vbi naues meræs exponũt

HEVERA

Insignia Oppidi

Ecc. Cathedralis

Antonij Ranzouij domus

Forum

Xenodochiũ

Hortus

Armamenta

HANSEVRGA ARX

HADERSLEBIA, in Ducatu Slesuicensi, uersus Fioniam, Opp. Arce Regia munitũ, quæ forma quadrata aream exhibet, centũ et quinquaginta passus longam, et totidem fere latam. 1585. Coloniæ Agripp.

CHILONIVM.

MARE Balthicum, qua parte Holsatiam & Slesvvicum Ducatus alluit, certos habet & iucundos sinus, Isthmos Græci nuncupant, in quos magno accolarum commodo erumpit, & tri os negotiatoribus nauibusque marinis fluctibus defatigatis præbet recessus. Hac etiam commoditate Chilonium, nobile Holsatiæ oppidum, situs, & naturæ benignitate fruitur, vt portum habeat capacem & peropportunum, in quem ex Germaniæ, Liuonia, Dania ac Suecia, magno oppidanorum quæstu, merces deferuntur. Quibus eadem maris vicinitas, piscatum etiam vberem & maxime Salmonum præbet, ex quo incolarum non pauci commodè victitant. Vetus est oppidum, aquis probè instructum, & fere vndique cinctum, adpellationem à cuneo, vt germanicè sonat, obtinens. Arce decoratur conspicua abs Adolpho Duce, nouis ædificiis venustè exornata. Sed præcipua Chilonium celebritate pollex, peraugustis nobilium comitiis, quæ quotannis ibi celebri habentur frequentia, circa D. Anthonij festa, vbi publica priuataque negotia, & præsertim res pecuniarias, quas opulentas habent, expediunt. Est & Minoritarum Monasterium, iam in Xenodochium conuersum, in cuius Ecclesia Adolphus quartus Holsatiæ ac VVagriæ Comes, qui VValdemarum secundum Daniæ Regem in Bornhofede deuicit, sepultus est anno Salutis, M. CC. LXI. cum antea eiusdem instituti Monachatum fuisset professus, idemque monasterium, anno post natum Christum M. CC. XLIV. ædificasset.

Gerardus primus Holsatiæ ac Schouvvenburgi Comes Chilonenses præcellentibus decorauit priuilegiis, quibus oppidanorum fines ac termini describuntur, anno restitutæ salutis M. CC. LXXI.

Anno deinde, post salutarem Christi aduentum M. CCC. XV. Gerardus secundus Holsatię Comes, in Quendesburg Comitis Henrici filius, nec non Ioannes Comes Holsatię in Ploen. Gerardi Comitis filius, ius municipale Chilonicolis concessit, omnino tale, quali Lubecenses vtuntur.

Nicolaus Holsatiæ Stormariæ, ac Scouvvenburgicus Comes, concessa iam antea à maioribus priuilegia, & præcipuè nonnulla super immunitatibus in certo Iutiæ portu, præsente VValdemaro de Ranrovv, anno gratiæ M. CCC. XC.

Hæc autem omnia priuilegia, iura, & immunitates serenissimi Daniæ Reges ac Holsatiæ, ex Oldenburgensium familiæ Duces, sigillatis deinde literis corroborarunt.

Est in hoc oppido parochialis Ecclesia, cui illustris, ac nobilis Ranzouiorum familiæ est adiunctum sacellum, in quo multi Ranzouij perhonorificè conditi sunt, & præcipuè Otto Ranzouius eques auratus, cum filiis, filiabus, atque nepotibus, in cuius monumento insignia Gentilitia ære infusa videntur.

Cuius gratam posteritati memoriam, Henricus Ranzouius Regis Daniæ Friderici secundi vices in Ducatibus Slef. Holsat. & Ditm. gerens, vnicum familiæ suæ decus, ornamentum, ac lumen, hoc pactolucubrationibus suis inseruit.

OTTO RANZOVIVS. EQ. AVR. DOMINVS
IN BVLCK ET CNOP, OBIIT CHILONII,
anno M. D. XI. Consiliarius Ioannis Regis
Daniæ, Sueciæ, & Noruegiæ.

Nclyta Ranzouium virtus quoq; tollit Othonem,
Et viget Holsato posthuma fama solo.
Baltheus ob meritum, gladius cui fulgidus auro
Cesserat, auratus nomine fertur eques.
Cui nec Vlyssææ decerat prudentia mentis,
Et, quæ Nestoreæ gratia vocis erat.
Consilijs prudens Ioannis rexerat aulam,
Danorum senior qui data sceptra tulit.
Duxit at hinc vitam Chilonydos vrbe quietam,
Auersans strepitus, aula molesta tuos.
Tum fieri sacra curauit in æde sepulchrum,
Semotum populo clausa quod æra tegunt:
Nempe memor vitæ fragilis, mortisq; futuræ,
Hic voluit membris esse cubile suis.
Hic decies senos clypeos, galeasq; comantes,
Magnorum videas signa vetusta virum.
Quis de Ranzouio florentes stemmate, clara
Temporis vnius laude, fuêre decus.
Hæc iuuenes vobis addant calcaria pulchra
Virtutis, quas nunc Cimbria diues alit.

CHILONIVM, Vulgo Kyell, lautum atque uetustum Holsatiae, ad Isthmum Maris Balthici Oppidum, Situ, negotiationi peroportuno, et amœnis, nobilitatis Cimbricæ Comitijs, comendatum.

A. Ecclesia Christo, D. Nicolai nomine dicata. B. Forum
C. Curia D. Xenodochium. E. Domus HENRICI RANZOVII Nobilis Holsati Regis Daniæ vicarij.
F. Arx DVCIS ADOLPHI.
G. Locus, ubi merces exonerantur.

CREMPA.

CREMPA, Holsatiæ oppidum, nomen habet à flumine nauigabili Crempa, quod per medium istius labitur in Storam & Albim. Ius municipale & insignia accepit, anno Domini 1271. à Gerhardo: primo Holsatiæ, Schovvenburgens. ac Stormariæ Comite Adolphi 1111. filio. Sub Christiano tertio, anno Domini 1535. flagrante bello Lubecensi, vallo fossisque & propugnaculis à Ioanne Ranzouio, equite aurato est ita munita, vt inter Holsatiæ munitiones, non minima existat. Incolæ mercaturam exercent, nec minus agriculturę operam dant, cum in palustribus ac frugiferis locis, non procul ab Albi & Stora sita est. Nunc autem anno 1584. Friderico secundo Regi Daniæ, tanquam Duci Holsatiæ, ad quem à patre Christiano tertio deuoluta, subiecta est.

Vrbs ego Cymbricæ non infima gloria terræ,
Velifero Crempa flumine, Crempa vocor.
Quod simul in Storam resonans se iactat in Albim,
Me media cursu, præpete parte secans,
An. Dom. 1271. *Municipale meis, ius ac insignia cessit*
Ciuibus Holsatiæ, Stormariæq; Comes.
A quarto celebris genitore Gebhardus Adolpho
Alter & istius, nominis ipse Comes.
Anno Domini 1535. sub Christiano III. *Cum vallo fossas, & propugnacula struxit*
Auratus summa laude vehendus eques.
Ianus Ranzouius, bello flagrante Lubeca
Munitam satis, vt dicere iure queas,
Rure mei viuunt ciues, ac merce, palustris
Quod cum fœcundis & bene structa locis.
Porro Friderico iam sum subiecta secundo,
Qui Daniæ Rex, & Dux simul Holsatiæ est.

REINHOLDSBVRGA.

REINHOLDSBVRGA elegans Holsatiæ oppidum, arce regia conspicuum, abs Rheinoldo quodam fundatum, qui nomen oppido & Castro indidit Reinholdiborch, qui fundator, num princeps vel nobilis aliquis fuerit, ignoratur. Vrbs est opportuno loco sita; Eidora enim totam eam circumfluit, & aliquoties eam cursu suo diuidit, ita vt inde nauigatio in Hispaniam, Galliam, Angliam ac inferiorem Germaniam institui queat. Turris, quæ hodierna die in arce conspicitur, à Gerhardo magno Comite Holsatię & Schovvenburgens. ædificata est, circa annum 1230. Deinceps, alter Gerhardus, Henricus & Nicolaus fratres, dederũt ciuitati aliquot pagos ac ius municipale, vnà cum insignibus, quibus hodierno die vtitur, anno Domini 1339. Quorum successoribus mortuis, ad Reges Daniæ, ex Oldenburgens. comitum familia natos venditione, cum cæteris Holsatiæ locis, peruenit. Christianus tertius Rex Daniæ eam munitionem, quæ iam videtur, fieri curauit. Ioannes eius frater, cui in diuisione obtigerat, arcem ibidem, vetustate collapsam, ædificiis splendidis rursus exornauit. Quo mortuo absque hæredibus, cum eius ditiones inter fratrem Adolphum & Fridericum II. fratris filium, iure feudali diuiderentur, Friderico II. Regi Daniæ cessit, cuius dominio hoc anno 1584. subiecta est.

Vrbem quam spectas, hæc Reinholsburga vocatur,
Eidora est fluuius, qui prope voluit aquas.
Indidit huic vrbi nomen Reinholdus, & arci,
Danorum nunc Rex, hanc Fridericus habet.

CREMPA

CREMPA HOLSATIAE OPP.
IOANNIS RANZOVII EQVITIS
AVRATI INDVSTRIA MVNITISS.

Curia

Armamentaria

Crempa

REINH OLDSBVRGA.

Curia

Arx Regia

Campen

Eidora

EIDO RA

FLV.

Rendesburga, uenustum Holsatiae Oppidum Eidora fluvio circundatum.

HAMBVRGVM.

CIMBRICA Chersonesus, extima Germaniæ pars, versus Septentrionem, Iutiam, cum adiacentibus insulis, Holsatiam, Stormariam, VVagriam, Diethmarsiam, Slesuicensem Ducatum, vna eademq; appellatione, quondam compræhendit. Sed, tempore Caroli Magni, Septentrionalior portio, Iutiæ; Anterior verò, quę nunc Holsatia, Nordalbingiæ nomen induit, quę & ipsa, quatuor partibus & adpellationibus est distincta, Holsatia, Diethmarsia VVagaria, & Stormaria. Quarum postrema inter Albim, Storam, & Schvvalam flumina, ad Trauenam vsq;, sese extendit, atq; hanc, Hamburgum, vrbs, opere, situ, mercatura, & opibus potens, decenter exornat. Quo tempore ea primum constructa sit, historię non perhibent, quę primam eius originem, ad VVendos, gentem infidelem, referunt. Nominis etiam ratio, à scriptoribus, in diuersa trahitur. Alij, abs Ioue Hammone, cuius idola Carolus Magnus sustulerit, Hammonis Burgum, nuncupatam asserunt. Verum hanc sententiam Crantzius lib. 1. in sua Metropoli emendicatam, ex Romana historia fabulam, nuncupat, aliam nominis causam, æquè veram commemorans, ab Hama, insigni Saxonum pugile, cùm enim Saxones, crebris colluctationibus congressi cum Danis, varia pugnarent fortuna, contentio tandem ad duellum peruenit. Fidebant Dani Starcatero, monstrosę magnitudinis, & roboris homini, & Saxones, pugilem præferebant Hamam, æquè inter suos illustrem, cui, vt duellum non recusaret, tantum se auri congesturos pollicentur, vt molem corporis sui superaret. Hama, fiducia virium aggressus hostem, pugno petitum, ita impulit, vt terrę adegerit nutabundum. Sed vbi deiectus, vices collegit, sese erigens, ad gladium decurrit, non iam luctamine, sed ferro, rem peracturus. Nam toto adnisus corpore, gladium distrinxit in aduersum, nec illum fefellit impetus: medium enim Hamæ caput diffidit. Atq; is insignis exitus tribuisse putatur loco nomen, in quo peracta fuit pugna, vt, ab eo victo, Hama diceretur, vnde postea de propinquo erecta vrbs, Hamburgum nuncuparetur. Alij, qui Gambriuios, Tacitę Holsatenses constituũt, vt Althamerus & Peucerus in Tacitum, ij, ex Gambriuio, Hamburgum, exigua mutatione, faciunt. Sed Becanus noster, aliud commentum, subtili coniectura, de nominis origine, nobis obtrudit in sua Saxonica, quod à nobis refertur in indice. Verior igitur ratio nominis, hæc erit; Inter flumina Alster & Billen, sylua olim extitit, cui Ham nomen (quam possedit olim nobilis familia de Ham) ad quam veteres Saxones, ante Caroli Magni tempora, arcem ædificantes, à vicina sylua, eam Hammeburgum nuncuparunt. Vnde, non Hamburgum, sed Hammeburgum, prima & vera vrbis adpellatio. Quod etiamnum, maius vrbis sigillum, antiqua instrumenta, literæ, & priuilegia, apertè confirmant. Ita siquidem, literæ Ludouici primi Aquisgrani datæ, habent: Statuimus vnanimi consensu Ecclesiastico, vltima in Regione Saxonica trans Albiam, in loco nuncupato, Gammaburgk, cum vniuersa Nordalbingorum Ecclesia, proprij vigoris constituere sedem. Bulla etiam Nicolai Pontificis, tempore Ludouici secundi, meminit castelli Hammaburgi, & Nordalbingorum sedem nuncupat.

Cùm autem Carolus Magnus Saxones ad fidem Christi conuertisset, in Nordalbingiam descendens, Hamm[illegible]isburgum, cum adiacentibus regionibus occupauit, delubra, & vana gentilium simulachra euertit, huiusq; vrbis pomeria extendit. Quin & primariam in ea construxerat Ecclesiam, in qua, totius Septentrionalis, & trans Albinę Germaniæ, metropolitanam sedem collocaret. Nam prima fundatione, non fuit, qua nunc est, Hamburgum, amplitudine, quando vnicus tantum collis, in quo S. Petri Parochialis, & altera collegiata Ecclesia, ædificiis, occupatus fuit. Is locus autem, in quo alię sunt modo parochiæ, quę S. Catharinæ, & quę D. Nicolai nomine innotescunt, aquarum cœtum sentiit: Et S. Iacobi Ecclesiam, cum vallo, quod vocant Gentilium, extra mœniorum septa fuit, nunc, vt ex iis, quę supersunt, indiciis constat, vrbis ambitu continetur. Vrbs, nunc potens est, situ & opere valdè munita, ciues amplissimas negotiationes, terra mariq; remotè exercent. Postquam fidem Christo primùm hæc vrbs dedisset, Carolus Magnus, excitata in ea arce, præfectum cum præsidio constituit Vthonem. Et tamen Sigardi, Angarię & VVestphalię Ducis successores, & præsertim, Albion, Sigardi Abnepos, & VVidikindi successor, qui cum Carolo Magno, Saxonica ista bella gessit, Holsatiam, & vicina Hamburgo loca tenuit, donec Caroli Magni successores, mutuis contentionibus & dissidiis separarentur, tunc rursus Ducum prosapia ad vrbis possessionem rediit; tum & Episcopus, & Duces, separatas in ea domos habuerunt. Donec Otto Cæsar, Hermannum Billing, ad ducalem honorem eueheret, eumque ducatu Luneburgensi, cum vltima Saxonia ad Albis confinia donaret. Deinde Lotharius Cæsar, cuius coniunx fuit Magni vltimi Saxonię Ducis filia ex Bilingorum familia Adolpho Schauvvenburgico Comiti, Holsatię comitatum permisit. Et, ab eo tempore, Holsatię Comites Hamburgum tenuerunt, nouis ædificiis mirificè exornarunt, & in Cathedrali, vrbis suę Ecclesia, sepulturas sibi delegerunt. Prout in Maiori Ecclesia, subsequentium Holsatię Comitum, ibidem sepultorum nomina, certa tabula descripta, videntur; Nempe Ioannis, mortui anno 1266. 23. Februarij. Gerardi, 1281. 21. Decemb. VValdemari, 1306. 29. Iunij. Gebhardi secundi 1312. 25. Octob. Ioannis secundi 1359. Adolphi 1380. 26. Ianuarij. Quin & Holsatiæ Duces & Schauvvenburgici Comites, domicilia & telonia adhuc quædam Hamburgi possident. Quo nam modo autem ad libertatem, qua modo fruitur, deuenerit, historiarum monumenta passim declarant.

Holsatorum annales tradunt, quod, cum VValdemarus II. Rex Daniæ, Hamburgensium vrbem ad deditionem coëgisset, illam dederit Adelberto Comiti de Orlemunt, Adolphi Holsatię Comitis fratri vterino, qui cum illam nec vi, nec iure obtinere ac defendere posset, Hamburgensibus priuilegia ac iura vendidit, in præiudicium hæredum Comitum Holsatiæ, &c. Dictus autè Holsatię Comes Adolphus, postea Vicarium Regis VValdemari, Albertum, aperto Marte cepit, ac Dannenbergam, vbi Rex VValdemarus captiuus detinebatur, in vincula traduxit. Postea, inter Hamburgenses & Comites, vt plerique testantur, aliæ transactiones sunt factę. Sed rorum historię successum Dauid Chytræus, in sua VVandaliæ, & Saxoniæ Alberti Crantzij continuatione, ita refert: Adolphus, inquit, tertius pulsus ab Henrico Leone, restitutus post proscriptum Leonem anno 1182. Hic Adolphus, an. 1189. comitatur Fridericum Barbarossam in Palæstinam, dedit priuilegia Hamburgensibus, ne quis arcem intra septem miliaria ad vrbem ædificet; vt immunes à vectigalibus, & belli oneribus sint in Holsatia, &c. Eodem anno Henricus Leo ex Anglia redit, & Bardevicum euertit: Stadam & Hamburgum recepit. Adolphus ex Palæstina reuersus Hamburgum & Lubecam denuò cepit, auxilio Bernardi Vrsi Ducis Saxoniæ. Sed paucis post, VVoldemarus Dux Slesuicensis, Hamburgum & Lubecam, auspiciis Danię Regis, Canuti sexti occupat, & postea cepit Adolphum, qui renuncians suo iuri, in patria Schouvvenburgk obiit. Hamburgæ Albertus Comes ab Orlamunt à Rege præfectus erat, qui deficientibus à Dano Holsatis, & VVoldemaro Rege, Henrico comite Suerinensi capto, ius suum in vrbe 1500. marcis argenti Senatui vendidit. Hoc libertatis Hamburgensiũ solidę fundamentũ fuit. Postea enim nullum iuramentũ fidelitatis Ducibus Holsatię præstiterunt. Hucusq; Chytræus.

Porro, varios vrbis Hamburgensis casus, & perpessas diuerso tempore, calamitates, historiæ commemorant. Nam, anno 810. VVandali, siue VVilsi, qui VVandalię pars sunt, erecto præsidio, Hamburgum ceperunt. Sed Imperator Carolus, anno sequenti, iussit vastatã vrbem restaurari, constituens ibi Metropolim omnium aquilonarium erigere, quod filius post eum compleuit Ludouicus, quando his limitibus eius ditio distincta fuit. Ab occidua quidem parte mari Britannico, vbi Bremensis tunc illi incorporata Ecclesia; A meridie, Albi flumine; Ab oriente, Pani riuo; &, ab aquilone, mari Danico, & Egdora flumine.

Grauem deinde afflictionem, à Normannis, à mari per Albim ascendentibus in morte Ludouici Imperatoris, vrbs Hamburgensis pertulit.

Idem postea rursus perpessa à VVandalis, Duce Godschalco eorum principe. Idem, à Critone Lubecæ vrbis fundatore. Hoc à Danis sæuientibus in morte Magni Ottonis, legimus contigisse, vt magnus semper numerus catholicæ plebis in Hamburgo trucidaretur. Hoc nouissima, & penè omnium grauissima VVandalorum irruptione patitur, sub imperio Henrici IIII. Præsule Alberto primo, Anno Christi M. LXVI.

Factum etiam est temporum successu, vt Archiepiscopatus honor, qui prima fundatione Hamburgi semper fuit, Bremam transferretur. vnde nata est crebra inter Ecclesias Hamburgensem & Bremensem concertatio, de dignitatis primatu, de emittendis ad alienas prouincias Suffraganeis, & comprouincialibus Episcopis. Vltima Archiepiscopi Hamburgensis, quando solus adhuc Metropolita erat, legatio XX. Episcoporum fuit, ad remotas aquilonares prouincias, ad vniuersum Daniæ, Suediæ, & Norvegiæ regnum. Ad Orcades, Islandiam, & Groenlandiam insulas. Et hinc tam frequens in vrbem Hamburgensem ab iis tentata sæuitia, qui à pietate Christiana defecerant, cùm scirent, illinc, primos ad se verbi diuini mysias, prodire. Quoties enim furor impius inflammatus Christianitatis odio sæuiebat in Christicolas, primi erant Hamburgenses ad supplicia, siue à Danis, siue à VVandalis, sæuitia intentaretur.

In Hanseatico fœdere, primo oreine, sub Lubeca, societatis capite continetur Hamburgum cum Rostochio, VVismaria, Stralsunda, Luneburgo. Ex quarum sex vrbium arbitratu, conuentus vel totius Hanseæ, vel aliquarum, prout res exigit, ciuitatum præcipuarum indicantur, conscribunturque.

Non est hic demùm Hamburgensis negligenda cerevisia, quæ, quia sapida & præstans, in Saxonia & alibi passim commendatur.

HAMBVRGVM.

ALBIS

FLV.

Porta Dalum

Porta Steinth

Porta Winse Thors

Porta Sleuia

Porta Cathi

Forum

Forum equinum

Pratum Hammense.

Pratum

ALBIS 9 FLV.

1 Anaſcharij Templum
2 Anaſcharij Porta
3 Temp: S. Spus.
4 Pratum
5 Der New Kraen
6 Eccleſia Cathedralis
7 Hammen Pagus
8 Die Lubeckſche lohen
9 Tractus Albis verſus Luneburgum.
10. Wandelſburgſis Arx Nobiliſſimi viri Henrici Ranzouij Gubernatoris Regij Danici.

Pontes habet Hamburgum tam ligneos quam lapideos, tres et quinquaginta.

BERGA NORVVEGIAE.

IN Noruagia inter cætera oppida vel vrbes, quas multas habet, Berga est, ob mercatorum frequentiam, variarumque mercium copiosam conuecturam, Emporium celeberrimum, nomen habens à germanica dictione, bergen, quod vel abscondere, vel conseruare significat, nam is locus, nautis, tempestates in procelloso mari perpessis, sæpè tutum portum optatamq; salutem præbuit. Fit autem ad hunc portum frequentior aditus per Sinum Carmesunt, qui per tortuosas fauces, rupibus vtrinque incumbentibus, inæquali latitudinis spacio, ad loca interiora per aliquot miliaria ingrediens, in extremitate ob singularem sui profunditatem, occasionem dedit, vt eo, quo nunc est, loco, hoc oppidum ædificaretur. Nam 200 lastarum naues, vel etiam grandiores, sine periculo per sinum prouectæ, ad Bergam penetrare, ac proximè ad ipsas propè casas mercatorum vel anchoras iacere, aut Saxis funes alligare possunt. Distat autem Berga à Schagen (quod oppidum est in extrema versus boream ora Iutiæ nautis longè notissimum) miliaribus propemodum 80. habet diem longissimam 20, breuissimam, 4 horarum, ciues & incolæ partim germani sunt, partim Noruagici, quibus variæ nationes sunt admixtæ, à parte occidua regia est arx, cuius præfectus regiis negociis ac iurisdictioni latissimè præest; est ibi sedes Episcopalis subdita Nidrosianæ metropoli, cuius Episcopus inter reliquos eius regni præsules, summam obtinet authoritatem: Aedificia vrbis elegantiora vel diuino cultui, vel priuatis incolarum vsibus destinata, ab Osterlingis, vt vocant, siue Hanseaticis mercatoribus potissimùm constructa sunt, reliquæ habitationes leui structura consistunt, parietes ex ligno compacti, tecta virenti cespite constrata. Germanorum ac Hanseaticæ societatis mercatores (quæ 72 complectitur vrbes) residentia amplissima est, & ad mercaturam maximè accommodata. nam ea vniuersum latus ac marginem portus (quem vulgo die Wage vocant) longissimo tractu amplexa est. domicilia sua, quæ garten vocant, coniunctim habent. Pro diuersitate vrbium & regionum, vnde profecti sunt, diuersa habent hypocausta, ita, vt Lubecenses, Dantiscani, Colonienses, Brunsuicenses, Hamburgenses, suas quisq; proprias habeant & seperatas ad portum stubas, germanicè boden, ad quas vrbium suarum, vnde oriundi, naues, aduectis mercibus, exonerant, aut auehendis replent, atque in Germaniam remittunt. Causa instituendi hoc in loco Emporium & mercatorum societatem, hæc fuit, quòd cùm regnum Noruagiæ amplissimum (quod nempe ad 250 miliaria in boream extenditur) hominibus vrbibus pagis atque arcibus, progressu temporis, mirum in modum augesceret & excoleretur, essetq; permultarum rerum quæ humanis vsibus inseruire solent, nisi aliunde importarentur, magna inopia pertimescenda, præsertim in frumento ac terræ frugibus, quæ ob raritatem radiorum solarium, obliquissimè ibi in terram cadentium, ad suam maturitatem peruenire nequeunt, reges huic malo succurrere volentes salubri consilio vicinos ex vrbibus Germaniæ mercatores, securitatibus priuilegiisq; ad hoc liberaliter propositis & concessis, euocandos in regnum atque inuitandos esse censuerunt; & hanc vrbem tanquam oportunitate portus commodissimam, mercatorum communem sedem & residentiam esse voluerunt. Vtq; tranquillitas & iustitia in hac societate eo esset durabilior, Curiam, quam Cunctor vocant, certis statutis atque legibus ordinauerunt, quales Cunctor vel curiæ in hac Europæ parte quatuor existunt. Brugis in Flandria antiquissima, secunda Londini in Anglia, tertia Neogardiæ in Moscouia, quarta vero in hac vrbe Berga, de qua hæc instituta est narratio, frequentantur. Ex hoc regum Noruagicorum instituto, hoc commodi consecutum est, vt omnium rerum, præcipuè frumentorum omnis generis copia, annuatim ad hanc vrbem ex variis regionibus & vrbibus deportaretur, quæ deinceps per mercatores ibidem residentes, in diuersa regni loca vel venditione, vel permutatione incolis aduehitur atque distribuitur. His rationibus non solùm per totam Noruagiam annona plurimùm subleuatur, verùm etiam vrbibus maritimis, imò toti Germaniæ multis modis commodatur, dum ex Noruagia multis iisq; grandibus nauibus pisces aridi singulis annis, maxima copia inuehantur, vnde plurimi in Hanseaticis vrbibus ciues suas augere opes & fortunas solent. Vt autem residentium numerus aliqua ratione coarctaretur, neque hæc societas omnibus, sine discrimine æquè pateret, certos ludos ad deterrendos delicatiores, instituerunt, quos Gantenspil vocât, in quibus aut virgis cæduntur, aut in cœnum coniiciuntur, vel subter naues aquis immersi, per funem trahuntur, vel fœtido fomite incenso, aut fumo tetro excitato in corbe suspenduntur. Hi ludi quamuis non parum inciuilitatis præ se ferant, tamen inuentos esse ad lautioris fortunæ homines deterrendos, nullum est dubium. Quod ad Bergense attinet Emporium, sanè nullum eo, in tota Noruagia celebrius est vel antiquius; Ex omnibus eius regni prouinciis ac ciuitatibus, quicquid est precioſarum pellium, præcipuè verò induratorum piscium, eò aut per mare maioribus ratibus, aut per lacus ac fluuios schaphis & paruis nauigiis defertur, aut per equos eò vehitur. Pisces frequentiores alij salpas, alij strumulos vocant, Germani Rotscher vel Stockfisch dicunt, quorum laudatissima captura est in Ianuario, dum frigus super est quo indurentur. Nam qui clementioribus mensibus cãpiuntur, macrescunt, neque idonei sunt, vt exportentur. Est & genus piscium, quod Helleflunder vocant, Rocharum speciem præ se ferens longitudine 6 vel 5 pedum. Hos pisces ob magnitudinem dissecant, ac crassiores partes Rekelting, reliquas tenuiores & pinguiores Raff appellant. quæ ob dulcem saporem in deliciis habentur. Est & pellium ibi preciosissimarum mercatura celebris. Captura piscium exercetur, non solùm in mari aperto, sed etiam in sinibus ac lacubus, quorum aqua maxima ex parte, dulcis est. Indigenæ Nidrosiam inhabitantes, pisces iis in locis coemptos, nauigiis Bergam deuehunt. Nauigant & Bergenses Nidrosiam, ac certis anni temporibus cum ciuibus suas exercent negotiationes. Paucos ante annos Angli, fretum illud, quod inter Noruagiam est, & Gronlandiam, nauigando tentârunt, & vltra Castrum V Varthus, quod in extremis Noruagiæ finibus ad Septentrionem est, ad centum miliaria progressi, alij ad Colmigraff Emporium, alij ad Kilkene versus orientem circa promontorium S. Nicolai situm nauigant, vbi cum Rossis per ducenta miliaria eo venientibus, negotiantur. Merces, iis in locis sunt pelles varij generis, sæuum, cera, linum, &c. Horum sagacitatem imitati Bergenses, suas quasdam naues singulis annis eo emittunt ad Castrum V Varthus, vbi & piscantur & ab incolis eius regionis exiguo precio pisces coëmunt, quos Bergam deuehunt. sed non cessant etiam hodie aliæ nationes huc nauigando penetrare. Nam & Galli & Scoti extrema Noruagiæ littora niuosis scopulis subiecta, circumnauigando, sinum V Varthusiensem ingressi, partim ipsi hamis piscantur, partim ab incolis pisces emunt, quibus suas implent naues. Nonnulli per eundem sinum, qui paulatim se latissimè extendit, ad euronotum deflectentes, à V Varthus Kildinum versus 28 miliaribus inde distans, & inde ad Malmos, quò à V Varthus 40 abest miliaribus. Est autem Malmos Emporium, ad quod Rossi & aliæ nationes certis anni temporibus ad commutandas merces conuenire solent. in hoc autem sinu, insula est supra quam V Varthus est extructa vt circumnauigari possit. Hanc arcem serenissimus Rex Daniæ Fredericus II imposito præsidio ac tormentis bellicis aduectis ita firmauit, vt nauibus aliquot eo missis totum illud septentrionale pelagus à prædonum incursu, ac vi facilè defendere tutarique possit, ob id nautæ arcis præfecto, nomine regis, vectigal numerant. Hæc obiter propter recentes ad illa loca nauigationes Bergensium, inserenda duxi. Supra dictum est, Bergam commune veluti horreum esse totius Noruagiæ, cuius præcipua opulentia in piscationibus & pecoribus consistit: Nam frugum illa tellus non adeò ferax est, quæ cibis & potibus sufficiant, sed tostas ante fruges mercatores inuehunt miscendis potibus, & mixtum iam potum & excoctum permuteant piscibus aridis, quos ingenti copia emittit Noruagia. Cùm circa annum 1280 orta fuisset inter Regem & mercatores controuersia, ob quædam non seruata priuilegia, & portus passim obsiderentur à mercatoribus, ne quid inueheretur, tanta repentè extitit annonæ caritas, vt Rex statim ad pacem respexerit, ac pestifera damna mercatoribus restituerit. Sunt enim mercatores suorum priuilegiorum veterumque consuetudinum tenacissimi. Cum anno 1450 plus minus, quidam Olauus miles germanos mercatores Bergæ nouis grauaminibus molestaret, neque modum, post factas ad regem querelas, huic rei adhiberet, eum vnà cum Episcopo Bergensi, sua authoritate tumultum sedaturo, occiderunt. Sæpè hoc oppidum quòd ædificia lignea sint, incendiis deformatum, sæpè à prædonibus direptum fuit. Nam circa annum Christi 1438 piratæ, quos Vitallianos vocabant, Bergam occupantes, & Anglorum Germanorumque & ciuium bona sine discrimine diripuerunt, & eiectis ex oppido omnibus incolis in Germaniam auexerunt, qua violentia in posterum moti Mercatores, aliquot grandia tormenta ænea sibi comparârunt, quibus ad auertenda eiusmodi pericula vti consueuerunt.

BERGEN.

A. Daß Schloß.
B. Ritterdeich
C. S. Marien, Der Teutschen kaufleut kirch.
D. Der Residierender Anwee Steit behausung.
Die Brugk oder Contor genant.
E. Der Teutsche kaufleut Rhot stube vnd horse.
F. S. Halvery, nun Verwust.
G. S. Martini
H. Ingangk der Stat von der Teutschen brugk.
I. Ad S. Crucem.
K. Thumbkirch vnd Schule.
L. Hospital von den Teutschen.
M. Spital der Stat.
N. Die alte kirch, vbis Carcer.
O. Der Stat kalck.
P. Ein garten teich.
Q. Der Stat marckt, vormals.
R. Die Wage, siu. Pontis & Oppidi portus.
S. Deß Bischoffs garte
T. Erichs Rosenkrantz, gartte.
V. S. Iohanns wall.
X. Die warte, Ventorum index.

Hieronymus Scholeus sua manu descripsit

STOCHOLMIA.

STOCHOLMIA, quam complures Holmiam, Rutheni Stecolnam, Germani Stockholm nuncupant, (sic dicta quod extructa sit in peninsula quam Holm vulgo vocant) in sinu Meller sita est, qui eius est amplitudinis, vt aliquot insulas complectatur, quarum præcipuæ altera Tymolsœ altera Suartesœ dicitur vtraque castro & ædificiis ornata. Est autem Stockholm totius regni Suetiæ ob celebre Emporium & frequentem mercatum sedemque regiam oppidum præcipuum ac loci natura munitissimum, quòd in hoc sinu alioquin profundissimo ita locata sit, vt excepto exiguo spatiolo, maximis nauibus circumnauigari possit. Ad hunc sinum fit aditus ex mari orientali, quod Mela sinum Codanum vocat, per quasdam angustias, scopulis vndique è mari extantibus, quos illi scheren vocant. In primis huius aditus faucibus castrum est, ab altera parte tignis in fundum festuca adactis ac sublicis firmatis ita ingressus arctatur, vt in vel extra nauigaturi, tormentis ad eam rem dispositis, facilè cohiberi possint. Totus autem ille tractus angustioris sinus ad Stockholm vsque 3 miliaribus in longum extenditur, postea sinus paulatim ita se dilatat, vt nonnullis in locis ad 10 miliaria extendatur. Huic Emporio permagnam ad negotiationes exercendas oprtunitatem suppeditat dictus Sinus, qui cum longe lateque veluti per brachia se extendat, multosque ex diuersis regni locis fluuios recipiat, ad quorum littora arces & insignia aliquot oppida sunt sita, perfacilè fit, vt nauigiis merces vltro citroq; vehi transportarique possint. ad boream iacet metropolis in Vplandia Vpsholm sedes Archiepiscopi ac primatis Suetiæ, post hanc paucis miliaribus est Orosia, vbi sedes est Episcopalis. in eodem littoris tractu ad occidentem iacet Arboga, deinceps Torsylla arx, è regione Stockholm occasum versus, est alia Episcopalis ciuitas, Strengnis, à qua non procul iacet arx Gripsholm. Hæ sunt ciuitates & arces, quæ ad littus dicti siuus VVeller adiacent, ad quas perfacilè, quicquid merciũ ex Germania aliisque regionibus Stockholmiam aduehitur, nauigiis deportari, vicissimque Sueticæ merces inde retrò deferri possint. Merces autem præcipuæ quæ eo ex ciuitatibus maritimis deferri solent, hæ sunt, Pannus Anglicus & Germanicus, sal, lupulus, vina, cereuisia, triticum, fructus arborei, lintea nobiliora, purpura, bissus, variaque ex auro argentoque confecta ad splendorem ornamenta, item diuersa supellectilia ad vsus domesticos destinata. Ex Stockholmia vicissim hæ merces ex variis regni locis, eo conuectis, in Germaniam atque alia loca mittuntur, ferrum, æs, calibs, cuprum, pisces varij generis, pelles mardelle, sabellinæ, aliæque plures minus nobiles, sæuum, butyrum, casei, equi, &c. Ex hac mercium commutatione Stockholmenses ciues res fortunasque suas solerter augere atque stabilire solent. Est iuxta oppidum arx regia adeò densis muris munita, vt vel tormentorum ingentium ictibus minimè subrui, aut vi aliqua capi posse videatur. Cùm Stockholmia ab antiquissima memoria sedes regia præcipua sit habita, solent hîc Reges, pro veteri gentis instituto, diademate insigniri. Habuêre Sueci multis retrò seculis ex sua gente reges vsque ad tempora reginæ Margarethæ VValdemari tertij filiæ, quæ circa annum 1360 Daniæ Noruegiæ ac Suetiæ, subacto Alberto rege Suetico, trium regnorum compos, pacificè regnauit ad annum 1376. Huius reginæ temporibus, Primates & Proceres trium regnornm borealium, Helmstadij (quod Hollandiæ oppidum in Sueciæ sinibus situm est) conuenientes vnanimi consensu statuerunt, vt tribus regnis borealibus vnus rex in posterum præficeretur, vt pax atque vnio inter ipsos tanto esset firmior atque stabilior. Cùm igitur mortuæ reginæ Ericus Pomeraniæ Dux successisset, concordi omnium procerum consilio atque suffragio rex trium regnorum eligitur, Anno salutis 1411, hisce conditionibus insertis, vt Rex, Suecos in regno arcibus præficeret, & vt regium censum cùm præsens adesset totum, absens dimidium acciperet. Post hunc Christophorus Bauarus, vnanimi procerum voto electus, trium regnorum gubernacula per annos 9 suscepit vsque ad annum 1448, circa quæ tempora Christianus primus ducta Christophori regis vidua in coniugem, Anno 1462 ab Episcopo Vpsalensi procerum vnanimi consensu, Stockholmiæ rex salutatur consecraturque, sed annis 7 elapsis, Carolum Canuti, quem antea elegerant, repetiuerunt. Mortuo Christiano, ac succedente illi Ioanne filio, cùm Sueciæ proceres ex gente Suetica Stenonem regno præfecissent, & ob id Ioannes bellum Suecis quasi recedentibus à pactis initis, faceret, Stockholmiam circa annũ Christi 1497 positis ab vna parte in monte Bruck castris, & ab altera parte classe circumducta arctissima pressit obsidione, Stenonemque, vt se ac oppidum cum arce dederet, coëgit, tandemque Stockholmij 25 Nouembris die, Anno salutis 1497 à regni proceribus rex proclamatus, diadema suscepit. &, vt quidam historici perhibent, Anno 1499 feria tertia pentecostes, Ioannis regis filius Christiernus 2. in publico regni conuentu Stockholmij rex nominatur, eique de more gentis, Vexillum regni Sueciæ traditur. Sed Sueci, non post multa tempora articulos quosdam in prioribus pactis conuentisque non seruatos allegantes, prorsus se à Ioannis imperio auerterunt, Stenonem secuti gubernatorem, quo mortuo, in locum eius Suantonem suffecerunt: vnde postea grauissimum est bellum exortum, vt tandem Ioanne nouos in Dania contrahente exercitus, Anno 1503 Christina Ioannis regis vxor ac Ernesti Ducis Saxoniæ electoris filia, in arce Stokholmensi acerrimè obsessa sit, quæ cùm post perpessam durissimam obsidionem atque famem, se atque arcem in Suecorum potestatem, certis conditionibus tradidisset, Aluastriæ in cœnobium S. Brigittæ sacrum delata, aliquandiu captiua detenta, ac tandem interceſſione quorundam, libera, ad regem coniugem perducta est. Cum igitur Ioanne rege Anno Christi 1513 in fata concedente, filius eius Christiernus II regnum bello repeturus, multis subactis oppidis, ad interiora regni Sueciæ progressus Stockholmiam, facta aliquandiu obsidione, certisque cum hoste tandem pactionibus initis, occupasset, miserabilis clades raroque audita calamitas in hoc oppido primatibus ac proceribus regni accidit. Christiernus enim iam in regem Stockholmiæ susceptus, ac voti sui compos factus, siue quòd vlturus esset, quæ non rectè in maiores suos Suecos designasse arbitrabatur, seu ab insita genij sæuitia, immanique iracundia præceps facinus, à tempore Marij ac Syllæ prorsus inauditum, aggressus est. nam multos regni proceres atque nobiles cum præcipuis oppidi ciuib⁹ crudeliter trucidari præcepit, inter quos Vincentius Scharensis, & Matthias Strengenensis Episcpi periêre. diris ne exagitatus hæc fecerit an quod factionibus & rebellionibus hoc terribili exemplo, quos aut excitatas aduersus maiores suos aut oriturãs suspicabatur, finem esset impositurus, in medio relinquitur. certè grauiter eum hac cæde in Deum peccasse, ideoque in pœnam incidisse constat. Nam postea, non solùm regnum Sueciæ amisit verùm etiam duobus reliquis regnis Dania & Noruagia prorsus exutus est. Errauit in hoc plurimùm, quòd imperium stabilius esse putauit, quod vi fit, quàm quod amicitia adiungitur: nam verissimum est dictum, facilius iustitia & clementia regna parari solere, difficulter verò sub tyrannide retineri. quo igitur modo confirmanda sibi regna putauit, eo illis potissimum excidit rex Christiernus, cui deinceps Gustauus Erichson, Suceus nobilis, popularium suorum ac Lubecensium subnixus auxilio, in regno succe ssit, cuius posteri illud hodie possident.

STOCKHOLM

Donabat huic operi,
Hieronymus Scholeus.

STOCHOLM

MINDA.

MINDA, vetus Saxoniæ opp. propitio, ad negotiationem ſitu, commendatur, ob famoſiſſimorum fluminum concurſum. Viſurgus enim flu. hanc vrbem irrigat, Ptolemæo, Celti, & Paterculo, Viſurgis: Straboni, Biſurgis: Sidonio, Veſatis; &, ex Hadriani Iunij obſeruatione, Ouidio, Itargis: nunc, Veſera, Vulgò, **Die Weſer**/ex Heſſicis, ſeu Abnobijs montibus ortus, nobiles Haſſiæ vrbes alluit, per Saxoniam, & VVeſtphaliam vehitur, donec Bremenſem diocœſim præterlapſus, mari Cimbrico miſceatur; Fluminib. corriuatur Lexna, Allero, item Fulda, & VVerra, quæ Mindæ recipiens, eorum aquas, adpellationesq; abſorbet. Hinc, quia nauigalibus Minda, copiosè inſtruitur aquis, quarum vſu, varię, ex intima Germania adportantur merces, quales viciſſim marinas, quas Brema, per Viſurgum, affatim præbet, larga aduectione, refundit, gratam negotiatoribus reſidentiam exhibet. Eam, ita Hammelmannus, in ſua vrbium VVeſtphalicarum Synopſi, cõmendat. Mindenſis vrbs, dicta, per VVidekindum, **Minden**/amœniſſima, & munitiſſima eſt, ex nauigio VVeſeræ, eiusq; alluuione, amœnitatẽ, piſces, & alia commoda ſentiens, coquit bonam cereuiſiam, vicinis multis gratam, varijsq; mercaturis abundat: Non dicam, de tribus Collegijs, inter quæ eſt Cathedralis Eccleſia. Laudauit carmine hanc vrbem Bernhardus Luderus. Sed, de primis eius initijs, ita Munſterus. Cùm VVidekindus, primarius Saxoniæ Dux, ad fidem Chriſti perueniſſet, permiſit Carolo Imperatori Arcem ſuam, ad fluuium VVeſeram, vt in ea firmaret Epiſcopo locum, capax enim amborũ fuit. Ita, vt Epiſcopo diceret, Mea, atque tua erit communi iure, Arx iſta, vt inde, Saxonum lingua, **Myndyn**/diceretur: ſed, temporum ſuccenſu, ex y, factum eſt e, vocaturq́ue ciuitas ipſa hodie, Myndes. Fundata eſt autem Eccleſia intra muri ſepta, quod hodie quoque conſpici poteſt. Nam veteris veſtigia muri, etiamnum extant. VVidekindus igitur, acerrimus initio Chriſtianæ fidei, & Caroli Magni hoſtis, cùm prima religionis veræ, hîc Mindæ, cœpiſſet initia, eius quoq; vrbis, & Eccleſiæ promotæ fuit. Cuius quidem, Euangelicam illuſtrationem, quia in ſua Saxonia Crantzius, non illepidè recenſet, libet eam, & hîc paucis commemorare. Cùm annus, inquit, Chriſtianæ ſalutis, poſt ſeptingentos octogeſimusquintus ageretur, & iam tempus veniſſet ab alto miſerendi, VVedekindi viſitatus à Domino, ad lumen reſpexit: & iuncto ſecum Albione, viro primario, qui trans Albim dominaretur, in ea quæ nunc eſt Holſatia interueniente ex aulicis quodam, ad regem Carolum, qui ad Viſurgum caſtra habebat, perducitur, Chriſti Baptiſmum, iam ſponte depoſcens. Tradunt nonnulli, Regem tum in Bardevvico conſediſſe, cum ad eum VVedekindus peruenirent. alij etiam adiiciunt, in Minda illi fuiſſe ſalutis initium: Tradunt enim Ducem, ſcrutandi auidũ, lembo, per pronum flumen deuectum, lacero habitu, interſtipem poſcentes conſediſſe. Cumq́ue ſacratiſſimo die Paſchæ, ex more Chriſtiano, omnes ſacram communionem ſubirent, vidiſſe VVedekindum ad os regis, ludibundi ſpeciem pueri: eoq́ue conterritum miraculo, Chriſtiana ſacra poſtulaſſe. Rex, ſuſceptos in gratiam, iuſſit baptizari: ipſe ſuis manibus VVedekindum, honoris gratia, ſuſtollens. Hactenus quidem Hamburgenſium Decanus, Crantzius, Qui id elogij, huic patriæ tribuit, quòd in ea VVedekindus, ſit primùm Chriſto iuitiatus. Quanquam eam gloriam, alij Mindenſibus, ereptam velint, vt Roleuingius, qui ſcribit, quòd VVidekindus, falſorum Deorum deſerens cultum, & in gratiam, à Carolo Rege admiſſus, arcem ſuam receperit, in vicinia oppidi Oſnaburgenſis, iuxta Rullam Monaſterium, cuius arcis etiamnum veſtigia reſtant, **Widekesburg**/apud ſtagnum miraculoſum, fundo & altidine carens. Hac ergo ſua Arce recepta, curauerit VVidekindus ædificari Eccleſiam, nomine Bethleem, in qua, velut Chriſtus natus in Bethleem, ille per Baptiſmum veterem exuere hominem, & renaſci voluerit. Eam Eccleſiam, etiamnum contractè, Belheim, nuncupant, qua de re, in vſu etiam eſt, apud ruſticos, eius loci, cantio. Crantzius tamen etiam, in Saxonia lib. 2. cap. 13. in Bardervvico VVidekindum, & Albionem, veniſſe ad Carolum, & ibi eos Chriſto inclinaſſe ceruices, ſcribit. Annales autem cuiuſdam Benedictini cœnobiarchæ anonimi, commemorant, veniſſe vtrumque ad Carolum, in pagum, nomine Bardengau, & tandem, datis obſidibus, per Amalvvinum, ad conſpectum Caroli veniſſe, in Attiniaco villa, & ibi baptizatos eſſe. Crantzius rurſus, in Metropoli lib. 1. cap. 4. diuerſum habet. Sunt, qui iſtas hiſtoricorum ſententias, hunc in modum, conformare ſtudeant, Vt belli hi Duces, ad Carolum, in Bardervvick venerint, ibiq́; ſint facti catechumeni, ſed, poſtmodum, vel in Beelheim, vel Mindæ, ſint ſalutari aquæ lauacro, in verbo vitæ, regenerati. Vt vt ſit, VVidekindus, poſtquam Chriſto acceſſit, pura ipſi religio cordi fuit, cuius oratione, Minda, vrbis formã induere cepit, commonſtrato, ad Arcis ſuæ vicinã loco, vbi primum Eccleſia excitata, & primo vrbis Epiſcopo, habitatio aſſignata eſt. Is Herimbertus fuit, rara ſanctitate, & doctrina pollẽs, de quo plura in ſua Metropoli Crantzius, vbi reliquos ex ordine ſucceſſores, eo Hammelmannus, lib. de illuſtribus VVeſtphaliæ viris, recenſet.

Circa annum tertium, poſt mille quadringentos ciuitas Mindenſis, pontem illum, magnis molibus lapidum, in pedes coniectis, firmauit ſuper Viſurgum: Sed nulla vis par eſſe poteſt, intumeſcenti glaciali flumini, diſiectus quippe fuit, quibuſdam locis, maiore tamen parte, conſiſtente.

Crantzius, in Saxonia lib. 10. cap. 24. Ciues Mindenſes, in ſuæ ciuitatis concilium tumultuantes, ipſum vrbe eiecerunt, vxoribus poſt eos, in curribus, per contumeliam miſſis. Egêre quod poterant, eiecti: primum manu iniuriam vlciſcẽtes, & incendiis graſſantes. Ex primariis tumultus authoribus, quendam depræhenſum foris, quidam ex proconſulibus ſua manu appendit in arborem, vigilandum. Inde iure agere conniſus, idem ad Robertum Romanorum Regẽ contendit: ibiq́; ciues euocatos, & nõ comparentes, banno ſubiici curauit imperiali. Quo iure, vicinos illis, principes, qui tuebantur, auertit: inuectionem rerum prohiberi obtinuit, & fame compulit, recipere quos per iniuriam, eiecerunt.

Narrat Tacitus, Druſo, in Cheruſcos pergenti, cum caſtra haberet inter fluuios Amuſum, & Viſurgim, ſtatim Angriuarios à tergo defectionem feciſſe, ex quo loco, non obſcurè ſitus Angriuariorum intelligi poteſt. Ex quibus etiam colligitur, inter Angriuarios, & Cheruſcos, Viſurgum terminũ fuiſſe. Vbi enim hodie Minda, oppidum conſtitutum eſt, initium habuiſſe Cheruſcos videtur; vnde conſtat Cheruſcos vltra Viſurgim habitaſſe Angriuarios. Nam ſuperiorem partem Monaſterienſis Diœceſis, cum eo tractu VVeſtphaliæ, qui ad Archiepiſcopatum Colonienſem pertinet, eos occupaſſe ſuſpicamur, ſuperſunt hodie reliquiæ nominis Angriuariorum, ſiue malis, Angragiorum. Nunc Archiepiſcopus Colonienſis, Angariæ Dux inſcribitur. Et vicus ſupereſt, cum Caſtro, in limitibus VVeſtphaliæ, inter Oſnaburgum, & Hesuordiam, Engeren dictus. Hæc, de hiſtoria & antiquarum gentium ſitu, pro huius loci anguſtia, & conditione paucis ſint dicta.

39

MVNDEN.



MVNDENSIS, ad Visur
gum flu: Saxoniæ Vr:
bis, genuina delineatio.

EISLEBIA.

EIslebia Comitatus Mansfeldiæ, qui superiori Saxoniæ inter Salam amnem & VViperum insertus est, Metropolis, antiquitate & situ commendatur. Adpellationem siquidem ab Iside Aegyptiaca, consequuta putatur, quæ Tacito teste, oras Sueuicas, vicinaque loca, post mortem mariti Osyridis, peragrauerit, & Eislebiæ, domicilium fouerit. Situ est salubri & optimo, solum habens tam in superficie, quàm in fundo fertile, ibi frumenta, hîc metalla, largo prouentu, suppeditans. Eruitur enim eius visceribus, propè Eislebiam, Mansfeldiam, & Hochsteden, lapis niger, ac fissilis, cuiusmodi is est, quo in laminas tenues secto, tegularum loco, vtimur, nonnullis, ardosa vocantur, is picis, æriſque plurimum obtinet, ac metalli minimè occulta habet indicia, conspicitur enim insperſus auri, cupriue color. Hunc itaque, ingenti copia erutum, ex montibus lignisque circumpositis, exurunt, incensus autem, odorem emittit eundem, quem Iinthantraces, seu carbonarij lapides, at, si contingat placidas pluuias ignem conspergere, tantum abest, vt extinguatur, vt maiores etiam flammas excitet, lapisque eo citius liquescat, quòd bituminis piciſue, non obscurum est inditium. Neque hoc tacendum, cum ludentis naturæ miraculum, non immerito videri queat, quod is lapis, manifestas ostentat inspicientibus animalium ferè omnis generis effigies, ramentis ac lineamentis aurei coloris, ita, vt quiduis, primo intuitu, dignoscere queas. Affirmant nonnulli, eorum saltem animalium, quæ propinquus Eislebiæ lacus gignat, eum, præ se ferre imagines, cuiusmodi sunt piscium, anguillarum, carpionum, ranarum, Verùm alij perhibent, etiam aliorum animantium figuras eum exhibere ad vnguem, vtpote gallorum, gallinaceorum, & Salimandrarum, quin & inquodam eorum lapidum, Pontificis cuiusdam barbati effigiem, triplici diademate ornatam, multis conspectam aiunt. Porro, Eislebiæ, priscis temporibus, multa commemoratione digna, sunt gesta, vt enim pleraque taceam, hic saltem, commemorare iuuacit, quod cum annus ageretur octuagesimus secundus, supra milleſimum, conuentus ibi primatum Saxoniæ habitus fuerit, qui instinctu Gregorij VII Pontificis Maximi, conspiratione contra Henricum IV facta, regem sibi elegerunt Hermannum Lotharingiæ Ducem, Qui arcis Eislebiensis præsidio fretus, aliquantisper Imperatore restitit, eiusque exercitum, ex Frisonibus collectum, Ernesti Mansfeldiæ Comitis auxilio, fudit. Vnde euenisse aiunt, vt oppidi Islebiensis vicus, qui hodie corruptè die freyſtraſſe adpellatur, Frisonum vicus, denominatus sit.

TVBINGA.

TVbinga, in Ducatu VVirtenbergensi, ad Neccarum flumen, vrbs admodum elegans, Cereris, & Liberi donis abundans quæ & copioso, & generoso prouentu, tam incolis, quam vicinis sueuis communicat, vtramque Neccari ripam, lapideo ponte coniungit, Arce, vinifero colle, Canonicorum collegio, & rei literariæ ornamento, vniuersitate, conspicua. Vt non minore gloria, VVirtenbergensem ditionem, vniuersale hoc studium illustrarit, quàm quod anno salutis M. CCCC. xc. v. in VVormatiensi conuentu, à Maximiliano Augusto, ex VVirtenbergensi Comitatu, Ducatus sit cõstitutus, ob insignes, & heroicas Eberardi VVirtenbergensis, & Montispeligardi Comitis virtutes, qui primus, eo tempore, publico principum consessu, Dux est adpellatus. Is, etsi latinis literis, imbutus non fuerit (impedientibus id, sub quibus educatus est tutoribus) eruditorum tamen virorum consuetudine, mirificè delectatus, legendis namque teutonicis scriptis, multarum rerum cognitionem, & experimenta est consequutus, Et plurima sibi, ex latino, in vernaculum sermonem transferri curauit. Is igitur, multo rerum vsu edoctus, quanti referat, Principem virum, rerum, & scientiarum cognitione imbui, Tutoribus, ob neglectam sui institutionem, semper offensus fuit. Ac proinde, cum videret, quanto passim in honore, viri docti, ac boni haberentur, neque in Ducatu suo, vllum, Musis esset domicilium, cuius occasione, subditorum filij, liberalibus disciplinis imbuerentur, hinc Vniuersitatem, studij generalis, Anno 1477. in oppido suo Tubingensi, pontificia & imperali auctoritate, priuilegiatam, fundauit. Quæ accuratè deinde reformata, & aucta fuit, anno Domini 1522. vt præsens descriptum, latiùs ostendit.

Vniuersitas Tubingensis omnibus & singulis, bonarum literarum amatoribus, salutem. Credibile, & à vero minimè dissentaneum esse debet, maiores nostros, ingentia homini deprehendisse virtutum seminaria, ipsam se prodente natura, quibus si cultus accederet, curaque diligentior, magni quippiam effici posse, haud est immeritò existimatum. Itaque bonis ingeniis, velut egregiis plantis, certa sunt loca destinata, in quibus semotis impedimentis, præsignia sapientię culmina inolescere possent. In hanc rem Alexandriam Aegyptus, Tharsum Cilicia, matrem artium Athenas, tanquam Augustum Philosophiæ sacrarium selegit Græcia. Sed & cultores, hoc est, studiorum præceptores adhibiti, qui nuper sata rigarent, colerentque plantaria. Congratulaturque ita M. Tullius, Ciceroni filio, Athenas ad Cratippum, discendi gratia, misso, quod eum exemplis vrbs, doctrina præceptor, augere posset. Gratiam diis habuit Philippus, terræ Macedoniæ regnator, quod Alexandrum filium, Aristotelis temporibus, nasci contigisset. Sic Neroni Senecam, Traiano Plutarchum, Carolo illi Magno, suum cessisse Alcuinum reperimus. Temporis deinde progressu, cum rebus gerendis, eruditos deesse non posse censerent principes, honore ac dignitatum prærogatiua, literarum commendauerunt gymnasia, Pontifices immunitate addidére. Igitur Eberhardus Probus, VVirtenbergensium Dux primus, vir ad pacem natus, videns suam Remp. hominum egere doctorum opera. quod incredibili prosecutus beneuolentia, studiorum vniuersitatem auctoritate apostolica, & imperiali, in oppido Tubingensi, prudentissima fundauit ordinatione, qua cauetur, vt in S. Theologica, ordinarij doctores quatuor in Iure Pontificio & Imperiali, sex, In Medicina, Theorica, Practicaque duo, in morali duo: In Poetica Oratoriaq; duo. In Philosophia naturali, ac rationali, duobus in contuberniis, magistri decem, per singulos dies, statis horis, suas prositeantur lectiones, perpetuisq; foueantur stipendiis. Gymnasiarchi, insuper dictis studij, perpendentes, qua magni sint artium effectus, ne quid liberalibus abesset literis, & quo mathematicis alumni, liberius vacarent disciplinis, quibus Græcis nil fuit illustrius, magistrum Ioannem Stoffler, astronomum doctissimum, vel Archimedi Syracusio, non concedentem, machinarum peritia, publico conciliarunt honorario. Denique ex orbe illo disciplinarum cyclopedia, ne quicquam desiderari posset, linguis ediscendis, insignem eruditione cognitissima, virum Ioannem Reuchlin Phorcensem præfecerunt, qui Hebræas, Sanctasque & Græcas literas, ex authoribus interim præstantissimis, quorum iusta Tubingę est copia, qua præditus est humanitate, doceat fideliter. Vniuersos itaq; studiorum amatores, vbiuis gentium agant, quos hactenus grauis forsan, vel pro petendis, vel percipiendis insignibus, expensarum deterruit iactura, vberrimos discendi fontes, adire volentes, huc confluant hortamur, Senectutis viatica, aduersis rebus solatia, fortunatis ornamenta, gratis, liberè, ac sine vlla mercede, in hunc diẽ erogaris solita, Calendis Maiis, anni præsentis XXII præcepturi. Magistris enim ac doctoribus, reliquisque omnium scibilium professoribus, ærarij tribuni, è gazophilatio satisfacient, & pro cuiusque munere dignam singulis stipem, ac præmia dependent. vt neque propter audiendos cuiuscunque facultatis libros quicquam, nec pro percipiendis insigniis insolitum hactenus, percepi, non consuetum sit erogaudum. Idque ex imperiali munificentia, hortatu suasuque Guihelmi Truchses, Cæsariæ Maiestatis, in Ducatu VVirttenburgensium Vicarij Baronis nobilissimi, atque aliorum regentium, quorum auspicio ductuque studiosus, quilibet, in perpetuum deinceps (diuina modo faueat clementia) facilè consequi poterit, obuium atque oblatum, quod enim longa difficiliq; peregrinatione, & multiplici impendio, vix atq; ægrè vel malignis, vel preciosis est assecutus magistris.

EISLEBEN.

EISLEBIA COMITATVS MANSFELDIAE OPP.

TVBINGEN.

TVBINGA

STETINVM.

POMERANIA nomen accipit à Pomesano Vidunti, primi Borussiorum regis filio, dicit enim Erasmus Stella: Vidunti filij, qui in Borussia remansêre, tres nimirũ ex matre Borussia nati, terram secundum capita diuisisse Pomesanum, qui ex his ætate præcellebat, sorte eam occupasse terræ portionem, quæ Hulmigeriæ propinquior est: tum à Germanis habitatam, à quibus Borusij magis formidabant. Sed quoniam Pomesanus strenuus videretur, manu ac animo feroci, multitudinisq́, admodum studiosus, hanc magis tutari eum posse confidisse, ex ipsoque hanc portionem deinceps Pomesaniam dictam fuisse. Hodie verò, voce nonnihil variata, Pomerania dicitur: Lemonij quos Tacitus recenset, Rugiis finitimi, & Oceani accolæ, Pomeraniæ cultores fuisse videntur. Sub his verò & Rugiani recensentur, & VVagrij, Polabi, Obotriti, Rissini, Circipani, cunctiq; VVandali. Vsu sunt ante susceptum Christianismũ lingua Vandalica, & à primis cultoribus lingua patria, hoc est Vandalica, hæc regio Pomerzi dicta fuit, ab indigenis habitata, & propriis dominis gubernata: alienis autem nunquã subiecta est. Diuiditur autem in superiorem & inferiorem Pomeraniam, quarum hæc in orientem vergens, Vandaliam Cassubiamque, illa Stetinensem, Batthiensemque seu VVolgastensem ducatus, ac Rugiensem Insulam complectitur. Opidis egregiis exculta, insigniora tamen quæ habet, iacent in littore maris, pauca quædam mediterranea, quorum præcipuum est STETINVM, seu Sedinum, à Sedinis populis, vt creditur, denominatum, cis Viadrum, Vetus à priscis meritò dictum: quòd conditoris nomen & tempus extructionis, à nemine adhuc accuratè perueſtigatum sit. (Quanquam tamen Iobstenius, eius ortum in annum Christi centesimum vigesimum quartum vltra millesimum referat.) Situs, commerciorum, & victus oportunitate, morumq́, elegantia. nulli maritimarum ciuitatum cedens; piscium lectissimorum varij generis, & precij exigui inexhaustum, promptumque viuarium: Pratorum quoque ac lignorum cæduorum adeo ferax, vt parem haud facile, superiorem verò aliam vix vsquam reperias vrbem. Luxuriat ager suburbanus finitimus prouentum egregiorum fructuum, quorum magna vis quotannis in transmarina regna & ditiones defertur. Quin etiam iure exonerandi merces, & aduectitiarum rerum omnium vel retinendarum, vel exportandarum præ cæteris, immunitate rara atque peruetteri gaudet.

Habet modo in ea sedem continua serie à maioribus acceptam illustrissimus Princeps, D. Ioannes Fridericus Stetinensium, Pomeranorum, Cassuborum, & Vandalorum Dux, Princeps Rugiæ, Comes Gutzcouiæ, & Leopyrgensium, ac Butouiensium terrarum Dominus. In Pomeraniæ, Stetini, Cassuborum & Vandalorũ Ducum genealogia nuper in Saxonia edita, ita legitur, VVartislaus primus, alias Bertizlaus vel VVercezlaus, cum fratre Ratiboro, in diuisione cum reliquis fratribus facta, citeriorem Pomeraniam, Germaniæ finitimam, vbi Stetinum, & caput gentis & amplissimæ familiæ sedes, Wolgast/Vßdum/citra, & vltra fluuium Pene vsque ad Colbergam accepit, Primus ex hac illustri familia, religionem Christianam susceperit, & cum ambobus filiis baptizatus, à D. Ottone Episcopo Bambergense, & Comite Andechsino Apostolo Pomeranorum, Episcopatum Iulini, alias VVollin, & templum D. Iacobi in Stetino, fratris Ratibori auxilio, fundauit circa annum Christi. M.D.XXIV.

Est Stetinum iuris ac fœderis Hanseatici, ad illud societatis membrum pertinens, quod Lubecam, totius Hansæ caput primo respicit.

Eius longitudo est grãduum triginta septem minutorum sex,
Latitudo, grad. quinquaginta trium, minutorum sex & viginti.

Stettin

Putzerlin
Die Stadt Dam
Golnawsche heid
Lubbezin
Starygradische heid
Dammische See
Horkendorff
Pode Juch
Klebow
Bartes
Griffenh
Lutke Kegelitz
Oder Bruch
Die Mellen
Die Schetinen
Parnitz
Lastadie
Silberht
Salpeter hauß
Oder
Oder auf nach Franckfurth
Ober seike
Vider seike
Haffnung
Fisch marckt
Hew marck
Straß Frauren
Schulern straß
Rodenbergsche
Rossmarckt
Grosse Thums straß
Thum straß
Rossmarckt
Ossollen straß
Wollenweber straß
Tuchmarck
Die breitte straß
Rosen garte
Garten
Gen Berlin

VVRATISLAVIA.

VRATISLAVIA Sileſiæ Metropolis ad Odræ & Olauæ fluuiorum confluentem ſita eſt à VVratiſlao Bohemo teſte Cranzio in ſua Vandalia condita, & ab eodẽ ſic dicta. Vnde & in illius honorem Vrbs in ſuis inſignibus literam, VV, gerit, quemadmodũ hoc Imp. Carol. V. in ſuis Priuilegiis Vrbi datis confirmat. Ptolomeus in his oris Budorgin ſitam fuiſſe exiſtimat, ideoque opinantur aliqui ex ruinis illius creuiſſe VVratiſlauiam.

Parua huius Vrbis initia fuiſſe anno Chriſti 965 ex eo euidens eſt, quod in Auſtrali ripa Odræ tantum tres vel quatuor domus turritæ, quarum veſtigia adhuc ſuperſunt, in quibus haud dubiè Duces Quadorum habitarunt, exſtiterint.

Anno 1058 Caſimirus rex Poloniæ ſedem Epiſcopi Sileſiorum quæ ſub initium religionis Chriſtianæ Smogræ nunc exiguo pago, deinde Bitinæ in terra Brigenſi fuerat, VVratiſlauiam tranſtulit & Inſulam Vrbi vicinam quam Odra fluuius circumlabitur Epiſcopo & Sacerdotum collegio attribuit.

Paulo poſt & ibidem arx conſtituta & munita fuit contra incurſiones hoſtium quæ adhuc hodierno die Burg appellatur.

Paruit circa hæc tempora cùm reliqua Sileſia Polonis donec tandem tota hæc Prouincia anno 1163 à Boleſlao Criſpo, VVladiſlai filiis ex tranſactione auſpiciis Friderici Imp. facta concederetur quorum primus Boleſlaus procerus VVratiſlauienſium & Lignicenſium princeps factus eſt.

Boleſlao ſucceſſit Henricus Barbatus beatæ Hedvvigis coniunx. Huic ſucceſſit filius Henricus II. pius dictus cuius tempore cum Tartari vaſtata Polonia in Sileſiam irrupiſſent anno 1241, ciues munitioni noui oppidi quod adhuc ligneum erat diffiſi, cum rebus ſuis ſe in Inſulam vbi Principum arx erat receperunt, oppidum verò ne hoſtibus receptaculo eſſet incenderunt arcemq; tutati ſunt. Cæſis autem Tartaris ad Lignicium pius Princeps in conflictu periit, cuius cadauer ad D. Iacobi ædes ſacras VVratiſlauiæ ſepultum eſt.

Henrico Pio ſucceſſit Henricus III. filius ſub quo Anno 1260 VVratiſlauia nouis ædificiis exſtructa eſt & murus interior qui adhuc hodie exſtat & antiquus ciuitatis murus dicitur cœptus ædificari & deinde trimeſtrem Boleſlai Calui obſidionem ſuſtinuit: Anno verò 1261 Ciuitas iure Magdeburgenſi donata eſt, & cum illius nouę Vrbis Dux admodum ſtudioſus eſſet multis eam immunitatibus & Priuilegiis ornauit, in quibus prædicat quod poſt ſolum Deum per fideles & chariſſimos ciues ſuos VVratiſlauienſes pariter & per terrigenas vt verba ſonant VVratiſlauienſes Ducatum VVratiſlauienſem & dominium fuerit conſecutus. Vnde cum ad Vrbem paſſim ex Germania ciues Germani confluerent ædificiis quoq; pluribus aucta & amplificata fuit.

Sub huius Henrici III filio Henrico IV qui probus dictus fuit anno 1266 tota Vrbis gubernatio Ciuibus commiſſa fuit. Anno verò 1272 Vrbs incendio vſq; adeò conſumpta fuit vt nihil præterquam murus interior cœptus & paucæ ædes ex cocto lapide exſtructæ reliquæ fuerint. Dux autem Vrbis inſtaurationẽ iuuit, dato Priuilegio vt murus cœptus abſolueretur & propter incendiorum pericula ædificia ex lapidibus exſtruerẽtur: Quadriennio poſt iterum Vrbs penitus conflagrauit Sacræ autem Crucis collegium idem Princeps Anno 1280 exſtruxit.

Defuncto Henrico Probo ſine prole Maſcula, ſucceſſit eidem Henricus V. Dux Legnicenſis, qui poſt ſe reliquit ſucceſſorem filium Henricum Sextum. Is VVratiſlauiam per Priuilegium, Anno 1311 conſtituit Metropolim omnium ſuarum Vrbium. Cum autem idem Henricus VI. de conſilio VVratiſlauienſium ſe & Ducatum fidei Iohannis Regis Bohemiæ permiſiſſet ipſoque defuncto VVratiſlauia anno 1337 in fidem eiuſdem Regis ſe contuliſſet, Rex Vrbem ſingulari fauore proſecutus eſt, & multas ei præclaras immunitates conceſſit.

Cumq; anno 1342, 7 die Septembris & biennio poſt penè tota iterum conflagraſſet regia liberalitate ad eam formam Vrbis quæ nunc exſtat ordine ſingulari plateis diſpoſitis, conſtituta & ædificata eſt, ob quam formam præ cæteris Germaniæ Vrbibus celebris eſt.

Carolus autem IV. Cæſar Iohannis Regis filius & ſucceſſor, Vrbi magnam partem quæ in vlteriori ripa Olæ fluuij ſita eſt adiecit eamque templo D. Dorotheæ dicato ornauit, tandem ipſe quoque anno 1348 VVratiſlauiam venit, & quia præclaram de prudentia Senatus opionem habebat totius territorij VVratiſlauienſis præfecturam illi commiſit & primarios viros conſulares ſe ad coronationem Romam ſequi voluit. VVenceſlaus filius nimia ſua in quoſdam ciues liberalitate & indulgentia, tumultui qui 18 die Iulij anno 1418 contra Senatores excitatus fuit, cauſam dedit, qua de cauſa & hodie dies ille pro nefaſto habetur.

Sigiſmundus verò Cæſar frater VVenceſlai qui biennio poſt VVratiſlauiam venit, turbas has VI Martij, in ſuo conſpectu publicè ſumpto de 22 ſeditionis auctoribus ſupplicio, compeſcuit, ac ne deinceps plebs querelæ cauſam haberet Ariſtocraticum ſtatum Reipub. ita contemperauit decoramaria vt Oligarchiæ metus ſublatus videretur. Caſtrum etiam in quo Præfectus habitaret ad Oderæ ripam ædificauit & in Senatum XV ex præcipuis familiis, quatuor verò ex plebeis qui honeſta ac vtilia opificia exercent, legit, magno deinde encomio Ciuitatem hanc in ſuo eodem anno dato Priuilegio ornauit, dum eam Regulam morum, exemplar & ſpeculum moralitatis humanæ vitæ iubarq; ſplendidum quod inter alias ciuitates emicet, nominarit.

Rebus ad hunc modum conſtitutis cum paulò poſt Huſſitæ ob Conſtantienſis concilij ſententiam omnibus ſuſpectis arma inferrent VVratiſlauienſes quoque hiſce malis impliciti ſeſe aduerſus eos aliquot annis totis viribus ſunt tutati. Cum tandem inter Matthiam ex Carcere ad Regnum Hungariæ vocatum, Caſimirum Poloniæ & VVladiſlaum filium eius regem Bohemiæ magnæ de Sileſia contentiones ortæ fuiſſent & VVratiſlauienſes Matthiam in vrbem recepiſſent, Caſimirus & VVladiſlaus vrbem tres menſes continuos fruſtra obſederunt: Vbi verò anno 1479 pax inter hos Reges inita fuiſſet & ex tranſactione Matthiæ Sileſia obtigiſſet, vrbem ille multis Priuilegiis condecorauit.

VVladiſlaus deinde Rex Hungariæ & Bohemiæ factus vrbi ius Emporij de quo cum Matthia etiam prius cõuenerat, diplomate dato conceſſit. Dehinc Ferdinandus Regnum Bohemiæ adeptus anno 1527 VVratiſlauiam primum ingreſſus eſt & bis deinde eam inuiſit, Cumque hac vrbe mirificè delectaretur ſingularibus eam verbis publicè prædicauit & magnis affecit beneficiis. Dignitatem Magiſtratus ſingularem in modum amplificauit, eamque illi tribuit quæ in nobilitatis commendatione primas obtinet, atque ſua interceſſione apud Carolum V. Imp. effecit vt multis ac magnis virtutum præmiis dato Priuilegio anno 1530 eam ornauerit.

Anno 1563 Diuus Maximilianus viuo patre in hanc vrbem venit, quæ de ſententia Cæſaris Ferdinandi p. in illius verba iurauit. Quam ille animo propenſo in hanc vrbem fuerit & quantopere commodis illius ſtuduerit in recenti memoria eſt. Quod eodem animo & voluntate Sacratiſs. Imp. Rudolphus II erga eam affectus ſit, anno 77 quando eam vidit & hactenus multis modis abunde declarauit & quod in poſterum quoque eam pro innata clementia ſit declaraturus, ſpem Ciuitas firmiſſimam concepit.

Si quis vrbis huius ſitum, ſplendorem ædificiorum, turrium atque templorum ſtructuram atq; conuenientem platearum ordinem intueatur, item & ſoli circa vrbem fertilitatem mercaturam & rerum omnium abundantiam quæ in hac prouincia circa vrbem naſcuntur & ex diuerſis partibus orbis in vrbem aduehuntur conſideret, cum præcipuis eam Germaniæ vrbibus certare dixerit, paucas aut nullas ei præferendas cenſebit.

Quæ verò in hominum ſocietate ſumma ſunt ornamenta in hac vrbe ſunt præcipua. Ariſtocratia enim plena eſt dignitatis, & Senatui eximia reuerentia plebs obtemperat.

Leges autem non ad vllius partis aut factionis commoditatem latæ, ſed ad honeſtatem, iuſtitiæ conſeruationem & æqualem ciuium conſociationem directæ. Et ſenatus eſt vigilans & acer in legum defenſione, in exercendis iudiciis in diſciplinæ conſeruatione, in puniendis delictis, & in tuenda pace. Sed & de iure quoque in hac vrbe à Scabinis & eorum aſſeſſoribus quibuſcunque in hac prouincia conſulentibus reſpondetur.

Sunt & omnis generis artes vitæ vtiles in ciuitate.

Præſtantia ciuitas hæc profert ingenia, quæ in benè iſtic conſtitutis Scholis liberalibus artibus erudiuntur, & ad res magnas tractandas præparantur.

Ne & hoc omittatur ſucculenta in hac vrbe coquitur Cereuiſia, quæ vulgo **Scheffs** dicitur & bonum præbet nutrimentum, vnde & omnibus aliis huius prouinciæ cereuiſiis præfertur & apud vicinas gentes in magno habetur precio.

Longitudo huius vrbis eſt 34 grad. & totidem Minutorum, Latitudo graduum 51. 10.

42

WRATISLAVIA.

DIE ODER

FLVV.

1587

1. Niclas thor	26 Schweidnitzerthor	51 S. Albricht	72 Elbing
2. Reusche gasse	27 H. Dreifaltigkeit	52 Albrichts gasse	73 Eilf 1000 Jungfrau
3. Nicolaus gasse	28 Schweidnitzergass	53 S. Catharina	74. S. Claren muhle
4. S. Barbara	29 Schmiedebrugke	54. Newmarckt	75 H. Leichnams muhl
5. Burgvelt	30 Kayserliche burg	55 Heringbauden	76 S. Marien muhle
6. Zeughaus	31 Kayfers thor	56 S. Maria Magdalē	78 S. Anna
7. New spital	32. Newe Postey	57 Olsische thor	79 der Sant
8. Kinder spital	33 New thor	58 Olsische gasse	80 der Thum
9. Muhlpfort	34 Fischer pfort	59 S. Christophorus	81 S. Petri vnd Pauls
10. S. Elizabeth	35 Gerber pfort	60 Taschenthor	82 S. Martinus
11. Oder thor	36 S. Matthis muhl	61 Vor der muhlen	83 die Bergk
12. Oder gasse	37. Wasserhaus	62 Wasserhaus	84 H. Creutz
13. Der rinck	38 S. Matthis	63 Mittemuhle	85 S. Ioannes
14. Rathhaus	39 S. Agnes	64. Maltzmuhle	86 Bischofs hoff
15. Kaufhaus	40 S. Clara	65 Schleiff muhle	87 Ziegelscheune
16. Wage	41 S. Vincentius	66 Bretmuhle	88 vor S. Mauritio
17. Fischmarckt	42 S. Marien thor	67 Hinter muhle	89 New begrebnus
18. Saltzringk	43 Zeughaus	68 Papyr muhle	90 Meuse teich
19. Saltzbauden	44 Zum H. Geist	69 Burger werder	91 Saltzhaus
20. Rosmarckt	45 S. Clemens	70 Schiesswerder	177 S. Maria
21. Muhle beim rade	46 Newstat	71 Walckmuhle	
22. S. Dorothea	47 Ziegelthor		
23. S. Hieronimus	48 S. Bernhardin		
24. Creutzhoff	49 Einfluss der Ole		
25. H. Leichnam	50 Ketzelmuhle		

MONACHIVM

MONACHIVM in superiore Germania Vindeliciæ, quæ iam Boiaria siue Bauaria vocatur, metropolis ad Isaram rapidissimum amnem ex saltu Schiratio, Alpium scilicet Penninarum gremio in Danubium profluentem sita, inter vrbes, quæ ducales Principum regiis clarent, amplitudine, elegantia, mundicie excellit atque enitet, de cuius origine qui scripsere, sententiis inter se discrepant. Chronicorum enim Noribergensium consarcinator sub Othone I qui Imperij administrationem anno DCCCCLXII iniit Henricum ducem Brunsuicensem, cum Bauariæ partem ex materna hæreditate ad se deuolutam in arce Veringensi degens possideret, iuxta Monachorum villam ponte facto, nouaq; trans Isaram amnem via munita, oppidulo principium dedisse: Ernestum verò Henrici filium permittente propter heroica ipsius facinora Ottone Cæsare vitrico (viduam enim Henrici ille vxorem duxerat) ex oppidulo vrbem fecisse refert, ea tamen lege ipsi ab Othone imposita, vt Frisingensi Episcopo, qui propter diminutum sibi ius & vectigal auersa via publica reclamabat, quinq; nummum pondo quotannis penderet. His auspiciis hanc vrbem emersisse, & in magnam populi frequentiam, ædificiorumq; crebritatem coaluisse ille affirmat. Verumenimuero serius huius vrbis primordia Auentinus ponit, qui Henricum Saxonum Boiorumq; dynastam ex peregrinatione Hierosolymitana supplicandi causa institutа reuersum, eum aliquandiu Imperatoris Friderici Aenobarbi sextam in Mediolanenses expeditionem suscipientis auspicia secutus, tandem deficeret, in primam Vindeliciam, quæ superior Bauaria nunc dicitur, rediisse, ibiq; prope villam Monachorum Schefflarienſis Collegij nouum oppidum condidisse, quod Monachium appellauerit, Monachi, qui panſis vlnis dextra manu speciem præ se iurantis ferat, sinistra verò librum teneat, insignibus donatum asserit. Sed cum ad Veringios (vicus nunc est ad quintum infra Monachium lapidem) à Salinis, quæ ad radices Alpium Noricarum cum maximi commodi prouentu etiam nunc vigent, via salaria & prætoria tenderetur, ibiq; pons & emporium salis esset, Henricum ex improuiso Veringios oppressisse, pontem rescidisse, salis mercimonium, pontemq; & vectigal Monachium recens extructum oppidum transtulisse: Albertum verò Frisingensem Episcopum multiplicibus apud reuersum ex Italia Cæsarem querelis & accusationibus tantum effecisse, vt cum citatus ille minimè se sisteret, aliorumque etiam criminum reus ageretur, læsæ Maiestatis condemnatus, & vtroq; ducatu exutus fuerit, quorum hunc ex decreto Senatus Cæsar in fidem Othonis Comitis in VVitelspach & Scheuren signiferi sui propter egregiam sibi nauatam operam transtulerit, illũ Bernhardo ab Anhaltt tradiderit. Hoc autem memorabile, quod huius vrbis conditæ & redditibus amplificandæ causa Saxoniæ & Bauariæ ducatuum, qui vnius dominatui parebant, diuisio successerit, & huius dominium in VVitelspachiam Scheurensemq; familiam deriuatum serie nunquam interrupta in serenissimum Ducem Guilielmum eius nominis quintum insigne sui ordinis decus, qui vtramq; modo Bauariam pacatissimè prudentissimèq; gubernat, propagetur. Vrbis huius tam externus quàm internus situs multis opportunitatibus est amœnissimus, aëre temparatissimo saluberrimus. Inter Oenum & Lycum amnes illum orientalem hunc occidentalem, vtrumq; vnius diei itinere distantem, Isara medius interlabitur, ab oriente VVasserburgum, ab occidente Augustam, à septentrione Frisingam, à meridie verò cum pulcherrimos & diuersis piscium delicatissimorum generibus abundantes lacus, tum varia quasi de industria atq; arte ad amœnitatem consita nemora habet, quæ passim circumquaque habet, numerosis diuersarum ferarum, præcipuè verò ceruorum cateruatim discurrentium gregibus referta. Montes Tirolenses tanquam præ foribus Meridiem versus aspicit. Hortos suburbanos orienti soli expositos limpidissimi riuuli ex amne deducti murmure gratissimo præterlabentes rigant, mirificeque recreant. Nouus ipsius Ducis iuxta nouum Castrum hortus, præter artificiosum fontem & domum æstiuam pulcherrimis picturis ac statuis ornatam hoc singulare habet, quod vix vsquè alibi reperire sit. vt crepusculo appetente vespertino, magnus ceruorum grex interdum centum aut plurium sub ipsas propemodum fenestras sponte accedat, vnde figi sternique aut arcu aut Sclopeto queat, qualiscunque eorum maximè adlubescat. Iam si in ipsam vrbem ingrediamur, ibi videre est, quam latæ, quàm nitidæ plateæ, quàm superbis & elegantibus splendescant ædificiis, quantam denique vtilitatem quantamq; voluptatẽ canales ex Isarę alueo triplici diuertigio introducti ciuibus adferant. Templa hic varia, sed duo turribus altissimis præcæteris eminent, quæ & parochiæ collegiatę sunt, D. Petri & Deiparæ Virginis, in quo Mansoleum Bauarię Ducum, vbi & Lodouicus IIII huius nominis Imperator sepultus est, visitur. turres verò huius templi binæ columnarum instar eadem latitudine, eadem altitudine ad CCCXXXIII pedes assurgunt. Organum eiusdem templi maius, totum compactum est fistulis ligneis ex buxo tornatilibus, tantæ quidem capacitatis, vt vix vspiam tantæ conspiciantur ex plumbo vel stanno fusiles. Monasteria hæc vrbs celebriora quæ præcipuè vigeant, tria habet, vnum Franciscanorum, Augustinianorum alterum, tertium verò Diuo Iacobo consecratum, quod monialium est: Duo item minora cœnobia virginum, ordinis Diui Francisci, Franciscanis vicina. Cemeteria duo seorsim duabus parochiis destinata, facellum quodque suum habent, quorum vni coniunctum est Nosocouium, tertium suburbanum Saluatori dicatum nuper extructum est nouum. Est & S. Spiritus ædes cui Xenodochium contiguum. Inter ædificia noua quibus vrbs in dies magis ac magis illustratur, præcipuum est templum Diuo Michaëli Archangelo dicandum vna cum integris iisque amplissimis ædibus, quas Patribus Societatis Iesu Dux Guilielmus à fudnamentis extruit, iis scholæ coniunctæ erunt, ad instituendam iuuentutem, quæ ex diuersis nationibus huc magno se confluxu recipit, magnificentissimæ. Aliud ædificium nouum, vt nouo castro maiorem splendorem commoditatemq; adferat, iuxta interiorem hortum, quem variæ variarum elegantiarum diliciæ exornant, construitur, cui vicina Bibliotheca est XI circiter millibus voluminum (quorum non exigua pars diuersarum linguarum manuscripta sunt) seorsim & scitissimè compactorum refertissima, theatro peramplo & amœno distincta. Infra verò theatrum hoc, statuarium est antiquissimorum monumentorum atquè imaginum, quæ Roma & aliunde magno ære congestæ sunt ditissimum. Castro nouo per anfractum adhæret atrium omni elegantiarum ac deliciarum genere, quas vel natura vel hominum ars subtiles & ad miraculum stupendas dedit instructissimum. in quod quotiescunq; quis vel curiosissimus ingrediatur, quod nouum admirerur inuenit, vsq; adeò vaga ibi rerum suppellex atque varietas conspicitur. In curia ducali veteri aluntur tigrides, vrsæ, lynces & hoc quidem tempore duodecim leones, quorum femellæ catulos frequenter pariunt. In eadem curia memorabile magni roboris monumentum Christoforus Dux rhithmis Germanicis ad marginem asscriptis posuit. Molendina aquatica non solum extra sed etiam intra vrbem multa ac varia multis ac variis rerum opificiis seruiunt. Fontem Princeps Ferdinandus ad maiorem vrbis amœnitatem publicæ voluptatẽ ante palatium suum canalibus educit, quem æneis magni artificij statuis, quatuor elementa referentibus, quæ exilientis & galeatum cristatumq; equitem portantis equi simulachrum circumstent, exornat. Artificia quæ apud alias gentes in vsu, & hic in precio sunt, aliunde introducuntur, vt institutа nuper officina vitriaria & textura holoserica. Forum nobilitatur in primis vini aductitii, salis, & rei frumentariæ mercatu. Conficiuntur autem hic merces plurimæ, quæ in diuersas prouincias exportantur. Populi frequentia tanta est, vt octodecim millia familiarum recenseantur, nec omnes recipi queant, quin in horreis multi & in angulis habitare cogantur magnis angustiis, adeò quidem, vt quatuor aut quinq; nonnunquam reperiantur familiæ, quibus vnum tantum hypocaustum suppetat. Celebriorem hanc vrbem & frequentiorem facit, quod ex diuersis vndiq; nationibus diuersi huc nobiles & artifices benignitate Principum illecti confluant. Multi hic Comites, multi Barones & maiorum gentium nobiles agunt. Ius dicitur tribus tribunalibus, Prouinciali, aulico, & ciuili siue vrbano. In aulico consessum habent Comites, Barones, Nobiles & Iureconsulti. In ciuili Senatores, quorum qui interioris consilij sunt duodecim plerunq; ex patriciis senioribus, qui verò exterioris, XXIIII partim ex iunioribus patriciis partim ex plebeis cooptantur. Criminale ius Prætor, quem vt plurimum antiquæ nobilitatis esse oportet in curia Senatoria cuius conuexa amplitudo spectatu digna est, administrat. Patritius ordo hic nobilior est, quàm alibi. cui hoc recepta consuetudine solennè est, vt quotannis Dominico die, qui Epiphaniam sequitur, vniuersas siue cœlibes siue coniugati sint vna cum vxoribus ac liberis, quibus per ætatem conuenit, ac per valetudinem integrum est, in regiam, & ad quatuor præcipuas vrbis portas, siue plateæ niue coopertæ, siue non sint, trahis circumvehantur, postridie verò, in curia senatoria vna cum aulicis chorcas ducant, & Principibus sumptuosum epulum præbeant. Corporis Christi festo tam regifico apparatu ac splendido hîc supplicatio adornatur, quã vix credibile est apud vllam gentem fieri, ita vt cum triumphalibus veterum pompis propemodum conferri possit. Repræsentantur enim & veteris & noui Testamenti historiæ, quæ res siue terra siue mari gestas, tradunt, spectaculis & figuris quæ magno sumptu, magnoq; artificio concinnantur ad res ipsas accommodatissimis. Vestes, currus, phaleræ, nauigia, aliæq; machinæ & ornamenta iis destinata cum magni sint precij, diligenter asseruantur. Nundinæ hic binæ habentur, vnæ post Epiphaniam, alteræ ad Diui Iacobi festum, quarum has celebriores reddit hominum & equorum in stadio cursus. Hæc de hac vrbe ex plurimis quæ memoratu digna sint, pauca collecta, cum plura non capiat pagina, sufficiant.

43

MONACHIVM VTRIVSQVE BAVARIAE CIVITAS PRIMAR.

A. Wasser Thurn.
B. Geslingen.
C. Die Aw.
D. Alpes noricæ.
E. Isara flu.
F. Talkirchn.
G. Vnter Senttling.
H. Ober Senttling.
I. Zimmer Stadel.
K. Die Lende.
L. S. Saluator oder newe Gottes Acker.
M. H. Ferdinandus Lustgarten.
N. S. Jacob oder Vrawen Closter zu Anger.
O. S Peters Gottes Acker vnd Brouderhaus.
P. Iser Thor.
Q. Heiliger Geist vnd Spital.
R. S Peters Pfarkirchen.
S. Alts Thurn.
T. Schön Thurn.
V. S. Augustin.
X. Der Landtschaft.
Y. Vnser Frawen Pfarkirch.
Z. Alten hoff.
AA. Alten Hoff kirchen.
1. Newe Stalling.
2. Konst Camer.
3. S. Francisc. oder barfüsser.
4. Vnser Frawen Gottesacker.
5. Liberej vnd Antiquarei.
6. Jager Puchl.
7. Newevest.
8. Hoff gartten.
9. Vnter blaich.
10. Schloß dachaw.

IN LAVDĒ CIVITAT: MONACHIĒ: ANCELMI STŎCKLII EQVITIS ICOSITETRASTICHON.

Aspice turritis incinctam mœnibus vrbem,
Aspice Boiarici metropolimque Soli.
Indigitata quidem Monachi de nomine claret,
Pandiculans Monachus Symbolon estq; loci
Ædibus eximijs, mundis plateisque, prealtis
Vrbs decus ostentat turribus ampla suum.
Circumit vndiuago ratiger pomœria tractu
ISARA, qui passim flexus In vrbe fluit.
Illimis manat fabrefactis fontibus vnda
Vrbis et ornatæ gratia nulla deest.
Sed decus accumulat, noua quę modò fabrica surgit
Vt, quæ visa fuit, non videatur ea.

SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
.D. GVILHELMO
COMITI PAL. RHENI
VTRIVSQ. BAVARIÆ DVCI DOTO SVO
CLEMENTISS: IN HVMILLIMI OBSEQVII
SVI MONVM: GEORG: HOEFNAGLIVS D.

Nil tamen exornat magè prestantissima, diuis
Proxime, quàm virtus, DVX GVILIELME tua.
Quin etiam posuere suas hic numina Sedes
Pallas, Atlantiades, Pieriusque chorus.
Religio, pietasque, fides, Astræa moratur
Hic, venerandorum docta caterna patrum.
Hesperus vt rutilans presulget in æthere stellis,
Sidera consimili nulla nitore micant.
Sic vrbs hæc alias superat splendore, vel ullus
Qua princeps habitat, Teutonis ora, tuus.
Effigiauit eam Solers Hoefnaglius, vnde
Vrbis adaugescit gloria, nomen, honor.
Anno dom. CIↃ. IↃ. LXXXVI.

POSONIVM PRESBVRCH.

NObilissima Hungariæ vrbs Bresburgum est, siue Posonium, vel vt Lazius rerũ Viennensium libro secundo, ex scrinijs eiusdem vrbis docet, Pisonium, à Pisone quodam videlicet, cuius opera Tiberius Pannones subegit, à quo & vicinus lacus Peisodis, denominationem habere existimatur. Cuius & Plinius li. 3. cap. 29. in Norici vicinia, post superioris Pannoniæ municipiorum enumerationem mentionem facit. Quem lacũ in hanc vsque ætatem, decimo à Viẽna Hungariam versus milliario, aliud a Sidunis Germanica natione nomen accepisse cernimus, qua de re eius loci homines Neusidlersee appellant. Sidunorum verò Ptolemeus in opposita Pannoniæ ripa inter Marcomannos & Chotuaros obiter meminit, vt ratio etiam sit à Pisone fortè, perinde vt proximum opidum, (quod Pisonium, & barbarè Posonium vocant) hũc denominatum lacum fuisse, quod & monumenta in vicinia reperta demonstrant. Fuit autem Lucius Piso Pãoniæ Præfectus, & cuius opera Augustũm & Tiberium Pannones & Noricos subegisse Florus ex Liuio, & Cornelius Tacitus lib. 3. authores sunt.

VICTORIAE AVG. NN ET
LEG. IAD P. I. ANTONINI:
P. MARCVS D. SEXTIANVS
EPHESO PP. DD.
DEDICANTE EGNATIO
VICTORE LEG. AVG. C.
PR. PR.
E. C. L. PISONE

Sunt, quibus Antonini, & libri Notitiarum, Flexum, Posonium est, Spigelio autem Vienna Austriæ vrbs primaria, latini recentiores Posoniũ, Otto Frisingensis & Germani Presburch vocant, & Aldenburgum, Vbi Lexta flumen Pannoniam superiorem ab inferiore diuidens, cum Istro miscetur, Hungaricè ibi loqui incipiunt, mixtus tamen est sermo, & sunt ij populi bilingues, germanicè & hungaricè loquuntur. Vrbs vetus & elegans, quæ vt situ, ita aëre quo fruitur læto & amœno salubriq́ue, multas Pannoniæ vrbes longè excellit, montes habet vineis amœnissimis consitos, qui & magnam lignorum copiam præbent, vbi sol Bachum minus colere & obseruare potest. Ad suburbium in præcelso montis vertice, arcem habet validam, quæ, vt legitimum magistratũ hanc vrbem obseruarę docet, ita eandem ab hostibus defendere potest. Subter inclyto allabente Danubio, loça çompasqua sunt, horti, viuaria, vbi ouium greges, cerui, damulæ, & multa ferarum genera, magna amœnitate çonspiciuntur.

44

POSONIVM uel

Pisonium vt Lazius Hungariae vrbs

Preßburg

DANVBIVS FLV.

BRIXINA.

BRIXINA in Comitatu Tyrolensi sita est, vbi Rientius ignobilis fluuius in Isacum influit, qui deinde auctior factus, alueo saxoso, & inæquali ad Bolzanum celebre emporium in Athesim exoneratur. Est autem Brixina aëris temperie tota regione præstantissima, vt quæ in vmbilico ferè Comitatus sita, nec Italici cæli æstiuo caumate aduratur, nec hyberno frigore à summis alpibus imminenti obrigescat. Aquarum vero, fontiumq; summa est salubritas, ex quibus ille, qui vulgo virgineus vocatur, meritò nominatissimus habetur. Ager Brixinensis altissimis vndiq; montibus cingitur, estq; autumnalium præstantissimorũ, aliarumq; frugum, viniq; apprimè ferax, verum cum album sit mediocre, rubro tanta est præstantia, vt ad remotissima loca, ingenti sanè precio appetatur, vnisq; ferè principum mensis, ad eximium conuiuiorum decus reseruetur. Cathedralem Ecclesiam habet valde insignem, vnamq; collegiatam, Episcopalem vero sedem antiquissimam. Nam Sabionensis episcopus primus perhibetur, S. Cassianus, qui sub Diocletiano Imolæ martyrium subiit. Inde vero episcopalem sedem Brixinam transtulit S. Ingenuinus circa annum domini 1000. qui ambo vnà cum S. Albuino, tanquam diui tutelares, ab incolis in veneratione habentur. Episcopus ipse vtriusque potestatis tam secularis, quam spiritualis ius habet, estque imperij Princeps, Archiepiscopum Saltzpurgens. Metropolitanum agnoscens. Habuit autem ea Ecclesia episcopos viros valdè insignes, inter quos Popo euectus ad summum Pontificatum Damasus secundus vocatus, recensetur: item Melchior à Mechau & Nicolaus Cusanus omni doctrinarum genere excultissimus, ambo Cardinales. Bernardus Clesius, Christophorus Madrutius S.R.E. similiter Cardinales amplissimi, summis apud Maximilianum I. & Carolum V. diuos Cæsares, grauissimarum rerum Consiliis, & administratione perfuncti. Hanc modo dignitatem habet Ioannes Thomas, ex Illustri Baronum Spauræ gentis familia, vir integerrimus, cui Deus ad rem tanti episcopatus instaurandam (quod strenue facit) multos annos concedat. Etsi autem pro ratione alpinarum ciuitatum Brixina nequaquam magna sit, hoc tamen de ipsa dici potest, ipsam summorum Monarcharum & Regum, gratissimum sæpe hospitium existere. Nam cum publicæ viæ, qua Germania & Italia vltrò citroque per Rheticarum alpium angustias adeuntur, iuncta sit: summi sæpè Principes eò diuertunt, qui tamen omnes ab Illustrissimo & Reuerendissimo Præsule Brixinensi, omnibus humanitatis officiis, gratuitisq; vel maxime sumptuosæ hospitalitatis mensis, excipiuntur.

LAVBINGA.

LAVBINGA, antiquum Bauariæ Ducum in Sueuia ad Danubium oppid. quantum non modò ex ipsa ædificiorum forma, sed & ex multis Romanorum inscriptionib. quæ integræ, quædam etiam mutilæ ibidem conspiciuntur, intelligi potest. Quarumhìc quasdam, antiquitatum amantibus, subiungam.

D. M.
PRENCIVS A. V. E. III. LEG.
CIVES BRIVINES
VIXIT ANNIS LXX.
MONIMENTVM FECIT.

Ibidem.

DEO MERCVRIO SING
EX VOTO IVL. GALLICVS.
ET AVR. SIBVLLA P. L. I.

Ibidem.

APPOLLINI CRANNO
M. VLPIVS SECVNDVS
T. LEG. III. ITAL.
CVM SINGNO ARGENTEO
V. S. L. L. M.

Patria est Alberti Magni, ex nobili Solstettiorum oriundi familia, ex cuius natalitia domo, elegans est constructa Ecclesia, & in turri ab incolis erecta illi statua. Theologus fuit & Philosophus præcellens, ordinis Dominicanorum Episcopus deinde Ratisponensis, editis operibus clarus, propter doctrinam & subtilem eruditionem, Magnus cognominatus. Cuius in philosophia doctrinam in Vniuersitate Colonienſ. Laurentiani Gymnasij alumni sequuntur, sicut Gymnasium Montanum S. Thomæ Aquinatis magni istius Alberti discipuli, vnde vulgò, hos quidem Thomistas, illos Albertistos, adpellitant.

45

BRIXEN

BRIXIA
TYROLIS.

LAVGINGEN.

S. Lienhart

Schloß

Pfarr tor

Hof turn

Bricder tor

Dillin ger tor

LAVBINGA Sveuiæ
Opp. Alberti Magni Patria

SERAVALLVM.

MARCHIA Taruiſina pernobilis, & lauta Italiæ Regio, ditiſſimis oppidis Vrbibuſq; ſplendidiſſimis nitens, Serauallum etiam, celebrem armorum bellicorum officinam, pannorumque, vim ac frumenti negotiatione inclytum emporium, exhibet. Situ tam amœno ac nobili præſtans, vt incolæ, loci amœnitate capti, vſqueadeo diuerſis temporibus accreuerint, vt ter neceſſe fuerit mœnia dilatare, quæ nunc bis mille & quingẽtorum paſſium ſpatium complectuntur. Qua parte ad Septentrionem ſpectat, perpetuos habet montes, per quos Germani Serauallum, emporium illis gratiſſimum, frequentant. Vina enim hic inueniunt & emunt optima, ſuasq; merces permutant, equos, boues, fila, metalla, &c. A duabus verò partibus, qua in meridiem Venetias verſus, quaque in Orientem tendit, latiſſimam habet planiciem, elegantiſſimis collibus diſtinctam, vnde non ſolum vina, ſed & frumenta vberrimè colliguntur, non tantum ad incolarum vſum, ſed ad ſubleuandas etiã neceſſitates Alpenſium, hominum, qui in Cadubrij iugis & in Tyrolenſis comitatus parte, duram vitam, aut metallis fodiendis, aut lignis ſecandis, tolerant. Ad occidentem, colles etiam habet vinetis & oliuetis ornatos. Omnibus autem ex partibus, paſcua pinguia, tam in campis, quàm in montiũ vertice, frequentesq; lacus ac ſyluas, vt nec venationes, nec piſcationes, nec aucupia iucundiſſima, deſint. Illud verò in huius oppidi ſitu memorabile, quod, qua parte planicies eſt, nullo ſit expoſitum vento, qua autem montibus accliuè, perpetuos, quaſi ventos, ſentiat, ita, vt natum ſit hinc vetuſtum apud Italos prouerbium; Perda chi vvol, che ſaraual, ha vento. Hic autem permeans ventus, ſanitati conſeruandæ conducit, aërem quippe perpurgat, vt ab hominum memoria auditum non fuerit, Seraullo, vel peſtem, vel contagioſi morbi luem, noxiam fuiſſe. Hoc igitur oppidum in ea Regione Taruiſinæ Marchiæ ſitum, quæ in foro Iulienſi patria, olim cenſebatur in diœceſi Cenetenſi, eos montes claudit, quos antiquitas Opiterginos vocitabat, nunc Chriſtiana religio, pia nomina dedit S. Auguſtæ & S. Anthonij, quibus ſanctis, illis in montibus templa poſita ſunt. Et quidem Auguſtæ virgini ac martyri, valdè celebre, cuius oſſa ibi poſita, venerantur proximi & exteri, peregrinationesque ſuſcipiunt, & votiuas tabulas ponunt. Calendis Auguſti, frequentiſſimus populi ad eam Baſilicam concurſus, quando & celebres ſunt oppidi nundinæ. In iiſdem montibus arces ſunt antiquiſſimæ, quarum tamen veſtigia non adeo diruta ſunt, quin declarent, magnos ibi Principes præſidium ſibi tutiſſimum & habitationem valdè commodam collocaſſe. Ex quibus celebratur adhuc Matrucus Forolulienſium Rex, D. Auguſtæ pater rebus geſtis clarus, niſi mors filiæ, ob Chriſtianam fidem illata, omnes ipſius laudes denigraſſet. Oppidum, vnà cum aliis finitimis, Imperatorum donatione ad Eccleſiam Cenetenſem pertinebat. Sedes deinde fuit Regulorum Caminenſium: (quæ familia tunc computabatur inter quinque totius Italiæ nobiliores:) ex quo loco vicinis populis, qui ſub eorum imperio erant, iura dabant. Ricardusque, qui ex ea familia vltimus fuit, in eodem oppido quieſcit, in Monaſterio D. Iuſtinæ, marmoreo ſepulcro, valdè illuſtri, quod quatuor eius aulæ primates, iuſta corporis & vultus imitatione, ſuſtentant, & latera, hiſtoriis eodem marmore diligenter ſculptis, ornantur. In ſumma autem parte marmoreum cadauer iacet, ſtantque ad ſingulos angulos quatuor Epiſcopi, & vxor ploranti ſimilis. Nunc Veneti oppidum poſſident, molli quidem imperio & ſuaui. Nam ſenatorem mittunt cum prætorea poteſtate, qui iuſtitiam adminiſtrat, & vectigalia curat. Reliquum, quod eſt publici regiminis, apud illas familias manet, ad quas antiquitatis & nobilitatis priuilegio, pertinebat, imminuto tamẽ iure, ſic exigentibus publicis rationibus, quibus priuata commoda cedere æquũ eſt. Illæ familiæ XIIII. iam ſunt, aut XV. eliguntur que ex iiſdem XXXV. viri, quibus tota Reipub. adminiſtratio incumbit. Illa Seraualli pars, quæ in montibus eſt, rarioribus ædificiis conſpicua eſt, in reliquo corpore, frequentia ſunt & ſplendida. Medium interfluit Meſulus, limpidiſſimus amnis & piſcoſus, truttas, lupos, capitones, anguillas, cancros ſuppeditans, ab Italicis Latiniſque poetis celebratus, duobusque lapideis pontibus conſtratus. Populus religioni deditus, ingenioque ac induſtria impiger, & ad magnas res aptus, niſi ciuiles ſimultates, quas truculenter exercet, animos ab honeſtioribus ſtudiis plerumque alienaret. Sunt tamen, fueruntque omni tempore viri, doctrina, omnique virtute clari. Nam genuit illa patria, vt antiquos omittamus, M. Antonium Flaminium, Andræam Minutium, Archiepiſcopum Iadrenſem, omnibus ſcientiis, ſummaq; prudentia præditum. Minutium etiam de Minutiis, Hieronymi Minutij filium, Protonotarium Apoſtolicum, SS. Apoſtolorum & B. Mariæ ad Gradus Coloniæ Præpoſitum, qui etiámnum natale ſolum, virtute, doctrina, & prudentia ſingulari illuſtrat, quem ampliſſimas legationes apud Pontificem, apud Hiſpaniarum Regem, apud Germanię Principes ſubire, & ſecundò grauiſſima Gregorij XIII. negotia, magna cum laude ac gloria curantem, anno M. D. LXXXIII. Coloniæ Agrippinæ vidimus, & ampliſſima, ab eius loci Senatu, oblata munera, delatosque reſpuentem honores, admirati ſumus. Inde Romam reuertens, in Hiſpaniam ad Regem catholicum deſtinatur legatus. Qua quidem legatione magnificè geſta, nunc Monachij, in elegantiſſima Bauariæ vrbe domicilium fixit, & ſereniſſimi ac Reuerendiſſimi D. Ernesti Archiepiſcopi Colonienſ. &c. intimus: Nec non ſereniſſimi Domini Guilielmi, vtriusque Bauarię Ducis, primarius & conſiliarius. Edidit inſuper Seraullum Ioannem Plazzonum, Philoſophum ac Poetam inſignem, qui erudita opera ſcripſit, quæ tamen publicis literarum monumentis tradita non ſunt, vt Epiſtolas familiares, perelegantia de Agricultura, aliisque argumentis, poemata. Habuit etiam ſemper, habetq; nunc Iureconſultos clariſſimos, quorum opera Veneti, variis in magiſtratibus ſæpè vtuntur, & vicini populi grauioribus in cauſis conſilium ab illis quærunt & patrociniũ. Cæterum gens ſuapte natura armis potius dedita quàm literis, nec mirum, cum in tota Europa nullus locus ſit, vbi arma parentur, quæ magis excellant occulta quadam. Meſulæ aquæ, vi. Itaq; Seraullenſes gladij magno cum quæſtu, non per Italiam ſolum, ſed in Germaniam, in Galliam, inq; vltimos Britannos perferuntur. Ac degunt Seraualli exteri Mercatores, qui fabros magnis ſibi ſtipendiis deuinciunt, ſolùm, ne operam ſuam aliis locent. Seraullenſes etiam acinaces, apud Ilyricos & Turcas magno in prætio habentur, illamq; gladiorum famam Seraullenſes olim, forti non minus quam faceto dicto, vſurparunt, contrę Ezellinum, qui capta Feltria, & Bellonenſi ciuitate, oppidanos exemplo illo ad deditionem ſollicitabat. Illi verò reſponderunt, loca ab ipſo capta, ſylueſtria pira gignere. Seraullum autem enſes, quorum aciem in ſe ſuorumq; viſcera experturus ſit, ſi accedat, ſucceſſusq; audacia verba ſubſequutus eſt. Nam Ezellinus bis repulſus magna ſuorum ſtrage, tandem aufugere coactus fuit. Seraullenſiũ fidem ac fortitudiné laudat Sabellicus, loci pulcritudiné & amœnitatem Leander, & alij paſſim cõmendant.

Sunt in Marchia Taruiſina alia etiam oppida inſignia. Opitergium, antiquitate & Epiſcopali ſede, iam Cenetam tranſlata, clarum. Coneglanum, Germanis, ob vini præſtantiam, notum. Aſula, vetuſtate ac agri amœnitate nobile. Baſſianum, cuius mulierculæ ob præſtantiſſimi fili biſſici trahendi peritiam commendantur. Citadella, Portus Buffoletus; Motta, &c.

SERAVALLIVM (CHIAE TARVISINAE) ENSI OPP.

SERAVALLI, quam vides, Spectator, iconem, operi huic nostro suis sumptib. inscri curauerat MINVTIVS HIERONYMI MINVTII F. vir nobilis, et amplissimis legationib. celebris. Cum nos Colonia discedentem; vbi ipsum secundo negotia Gregorij XIII. P.M. curantem aspeximus; dum votis comitamur, delatos à nobis honores respuentem, hac saltem memoria, vel inuitum, prosequi voluimus, vt virtutem etiam nossent, qui non viderunt, videbunt autem, et. qui non norunt, si Deus O. M. peregrinantem animam non tam cito ad æternas beator. sedes, reuocet.

LIBERRIMVM MARCHIONATVS IN AGRO FORO IVLI


Templum Augustæ
Templum S. Andreæ
Templum S. Antonij
Templum S. Thomæ Apostoli
Templum S. Mariæ Magdalenæ
Templum S. Catharinæ
Templum S. Mariæ Maioris
Templum S. Mariæ Gratiarum
Templum S. Mariæ Virginis
Templum S. Mariæ Annunciatæ
Templum S. Mariæ Nouæ
Templum S. Mariæ Matris Domini
Templum S. Mariæ Castri Prætorij
Templum S. Mariæ Castri Veteris
Templum S. Mariæ Castri Nouæ
Templum S. Mariæ Castri Maioris
Templum S. Mariæ Castri Minoris
Templum S. Mariæ Castri Superioris
Templum S. Mariæ Castri Inferioris
Templum S. Mariæ Castri Mediocris
Templum S. Mariæ Castri Extremi
Templum S. Mariæ Castri Primi
Templum S. Mariæ Castri Secundi
Templum S. Mariæ Castri Tertij
Templum S. Mariæ Castri Quarti
Templum S. Mariæ Castri Quinti
Templum S. Mariæ Castri Sexti
Templum S. Mariæ Castri Septimi
Templum S. Mariæ Castri Octavi
Templum S. Mariæ Castri Noni
Templum S. Mariæ Castri Decimi
Templum S. Mariæ Castri Undecimi
Templum S. Mariæ Castri Duodecimi
Templum S. Mariæ Castri Tertiidecimi
Templum S. Mariæ Castri Quartidecimi
Templum S. Mariæ Castri Quintidecimi
Templum S. Mariæ Castri Sextidecimi
Templum S. Mariæ Castri Septimidecimi
Templum S. Mariæ Castri Octavidecimi
Templum S. Mariæ Castri Nonidecimi
Templum S. Mariæ Castri Vigesimi
Templum S. Mariæ Castri Vigesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Vigesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Vigesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Vigesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Vigesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Vigesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Vigesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Vigesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Vigesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Tricesimi
Templum S. Mariæ Castri Tricesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Tricesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Tricesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Tricesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Tricesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Tricesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Tricesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Tricesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Tricesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Quadragesimi
Templum S. Mariæ Castri Quadragesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Quadragesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Quadragesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Quadragesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Quadragesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Quadragesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Quadragesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Quadragesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Quadragesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Quinquagesimi
Templum S. Mariæ Castri Quinquagesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Quinquagesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Quinquagesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Quinquagesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Quinquagesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Quinquagesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Quinquagesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Quinquagesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Quinquagesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Sexagesimi
Templum S. Mariæ Castri Sexagesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Sexagesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Sexagesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Sexagesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Sexagesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Sexagesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Sexagesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Sexagesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Sexagesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Septuagesimi
Templum S. Mariæ Castri Septuagesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Septuagesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Septuagesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Septuagesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Septuagesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Septuagesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Septuagesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Septuagesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Septuagesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Octogesimi
Templum S. Mariæ Castri Octogesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Octogesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Octogesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Octogesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Octogesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Octogesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Octogesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Octogesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Octogesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Nonagesimi
Templum S. Mariæ Castri Nonagesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Nonagesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Nonagesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Nonagesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Nonagesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Nonagesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Nonagesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Nonagesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Nonagesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Decimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Undecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Duodecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Tertiidecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Quartidecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Quintidecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Sextidecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Septimidecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Octavidecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Nonidecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Vigesimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Vigesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Vigesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Vigesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Vigesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Vigesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Vigesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Vigesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Vigesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Vigesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Tricesimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Tricesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Tricesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Tricesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Tricesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Tricesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Tricesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Tricesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Tricesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Tricesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Quadragesimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Quadragesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Quadragesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Quadragesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Quadragesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Quadragesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Quadragesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Quadragesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Quadragesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Quadragesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Quinquagesimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Quinquagesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Quinquagesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Quinquagesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Quinquagesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Quinquagesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Quinquagesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Quinquagesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Quinquagesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Quinquagesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Sexagesimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Sexagesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Sexagesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Sexagesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Sexagesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Sexagesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Sexagesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Sexagesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Sexagesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Sexagesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Septuagesimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Septuagesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Septuagesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Septuagesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Septuagesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Septuagesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Septuagesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Septuagesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Septuagesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Septuagesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Octogesimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Octogesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Octogesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Octogesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Octogesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Octogesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Octogesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Octogesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Octogesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Octogesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Nonagesimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Nonagesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Nonagesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Nonagesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Nonagesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Nonagesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Nonagesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Nonagesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Nonagesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Nonagesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Decimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Undecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Duodecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Tertiidecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Quartidecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Quintidecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Sextidecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Septimidecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Octavidecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Nonidecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Vigesimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Vigesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Vigesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Vigesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Vigesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Vigesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Vigesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Vigesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Vigesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Vigesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Tricesimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Tricesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Tricesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Tricesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Tricesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Tricesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Tricesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Tricesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Tricesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Tricesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Quadragesimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Quadragesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Quadragesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Quadragesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Quadragesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Quadragesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Quadragesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Quadragesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Quadragesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Quadragesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Quinquagesimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Quinquagesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Quinquagesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Quinquagesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Quinquagesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Quinquagesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Quinquagesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Quinquagesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Quinquagesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Quinquagesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Sexagesimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Sexagesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Sexagesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Sexagesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Sexagesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Sexagesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Sexagesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Sexagesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Sexagesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Sexagesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Septuagesimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Septuagesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Septuagesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Septuagesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Septuagesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Septuagesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Septuagesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Septuagesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Septuagesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Septuagesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Octogesimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Octogesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Octogesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Octogesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Octogesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Octogesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Octogesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Octogesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Octogesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Octogesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Nonagesimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Nonagesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Nonagesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Nonagesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Nonagesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Nonagesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Nonagesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Nonagesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Nonagesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Nonagesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Decimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Undecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Duodecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Tertiidecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Quartidecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Quintidecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Sextidecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Septimidecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Octavidecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Nonidecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Vigesimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Vigesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Vigesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Vigesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Vigesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Vigesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Vigesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Vigesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Vigesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Vigesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Tricesimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Tricesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Tricesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Tricesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Tricesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Tricesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Tricesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Tricesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Tricesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Tricesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Quadragesimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Quadragesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Quadragesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Quadragesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Quadragesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Quadragesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Quadragesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Quadragesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Quadragesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Quadragesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Quinquagesimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Quinquagesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Quinquagesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Quinquagesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Quinquagesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Quinquagesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Quinquagesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Quinquagesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Quinquagesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Quinquagesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Sexagesimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Sexagesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Sexagesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Sexagesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Sexagesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Sexagesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Sexagesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Sexagesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Sexagesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Sexagesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Septuagesimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Septuagesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Septuagesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Septuagesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Septuagesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Septuagesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Septuagesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Septuagesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Septuagesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Septuagesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Octogesimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Octogesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Octogesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Octogesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Octogesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Octogesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Octogesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Octogesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Octogesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Octogesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Nonagesimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Nonagesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Nonagesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Nonagesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Nonagesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Nonagesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Nonagesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Nonagesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Nonagesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Nonagesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Decimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Undecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Duodecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Tertiidecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Quartidecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Quintidecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Sextidecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Septimidecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Octavidecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Nonidecimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Vigesimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Vigesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Vigesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Vigesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Vigesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Vigesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Vigesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Vigesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Vigesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Vigesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Tricesimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Tricesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Tricesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Tricesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Tricesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Tricesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Tricesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Tricesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Tricesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Tricesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Quadragesimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Quadragesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Quadragesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Quadragesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Quadragesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Quadragesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Quadragesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Quadragesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Quadragesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Quadragesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Quinquagesimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Quinquagesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Quinquagesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Quinquagesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Quinquagesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Quinquagesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Quinquagesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Quinquagesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Quinquagesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Quinquagesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Sexagesimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Sexagesimi Primi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Sexagesimi Secundi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Sexagesimi Tertij
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Sexagesimi Quarti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Sexagesimi Quinti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Sexagesimi Sexti
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Sexagesimi Septimi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Sexagesimi Octavi
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Sexagesimi Noni
Templum S. Mariæ Castri Centesimi Centesimi Centesimi Centesimi Septuagesimi
Templum S. Mariæ Castri

VINCENTIA.

VINCENTIA, ampla & magnifica Marchię Taruiſinę vrbs, ſita iuxta radices collis, duobus amnibus diuiſa, de cuius origine, non multa nec ſingularia hiſtoriarum monumenta perhibent, præter, quàm apud Paliarinum. Qui in Commentariis refert, aliquos tradidiſſe, Vicentiam, hunc locum dictum, ob gentis incolæ victoriam, cæſis hoſtibus; aut, à centum vicis, qui prius hîc extitêre, quorum habitatores vnum in locum collecti, ciuitatem hanc primum effecerint. Ita Paliarinus. At, quia nullum auctorem certum profert, addent his, vel dement fidem, legentes. Vicentiam Tacitus memorat, item, Antoninus in Itinerario, Plinius inſuper & Ptolemæus in Venetia, Trogus, à Gallis conditam ſcripſit, cum Verona, Mediolano, ac aliis vrbibus. Leander autem primos eius auctores Thuſcos exiſtimat, his verò ejectis, à Gallis inſtauratam, vel auctam. Nonnulli, Veicetiam dicendam, contendêre, marmoris cuiuſdam argumento, in quo hæc inſcriptio ſit reperta:

SEX. ATTILIVS M. F. SERANVS PROCONS EX SENATI
CONSVLTO INTER AETESTINOS ET VEICETINOS
FINES TERMINOSQVE STATVI IVSSIT.

Ita Barbarus, in Plinianis caſtigationibus refert, addens, eum ſua memoria lapidem inuentum. Alia tamen hæc res auctoritate non conſtat, neque quiſquam luculentus ſcriptor, Veicetiam, ſed omnes conſtanter, Vicentiam, nec etiam, vti nunc vulgus indoctum, Vincentiam, dixêre. Eſt autem ædificata peroptimè, ac ſplendidis operibus ornata, inter quæ, Prætorium fori magnificentiſſimum, cœnobiumque D. Coronæ ſodalium Prædicatorum, in cuius fano ſacratiſſima ſpina conſeruatur, ex corona Seruatoris Chriſti, quam huc ex Gallia Bartholomæus Vicentius vrbis Epiſcopus, ex ordine Prædicatorum, attulit, cui abs D. Ludouico Francię Rege fuerat donata. Colunt hanc ſpinam Vicentini præcipuè, deferturque quotannis per vrbem, cum maximis honoribus. Cœnobium hoc etiam pernobilem habet bibliothecam. Porro, aquis Vicentia benè inſtructa eſt, duobus enim amnibus nauigabilibus diuiditur, non tamen æqualibus partibus, Bachilione nimirum & Rerone, qui ex vicinis montibus in ipſa vrbe Bachilioni iungitur. Aeliano, Eretenus, in animalium hiſtoria dictus, quem optimas totius Italię anguillas habere, perhibet. Bachilio quoque, Teſſinam amnem excipit, ita Plinio dictum. Abundat vrbs hæc, maxima rerum omnium ad vitam vtilium copia, propter ſummam agri amœniſſimi vbertatem, qui frumenti, vini, cæterarumque frugum maximè fertilis eſt. Tanta cum in ipſa vrbe, tum in agro, mororum arborum, quarum fronde bombyces aluntur, frequentia eſt, vt ſummam habeant admirationem. Roma ferunt alba, quamobrem hoc ſericum non ita eſt robuſtum, ac illud, quod vermes genuêre, foliis earum arborum nutriti, quæ mora nigra producunt. Vberrimum hinc quæſtum Vicentini faciunt. Gens, ingeniis viuidis, fiduciæque magnæ, promptiſſimi ad literas, militiam, mercaturam; lautè admodum viuunt, honeſteque veſtiuntur, ac perpetuo in re facienda deſudant. Ciuitas hæc, ex illis XII. Hetruſcorum cis Appenninum, vna eſt, quam pulſis deinde Thuſcis, Galli habuêre. Gallis, à populo Romano domitis, in eius exin fide, perpetuò ſtetit, vſq; ad Attilę tempora, vaſtatam enim & direptam ab illo, Paulus Diaconus perhibet. Poſt hæc, in Gothorum itemq; Longobardorum poteſtate fuit, vti ex eodem auctore diſcitur. Deuictis autem Longobardis, captoq; illorum Rege Deſiderio, Caroli Magni bello, Vicentia ſub imperij Romani nomine manſit. Regibus parens, quos Carolus Italiæ præficiebat. Hac conditione fuit vſq; ad Berengarios, cæteroſq; tyrannos, qui Italię Regum nomen vſurparunt, iiſq; paruit, donec imperium Romanum vindicauêre Germani. Sub his, cæterarum Italię ciuitatum exemplo, in iure ſuo liberè (Romani ſcilicet imperij nomen præ ſe ferens) agere cœpit, carrotio fabricato, creatiſq; ſibi Antianis & Prætoribus annuis, fœderáq; cum aliis populis, vti ferebant tempora, feriens. Ea Reipub. forma durauit vſq; ad Fredericum II. qui fraude vrbem ingreſſus, anno M. CC. XXXVI. eam direptam, incendio cremauit. Deinde, variam fortunę aleam ſubiit, vſq; ad annum M. D. IX. quo Veneti ea potiti ſunt, cæſis eorum ab Ludouicō XII. Franciæ Rege copiis. Vicentini, quoniam defendendi ſui, contra Veneti nominis hoſtes, nulla ratio ſupererat, Maximiliano Cæſari ſe dedidêre. Maximis autem exin vſque ad M. D. XVI. à C. N. annum, calamitatibus vexati ſunt. Nam, quia non ſatis munita erat vrbs, nunc à Venetis, nunc viciſſim ab Hiſpanis capiebatur, vt modò Venetorum imperium, modò Maximiliani Auguſti, tanquam per ludum, ſumeret, ponerétq;. Quanquam autem interea perſæpè ſummo in diſcrimine eſſet, ne cremaretur deleretúrque funditùs, numinis tamen diuini benignitate ſupremum caſum euaſit. Ad extremum, Verona, Brixiáque Venetis reſtitutæ, ſimul in eorundem ditionem, velut ad iucundam quietem, & ſacram ancoram, ipſa quoq; confugit, móxq; ad ſua reuertentibus colonis, etſi iam tum penè deſerta videbatur, paulatim adeo refecta reſtauratáq; eſt, vt iam detrimenti habuiſſe non videatur quicquam. Nati hic viri illuſtres plurimi, quorum ortu maximè nobilitata vrbs eſt. Fuêre ex his Aulus Cæcina Imperatoris Vitellij Legatus, & Cons. Romanus, vti è Cornelio Tacito diſcimus. Item DD. Fortunatus & Fœlix martyres, qui ſub Imperatore Maximiano floruerunt Aquileiæ: præterea B. Ioannes, eo ordine Prædicatorum, qui concionibus ardentiſſimis plurimos Italię populos in veram ad Chriſtum viam compulit, præcipueq; Veronenſes, vt Taurellus Saraina memorat, itemq; Bononienſes, vti illorum annales perhibent, ac etiam in libris hominum illuſtrium ordinis Prædicatorum legitur, quanquam calumniis Petri Aponini, cuius impium & nefarium inſtitutum viuendi grauiter accuſabat, impetitus fuerit. Horum numero accedunt B. Iſnardus, ex eadem ſodalitate, cuius etiam in libris hominum illuſtrium Dominicani ordinis ſancta vita legitur, & Bartholomæus item monachus prædicator, vrbiſq; ſuę Antiſtes, vir bonus, doctus ac diſertus, cui ſacratiſſima coronę Seruatoris ſpina donata eſt. Tulit inſuper Vicentia Palemonem, hominem doctum, vt Euſebius teſtatur, Antonium Luſcum, oratorem ſummum, elegantemq; poëtam: Matthæum Biſſarium oratoria quoque ac poëtica facultate præditum, Vicentium Colcæum, ex ordine Prædicatorum eximium philoſophum ac theologum, omnibus Italię Gymnaſijs celebrem, qui nuper anno à C. N. M. D. XXXII. Bononię fato conceſſit, vbi diu philoſophicas theologicasque diſciplinas erat profeſſus. Hieronymum Plegafetam, ex eadem familia monachum, oratorem & poetam præcipuum vti ſciptorum monumentis eſt teſtatus: qui M. D. XLIII. poſt C. N. anno Vicentię fato conceſſit, magno ſui, apud poſteros deſiderio relicto. Ioannes Georgius Triſſinus, græcis latinisque literis ornatus, orator facundus & elegans, non ſolum latino, ſed etiam vernaculo carmine poëta, quemadmodum lucubrationes eius docent, vir humanitate ac manſuetudine ſingulari. Multas Vicentia nobiles & antiquas familias habet, vt refert Baptiſta Paliarinus. Scripſit is, ab initio Vicentię patrię vſq; ad ſua tempora, libros ſex. primùm, de origine vrbis & imperio, præterea, de fide ciuium, de amplitudine vrbis, de agri eius fertilitate, de viris illuſtribus, de familiis claris, quę periêre ac nobilitate præſentium, libros ſingulos, quos omnes Arnardus, Vicentinus, patrię ſtudio ac honore ductus, è vernaculis fecit latinos. Multa præterea de hac vrbe ſcribi meritò poſſent, quę nunc ob loci ſpatiique inopiam prætermittuntur.

37

VICENZA

1 Porta de monte
2 Ongi santi
3 S. Catarina
4 S. Tomaso
5 S. Bernardino
6 Strada di monti
7 Scalette della madona di monti
8 Castello
9 Strada della Lupia
10 Strada di S Siluestro
11 Porta della Lupia
12 Porta di mezza
13 Porta da Lupio
14 Ponte fuso
15 Strada di S. Apostolo
16 S. Michele
17 Ponte di S. Michele
18 Ponte delle beuarie
19 Fiume Ierone
20 S. Maria di Serui
21 Piazza delle biade
22 Piazza maggiore
23 Porro. de biade e legni
24 Scola doue si fa mercato
25 Prig on Vacho
26 Mainerion
27 S. Corona
28 S. Maria di Angeli
29 Strada di Angeli
30 Hospital de porro
31 S. Maria de gratia
32 Strada del palmagia
33 Giardin e Monst archi:
34 Pescaria
35 Piazza del Domo
36 Domo
37 S. Antonio
38 Verconado
39 S. Mercello
40 S. Vicenza
41 Hospital di vicenza
42 Porta ala padella
43 S. Piero
44 Strada di S. Piero
45 Stra: della port: de Tabel:
46 Strada di S. Domenco
47 S. Domenco
48 Strada de fontana
49 Strada d'argelo
50 Strada di S. Vicenza
51 Porta di S. Lucia
52 S. Luca
53 Ponti di S. Pie
ro. 54 Monaste
rio. della arcella
55. Chiedare
56. Vicerie assego
57. Vicerie bache
58. Porta Pusterla
59 Strada del
borge de Passerla
60. Porta di S.
Bartolomeo
61. S. Bartolomeo.
62. S Francesco.
63 La misericordia
64 S. Hironimo
65 S. Marco
66 Strada delle conuertite
67 Le Conuertite
68 Torre di S. Ouoco
69 Strada di S Biaro
70 S. Biaro
71 S. Maria di Carmini
72 Strada del Carmino
73 Strada della porta di S. Felice
74 Contarina
75 Strada di S. Rocho
76 Strada di S. Maria nouo
77 S. Maria nouo
78 Strada del Corpo di xpo
79 Corpo di xpo
80 S. Croz
81 S. Rocho
82 Rocheta
83 Giardino del ds
84 Porta de Castel
85 S. Biaue
86 S. Nicolo
87 S. Marsino
88 Strada che va a Verona
89 S. Felice
90 S Lucaro
91 Lazareto
92 Luogo de madona Breza
93 S. Maria del monte

S. Maria del monte
Sasso di doue bor
Campo Marte Doue fa sa la fiera

VICENTIA AMPLISSIMA
MARCHIAE TARVISINAE CIVIT.

ARIMINVM

ARIMINVM, Plinio, Flaminiæ, siue Romandiolæ opp. Rimine, incolis hodie, vt Leander, & alij scribunt. Rumelen, Germanis, vt Simlerus tradit. Cato, à comitibus Herculis conditam, ac etiam ab eo cognominatam ait: ad quem locum Annius, Ar, vel Ari cognomen esse Herculis Aegyptij notat, eiusq; gentis lingua pariter, & Hebræa Aramæaque denotare leonem. Iminim verò, teste Talmudista Samuele, Diuoque Hieronymo in vocabulo Himenus, ipse numerat festinantes, significare. Hinc Ariminum Aramæè esse id, quod latinè Leo, siue Hercules ipse numerans festinantes, nimirum ad expeditionem contra Tyrannos Italię. Sic Annius. Alij, nomen ab Arimino amne, quo alluitur, volunt desumptum. Nonnulli, ab armario populi Romani, quod hic fuisse dicunt, vbi à bello reuersi Duces, Romamque redeuntes, arma deponere solebant. Sed posterius hoc, omnino Leandro non placet. Siquidem, vltra Rubiconem arma relinquebantur. Strabo, Ariminum, vti, & Rauennam, Vmbrorum oppida fuisse quondam, simulque post, iis eiectis Populi Romani Colonias effectas, scribit, quod etiam confirmat Liuius, Ariminum, quo tempore & Beneuentum, coloniam deductam perhibens. Id Ptolemæi Lagi Regis Aegyptij temporibus, Pub. Sempronio, Ap. Claudio Coss. CCLXXXII. ante natum Christum, annis contigisse, auctor est Eusebius. Quidam hanc vrbem, ab Octauio Augusto conditam, insigni errore, prodidêre, satisque declararunt, Liuium se haud vidisse, cùm eo in loco, quem paulo ante retulimus, vbi Coloniam Ariminum deductam scripsit, ducentis amplius annis ante natum Octauium, tum aliis permultis, vbi honorificam vrbis mentionem facit, maximeque Ariminenses inter eas IIXX. referens colonias, quę bello Punico altero suis subsidiis, imperium populi Romani adiuuarunt. Plurimum sanè magnis operibus ab Octauio exornatum Ariminum haud quaquam obscurum est: & præter cætera, pontem hic eximium, qui in hodiernum vsque diem, in amne Arimino, de quo mox dicemus, permanet: Itemque arcum fecit. Vbi ipsa in planitie sita imminentibus à meridie collibus amœnis, & vitium, olearum, ficuum, aliarumque fructiferarum arborum, quibus conuestiti sunt, vbertate fœcundissimis: ab exortu, & occasu, latissimi se campi pandunt admodum frumentarij. Septentrionale latus alluit Adria. Rerum omnium ad vitam vtilium copia mirificè abundat, ædificia complura habet memorabilia, cumprimis, insignem arcum triumphalem ab Octauio August. factum, ad portam quæ orientem, & Pisaurum spectat, his inscriptum literis:

Cos. SEPTIMO Designat, Octauo M. V. celeberrimeis Italiæ vicis consilio
senat. pop.

Ita hæc alij descripta habent, sed incisa sunt hoc modo:

COS SEPTIM. Designat octauom. V. celeberrimeis Italiæ vicis Consilio Senatus,
Pop. Ta. C. S. Vs. Nilcis.

Dein alio loco hæc leguntur:

Imp. Cæsar Diui Iul. Fi. Augustus Pont. Max. Cos. XIII. Trib. Pot. XXVII. P. P.
Murum dedit, Curante L. Turno secundo Aproniani Præf. Vrbis F. Acteio
V. C. Correct. Flam. & Piceni.

Supereſt etiam pars Theatri ex latere cocto, ad mare versus, summæ antiquitatis. Multæ quoque passim vetustæ inscriptiones leguntur, vnde vrbis antiquitas adparet. Palatia insuper quædam sumptuosa sunt, maiori ex parte à nobili Malatestarum gente condita. Fonsque splendidissimus in foro, dulces ac nitidas proiiciens aquas. Ariminum in ditione Romanorum fuisse, quamdiu illorũ stetit imperium, & Exarchis etiam paruisse, dein iis sublatis, in potestatem Longobardorum redactum, illisque item debellatis, ad Italiæ Reges, deniq;, ad Imperatores Germanos, & Malatestas, vti Cæsarum Vicarios deuenisse, ex historiis colligitur. Ariminũ ortu ingenia illustrauêre plurima, nominatim Gregorius ex fratribus Eremitanis, item Petrus & Iacob⁹ fratres Petroleonij, cum græcis, tum latinis literis eruditissimi. Sed & præterea, qui Ariminenses fuêre Viri illustres longum herclè foret recensere. Recentioribus temporibus inter doctos huius antiquæ vrbis famam ac auctoritatem egregie tuentes, est Petrus Meltius, vir eruditus, & curiosus. Iacent hic sacrata D. Gaudentij quondam Vrbis Episcopi ossa, itemq; D. Victoris martyris. D. Innocentiæ Virginis, D. Theodori martyris, D. que Martinæ eius filiæ, item D. Arduini, confessoris in Abbatia Gaudentiana. Deinceps extra Ariminum ad occidentem, pons apparet sumptuosus in Arimino amne, ab Octauio Aug. factus. Flaminiam viam Aemiliæ, simulq; suburbia, ciuitati iungens. Vnus hic ex quatuor pontibus ab Augusto, sumptu, artificioq; præcipuo iuxta reliquos innumerabiles, factis in Flaminia, quæ maiori ex parte silice strata, bitumineq; munita, vti etiamnũ multis in locis apparet, vsq; ad vrbem Romam ferebat. Constat hic pons marmore quadrato totus, arcubus quinis, suptraque spondis vtrinque perpulchris, in latum ped. XV. in longum CC. continet spondarum vna, inscriptionem hanc habet:

Imp. Cæsar. Diui F. Augustus. Pontifex Max. Cos XIII. Imp. XX.
Trib. Potest. XXXVII. P. P.

Aliaque pars hæc habet.

Tib. Cæsar. Diui Augusti F. Diui Iuli N. August. Pont. Cos. IIII.
Imp. VIII. Trib. Potest. XVII. dedêre.

Statim à ponte ipsa suburbia sunt, vnaque via Aemilia incipit.

RIMINI.

ARIMINVM VA-
LIDVM ET MVNI-
TVM ROMANDI
OLAE OPP.

BONONIA.

BONONIA, ampla, perantiqua, & honestissima Romanula, seu Romandiolæ, vt vulgus nuncupat, vrbs, Felsina quondam, à quodam Gentis Duce Felsino, Catone, Sempronioq; testibus denominata. Quam quidem adpellationem, vniuersò etiam tractui, vt Cato tradit, inter Rauennã & Ariminum, vt Sempronius, vsq; ad Rubiconem, quod verisimilius videtur, gens ipsa dedit. Apposita est radicibus Appennini, Aemilia in via, vtà meridie Appenninus immineat, ab exortu, amnis Sapina sit, à Septentrione, fertilis & amœna planities; ab occasu, flumen Rhenus, torrente Aposa, per mediam vrbem labente. Primùm, ambitu exiguo fuit, nimirum, vt prisca ferebant secula; qua de re scripsit Dionysius Halicarnasseus; etenim, duabus omninò portis, exitum, ingressumq; præbebat, vna, ad orientem & Rauennam conuersa, quę Rauennalis; altera, versus occidentem, ad Mutinam, quę Stiera dicebatur. Et, quoniam ad huius ætatis rationem, arcta erat Vrbs, in portis tantum duabus opportunitatis quantum erat satis, habebat. Deinde, sub Gratiano Imperat. totidem quot prius erant, adiectę sunt. Vna nimirum, vbi hoc tempore Crux stracastilionis, altera, vbi Crux sanctorum est. At, post Theodosianam calamitatem, cum à D. Petronio instauraretur, portæ nouem factæ, vel, vt alij dixére, XII. vbi etiamnum turres quædam humiles cernuntur, vulgus Tarrisottos nuncupat. Ad extremùm, in hanc formam, qua nunc est ampliorem redacta ciuitas, portas accepit XII. auctaq; adeo est, vt annis superioribus cum metiretur: ambitu mœniorum interno pass. millia V. in longum bina millia, dempto quadrante, in latum amplius mille pass. nempe Diui Mamoli inter, & Galerianam colligere apparuerit. Speciem habet oneratę nauis, in longum, quàm ex transuerso, patentior. vno capite proram, altero, puppim referens, medium turre Asinellorum celsissima, mali instar, & turre Garisenda inflexa, scalę modo obtinente. cum multis præterea turribus, funes tanquam exprimentibus. Aedificiis magnificis atque sumptuosis, cùm diuinę rei, tum ciuium vtilitati deseruientibus nitet. quorum & multitudo & splendor tantus, vt mehercle paucas Europę totius vrbes, huic comparari posse, censeam. Compertum id nuper, cum hic Carolo V. Imper. augustalis dabatur corona: Siquidem, hospitium abundè commodum tot principibus, familiæq; item Pontificali Clementis VII. cum summa omnium admiratione præbitum. Inter præcipua fana primum D. Petri est. Episcopi sedes, in quo Cardinales antistites q; ac eruditi viri, quamplurimi iacent, nominatim Bassianus Archidiaconus. In foro dein amplissima D. Petronij vrbis patroni ædes, cuius ædificationi finem eundem fore, qui & mundi erit, ego censeo. Templum hinc est D. Dominici, in quo ipsius Diui ossa, candidi marmoris tymbo, excellenti opere perfecto, iacent. caput verò sacrum, in tholo quodam ditissimo monstratur, prætereaq; vna ex preciosissimis spinis de aculeata Seruatoris Christi corona, cum Bibliis ab Esdra propheta in album corium descriptis. Hoc quoque templo siti sunt celeberrimi Iureconsulti; item Oratores præstantissimi, græcisque iuxta, ac latinis literis pereruditi, aliique plurimi excellentes viri, quos omnes referre, nimis longum foret. Ipso in Cœnobio ampliss imo, quo fere CXX. sacris deuoti habitant monachi, præter alia, nec ignobilia opera, celebris bibliotheca est, cui nullam vsque aliam præferri, aut etiam comparari posse, reor. Postea D. Francisci ædes est nobilis, mirabili artificio constructa, vbi permulti quoque docti homines sepulti sunt. Cœnobium amplius centem monachi tenent. In pulchra Eremitarum æde, Sacellum est splendidissimum à Ioanne Secundo Bentiuolo ædificatum, opus me hercle, regium. Denique, magnificum est cœnobium D. Saluatoris, inter Italię totius egregia opera numerandum. Alia præter hæc templa, monasteriaque sunt multa, vtpote D. Stephani, vbi tot sacratę reliquię monstrantur a D. Petronio huc delatæ, vt res admirationis plena sit, quæ gratia breuitatis, vnà cum eleganti fano D. Ioannis Montani, in quo Canonici regulares sacris operantur, & Carolus Ruinus celeberrimus Iureconsultus est situs, prætermitto. Quod si quis, ampliorem Sacrarum domuum huius vrbis commemorationem requirat, abunde illi primis historiæ Bononiensis liber Leandri satisfaciet. Ex aliis nobilibus operibus, quin Curia Senatus, inter præcipua totius Europæ ædificia poni merito possit, haud dubitatur, si modò elegantiam, & amplitudinem spectemus, non pretium, quoniam ex cocto latere tota constat. Priuatæ item domus ornatissimæ, sumptuosissimæque permultæ sunt, quas in historia Bononiensi Leander describit, neq; paucis omnino hic possemus referre. Turres vrbs plurimas habet, inter cæteras illam cum Europæ totius altissimis commemorandã Asinellorum. Adiacet vrbs Appenini pedi, montibus nimirum ab austro imminentibus, quam partem olęæ, vites, ficus, pomi, pyri, aliæq; fructiferæ arbores vndiq; conuestiunt. Reliquis lateribus amœni campi longe, lateq; sternuntur, tritici, hordei, fabæ, cæteraru mq; frugum fertiles. Sed & linum, & canabem & isatis vtrunq; genus, & scordium, aliaq; ad humanę vitę necessitatem opportuna, ferunt, ac præterea perbellos arborum ordines cum vitib⁹ habent, vt cum ex campestribus, tum è collinis fundis omnia vini genera legantur, videlicet, apianum, trebianum, dulce, austerũ, vehemens, medium, acutum, album, heluolumq;. Abundant etiam moris arboribus, quarum fronde, vermiculi sericum generates, enutriuntur. Nec desunt herbida prata hoc agro, deniæq; syluæ, cum lignatione, tum venatu oppotunæ, præterea, nec fontes calidarum ac frigidarum aquarum medicati, aliaq; similia Bononiensis habet ager, vnde non difficulter vrbis abundantiam opulentiamq; colligere est, ob quam meritò Bononia cralla, vulgò, nuncupatur. Magnitudo autem vrbis, & ædium splendor, hinc æstimari potest. Anno quippe M. D. XXIX. Clemens Pontifex cum XV. Cardinalibus eò venit, pauloq; post etiam Carolus V. Imp. maximo regulorum cœtu comitatus, maximisq; copiis, coronæ augustalis accipiendę gratia, quo tempore principes, & Rerumpub. totius feię Christiani orbis legati huc confluxêre. Pontifici vnà cum Augusto in curia Senatus, hospitium præbitum: compertaq; tum vrbis amplitudo, tot Cardinalibus, Principibus, regulis, militibus, aliisq; mortalibus commodè exceptis, quot mehercle paucæ, vel fortassis nullæ, totius Europæ hospitandis, tam opportunæ queant inueniri: pariterq;, qua est omnium rerum ad vitam vtilium abundantia copiaq; intellecta, Triumphus tum Bononię habitus, quo splendidiorem ac magnificentiorę instituí haud posse, crediderim, qui eruditorum historiã, ac versibus pictorum item tabulis & ectypis celebratus est. Ac præsertim graphica Ioannis Hogenbergij manu, rigido mansura metallo, exaratus, extat. Ornamento verò peculiari à Theodosio iuniore Bononia decorata. Is, Anno à C. N. CCCC. XXXIII. à patre subuersam restaurauit, additis generalis Academiæ disciplinarum omnium amplissimis priuilegiis, prout ex eleganti Rescripto, intelligi potest.

Ne bonæ artes, cunctarumq; disciplinarum dogmata depereant, cum mores, sanitas, militia, cæteraque id genus, optimis doctrinis gubernentur. Nos Theodosius, Dei gratia, Romanorum Imp, Augustus, commoditate ac fertilitate loci capti, quinq; ac viginti mensium pensato consilio, in dignitatis nostre solio sedeates, generali Christianorum conuocato concilio, summo Pontifice Cælestino, Cardinalibus XII. Archiepiscopis, Episcopisq; innumeris, aliisq; in variis dignitatibus constitutis Principib. ac Ducibus Christianis. Balduino quoq; Flandrensi, & Gualtero Pictauensi comitibus legatis, quorum alter Ludouici Franciæ, alter, Philippi Angliæ Regum, illis arduis negotiis addictis, vices gesserę, sedente etiam centum Senatorum collegio: Bononiam, omnium scientiarum fontem, arcanorum nostrorum apiarium, perennem studij sedem fore, hac inuiolabili indulgentia decernimus. Volentes insuper, vt omnes sententiæ à Iudicibus, qui in alma hac ciuitate, per quinquennium saltem non studuerint, latæ, nullæ penitus existant. Et, si quis ad magistratus promotus dignitatem, ab alio, quàm ab Archidiacono Bononiensi librum magistralem susceperit (quanquam id quarumlibet facultatum periti) præstiterint, approbauerintq;, cum, auctoritate nostra, omni dignitate priuamus. Si quis verò scholasticos ad studium hoc euntes, abeuntesq;, ausu temerario offenderit, capite puniatur. Hoc in præses exequatur, eadem illum pœna afficiu bemus. Huius autem sacræ constitutionis exemplar, Bulla aurea maiestatis nostræ, munitũ, manuq; Ciceronis curiæ nostræ Notarij scriptum ad perpetuam rei memoriam, Petronio Episcopo Bononiensi, ex Cæsarũ Constantinopolitanorum sanguine orto. idem summis precibus efflagitanti, ac procuranti, gubernandum, custodiendum, omnibus viribus exequendum tradimus ac concedimus. Romæ in Capitolio. Anno dominicæ natiuitatis CCCC. XXIII. die IX. Maij.

Atq; hinc quidem maiestas & magnificentia Bononiensis Vniuersitatis euidenter constat. De qua etiam breuitatis causa, iam non commemoro, quid Bartholus, Baldus, Azo, Glossa, aliiq; celebertimi viri, scriptis mandarint, quæ in Indice paucis delibantur. Si quis autẽ variam Bononiensis Reipub. formã, & terribiles eius casus mutationesq;, &, quæ de Vrbis ornatu, ac opulentia recenseri possent explicare vellet; nec non, de ingeniis alumnorum eius, cum ad disciplinas humanitatis paucis temporib⁹ peridoneis, tum etiam ad arma, cum bellum incidit, qui item celebres viri inde orti, quorum alij sanctorũ ordini adscripti, alij Pontifices, Archiepiscopi, Cardinales, Episcopi, summarum facultatum Doctores, Historici, Antiquarij, Sculptores, Pictores, Militum Duces; horum inquam, commemoratio tam prolixa foret, vt, nauseæ tædio lectorem adficeret. Eos itaq;, & alia Bononię memorabilia plurima, qui cognoscere volet: is Leandri Italiam, potissimum verò, quos peculiares, de patria sua Bononiensi libros septuaginta quatuor is idem conscripsit; quorum plerique eyis commissi sunt, legat. Item Benedicti Morandi historiam, quam de origine Bononiæ, eleganter scripsit. Similiter Hieronymi Albertutij Borselij Vrbis Bononiensis annales, quos vsque ad annum Christi M. CCCC. XCVII. deduxit.

BO NONIA

BONONIA ALMA
STVDIOR. MATER

LVCA.

TVscia, nobilissima Italiæ Regio, trans Ausurem, Lvcam vrbem in mediterraneis ostentat, Romanorum quondam Coloniam, Lucam Plinius, Antoninus, Ptolemæus, cæteraq; veterum scriptorum cohors appellat. Causam nominis in diuersum auctores trahunt: aliqui id acceptum ab scutis inauratis, qui summis imposita vrbis turribus, splendore Solis illustrata valde lucebant, nonnulli, cum prius Aringa diceretur, postea Lucam à duce quodam insigni denominatam, aiunt. Cato auctor est, à Lukio Lucumom prius Lucumodiam, dein, euphonię gratia, Lucam vocatam: vnde adhuc locus est, iuxtà, conditoris ipsum nomen retinens: Alij, Lucum oppidum in ora fuisse olim ferunt, eiusq́ue colonos Lucenses huc profectos, vrbem, quam condiderant, à se Lucam dixisse. Præterea verò, & de nominis origine, & de vrbis primordio, varia narrantur, quę, vti propinqua fabulis, aut exigui omnino momenti, referre non putauimus operæpretium: vnamq; Catonis sententiam, præcæteris probamus, nimirum, auctorem Lucæ, tam nominis, quàm vrbis, Lukium Lucumonem fuisse. Colonia deinde Romanorum deducta, post etiam à Desiderio Longobardorum rege, aucta, murisque ex lapide quadrato cincta est. Iacet in planitie, non procul à collibus, ædificiis perhonesta: gens lauta, prudens, ingeniosa, vt, qui libertatem sibi diu sapientissimè cõseruauit integram, etsi finitimorum bellis haud rarò fuerit petita. Lucam Strabo memorat, hac sententia. Vrbs est ad montes Lunę incumbentes, vbi plerumque vicatim habitant: regio virorum probitate floret, magnumq́ue robur militare, magnam equitum multitudinem suppeditat, vnde Romani, bellicas manus accipere solebant. Liuius etiam eius memoriam vsurpat sæpè, nominatim verò cum Annibalem in Ligures, Sempronium eodem tempore Lucam concessisse dicit. Frontinus T. Domitium Caluinum Lucam in Liguribus obsedisse scribit: non solum natura loci ac operibus, sed etiam valido militum præsidio munitam. Mentionem Lucæ & Agathius fecit. Blondus in historiis tradit à Gothis possessam, mensibus senis oppugnasse Narsetem Eunuchum priusquam capere posset. A Facio Vberto in hanc sententiam describitur.

Incedentes vidimus orbe in modico
Turribus frequentem Lucam, instar nemoris
Et Prato Sercioq́; allui
Lauta est tota, speciesq́; iucunda
Magiq́; foret, ni turparetur plancti
Qui annis iam amplius quadraginta pectus illi contraxit.
Vidi sanctam ciuitatem, & vultum sanctum
Auduiq́; vt ad preces Fidriani
Sertius in latus se conuerterat.
Fui ad Glaream, vbi Pisanus
Florentinum deuicit, quum oppressus est
Ioannes Vicecomes belli præfectus.
Vrbs hæc, qua de tibi loquor,
Aringa seu Fredia dicta creditur
Illo tempore quod antiquum æstimatur.
Sed quoniam illuminata fide
Prius fuit, quàm alia Tuscorum vlla,
Nomen immutatum, & Luca vocata.

Sic Facius, satis indicans postremis versibus, cum Lucam ait dictam, quòd prima ciuitatum Tusciæ, fidei Christianę lumen acceperit, Strabonem, Catonem, Liuium, Frontinum, alioscúe veteres scriptores, qui Lucam sæpissimè nominarunt ante Christum Seruatorem natum, se non vidisse. Luca quoque vocatur in mediterraneis à Ptolemæo. Postquam à Narsete, vt diximus, capta fuit, exin Imperatorum Constantinopolis opibus collapsis, principatum eius Bonifacius occupauit, qui Beatricem Henrici Imperat. filiam habuit vxorem, & ex ea Mathildem filiam suscepit. Ea Godifredo marito superstes hæresque in amplissimum imperium, & nominatim huius vrbis, successit, vti alibi erit dicendi locus. Deinde temporibus Honorij IIII. Pontificis Rom. suum ius & potestatem ab Imperatore Cæsare Rodulpho, XII. millibus aureorum nummùm Lucenses redemisse, Platina in vita Honorij quarti tradit. Postea tyrannidem nactus est Vgutio Phaseolus; quo, per seditionem popularium cum Nerone filio exacto, principatum mox adeptus est Castrucius Castracanus ab Vgutione carceri inclusus: vt ita vno momento simul ille pelleretur, simul hic vinculis solutus ex carcere ad principatum eueheretur. Castrucium Galeatius Vicecomes, Azoq́; eius filius Mediolani reguli, propter summam viri virtutem mirificè dilexerunt. Florentinis tota vita perquam infestus fuit, quorum copijs cæsis, ipsam quoq; Florentiam obsidio sic affecerat, vt expugnaturum omnino crederent multi, ni morbus, ex quo decessit, impedimentum iniecisset. Pisam & Pistorium ditionis suę fecerat. Filios reliquit duos, qui ab Ludouico Bauaro Luca pulsi. Multa de Castrucio Blondus, D. Antoninus, Sabellicus, & Nicolaus Machiauellus Florętinus, in eius vita vernaculo sermone scripta, prodidit. Ejectis Castrucij filiis, Germanica præsidia, quę Bauarus vrbi imposuerat, Lucam Gerhardo Spinolæ Genuensi vendiderunt: eademq́; deinde Ioannes Boihemiæ rex, Petro Rubrio commisit, Rubrius Mastino Scaligero Veronæ regulo cessit, iş vendidit Florentinis. qui tum mensibus nouem ea poti. Hoc tempore quoniam Pisani plus sibi iuris ad imperium eius esse, ex Henrici Imper. concessione putabant, vrbem obsidere, donec tandem est transactum. Postea cum Imperator Carolus IIII. in Italiam profectus, legatum Lucensibus præfecisset Cardinalem quendam Gallum, is Imperatore digresso, ciuitatem iuri ac potestati suę restituit, accepto precio XXV. milliûm aureorum nummûm. Ita cum extemplò deiectum Castellum, quod Castrucius ædificauerat, conseruataq́; libertas vsq; ad M. CCCC. à C. N. annum, quo tyrannidem occupauit Paulus Guinisius Lucensis. Hic dominatu annis 30. felicissimè potitus, ingenti opum vi accumulata, auro, argento, gemmis, pecunia multa locuples, & numerosa prole felix, gloria fortunaq́; & existimatione apud Italiæ proceres amplissimus, vt adeò non sibi solum ipsi, verumetiam aliis beatus, stabileque ac firmum fundatúmque imperium habere videretur, mutata subitò, vagæ volubilisq́; fortunæ aura, spectaculum miserabile & exemplum mortalibus insigne factus est, quo euidenter apparuit, in humanis rebus perpetui omnino esse nihil, oporteréq; reuerenter, & cum timore casus, fortunam benignam gerere. Tam igitur excelso in gradu felicitatis constitutus, quia Florentinis hostibus fauebat, cum quinque filiis impetu popularium vinctus, & Mediolanum ad Philippum vicecomitem Ducem ablegatus, tandem in obscuro squalidoque carcere cum liberis diem supremum expleuit, anno post C. N. M. CCCC. XXX. ac ita dignitatem, opes, imperium, gloriam, liberos, tot annis parta paratáq́; simul cum anima perdidit. Prostigatis Guinisiis, vrbs variis agitata motibus, tandem verò in libertate constitit, qua nunc tranquillè potitur. Multos genuit illustres & præclaros homines, nominatim Lucium III. Pontif. Rom. Blondus etiam Alexandrum II. Volaterranus III. dixit: at vtrumq; falso: nam iidem auctores alibi cum reliqua scriptorum cohorte, primum ex iis Mediolanensem, alterum Senensem perhibent. Erroris occasionem Blondo præbuisse, quod Alexander II. Lucensium Episcopus fuit, ideoq́; Lucensis à quibusdam dictus est, non ob originem, sed præsulatum. Volaterrano autem vitium intulisse librarium arbitror, tertio I. numerali littera, non rectè addita. Lucensis Episcopus D. Fidrianus, quem D. Gregorius Pontif. in Dialogis, Sercium cohibuisse Lucensem agrum infestantem, prodit: cuius rei adhuc supersunt vestigia, & Facius Vbertus etiam mentionem facit. Episcopum quoque Lucæ B. Anselmũ habuit, qui Comiti Mathildi à confessionibus fuit, & cuius in D. Benedicti Podaliconis, agri Mantuani cœnobio diem functi, sancta ossa deinde Mantuam, in ædem maiorem delata sunt. Nostra memoria Lucam ortu nobilitauit Sanctes Pagninus, ex ordine Prædicatorum summus Theologus, & latinè, græcè, hebraicè, Caldaicè, Arabicéq; doctissimus, vt instrumenti vtriusq; versio, ex Hebræo, græcoq́; in Latinum, item Isagoge ad mysticos scripturæ sensus, Grammatica Hebraica, græcaq́;, ac alia multa litterarum monumenta, quæ reliquit, abundè testantur.

50

LVCA

Tuscia nobiliſs. Italiae
Regio LVCAM
urbem in mediterraneis
os tentat. Romanor
quondam Coloniam.

PERVSIA.

PERVSIA, primaria & mediterranea Etruſcorum vrbs, Ptolemæo, Straboni, Plinio, Liuio, Tacito, Appiano Alexandrino, Procopio celebrata: quam Stephanus, vnam ex duodecim Tuſciæ principibus vrbibus nuncupat, vulgò Perugia. Primordium eius, in diuerſum auctores trahunt: Quidam, à Perſio Troiano, conditam, aiunt: Alij, à Perſeo, quę Facij Vberti videtur eſſe ſententia. Sed, Leander, diligentiſſimus rerum Italicarum perſcrutator: Ego, hercle, non video, prorſus, inquit, vbi legerint iſti, Perusiam, à Perusio Troiano, vel Perſeo denominatam, quamobrem, niſi auctores alios proferant, fide apud me carebunt. Nonnulli, vt Trogus, ab Acheis, duce Vibio, conditam, dixere, quod etiam inſcriptio marmoris adhuc apud portam Martiam extans, probat huiuſmodi. Vibia Colonia. Diuersè alij, Tirrhenos eius auctores memorant, vt Appianus Alexandrinus. Sed Marius Podianus, in oratione, quam coram Paulo III. Pont. Max. cum Perusiam acceſſiſſet, Anno à C. N. M. D. XXXV. habuit, aliter ex Catone, Beroſo Caldæo, Myrſilioque Lesbio, ac aliis auctoribus vrbis initia commemorat, cuius ſententiam & verba, recenſemus in Indice. Sed nunc Perusinę vrbis ſitum examinemus, qui huiuſmodi eſt. Colli inſidet Appennini, forma ſtellari, maiore parte agri fructiferis, & amœnis ſurgente collibus, vini nobilis, olei, ficuum, pomorũ, aliorumq; optimorum fructuum, fertilibus, ſubter vrbem, ad Aſſiſiam, item, ad Tuder verſus, iuxta Tiberim, campi ſternuntur iucundi, tritico, cæteróq; frumento copioſi. Natura loci vrbs munita eſt, nobilibus ædificiis, cùm priuatis ciuium, tum cultui diuino dicatis, nitens, itemque nobili, ac largo fonte, qui medium vrbis habet. Populus frequens, ac animis, ingeniisque ſummis, nec minus ad literas, quàm arma promptus, vnde vſitatum Italis prouerbium, Perusini ſuperbi, & bon ſoldati, & la melior ſpada del papa. Hinc, ob innatam Perusinis magnificentiam, Bartolus, in L. vt vim, ff. de iuſtitia & iure, num. 10. hunc in modum ſcribit. Item nota, quod ſi poteras fugere, & non fugis, dico, Quod ſi tu es Perusinus, qui times verecundiam, Dico, quod optimè potes vſq; ad actũ occiſionis perſiſtere, quia eſt magna offenſa, & eſt verecundia. Sed, in illo, qui non timet verecundiam, vt eſt Florentinus, in quo non eſt verecundia, Dico, quod ſi non fugit, (quod tardè euenit) punitur. Quia verò, ob ſingularem aeris ſubtilitatem, ingenia, non Mineruæ tantum, ſed & Martiperidonea hæc cuitas profert. Hinc, varias, temporum ſucceſſu, agitationes vrbs Perusina perpeſſa fuit. Eius initia, ducenteſimo & ſexageſimo, poſt vniuerſale diluuium anno, grauiſſimi auctores attribuunt. Aliquot deinde annis, Mons Solis ab Armenis lanigenis, Gryphoniis, nouis eſt ædificiis auctus, Exin, creſcentibus indies ædificiis, poſt Gryphoniorum aduentum, Pelaſgi, aliæq; græcanici nominis, gentes, in Italiam traductæ, auxerunt Perusiam, eamq; inter prima Hetrurię capita XII. conſtituerunt. Liuius Perusiam ſæpiſſimè memorat, nominatim, vbi Cæſarem ſcribit, cum eſſet annorum XXIIII. obſeſſum in oppido Perusia L. Antonium, conatumq; aliquoties eruptiones, & repulſum, fame ad deditionem compuliſſe, ipſiq;, & omnibus ſuis militibus ignouiſſe, ſed Perusiam dirutam. Scribit hoc quoq; Florus in Perusino bello: Item Appianus Alexandrinus lib. 5. Qui addit, cum diripere vrbem Cæſari in animo eſſet, tamen victum Perusinorũ precibus ignouiſſe; Ceſtium verò quendam cognomine Macedonicum, cæteris inſolentiorem, ædes ſuas, iniecto igne, cremauiſſe, tum, ventorum ſubita exorta vi, flammis euagantibus, vrbem deflagraſſe totam, præter Vulcani templum. Poſt hanc verò cladem, breui vrbem mœnibus ac portis, quę nunc extant, Cæſar inſtaurauit, communiuitq;, ac Perusiam, Auguſtam adpellari voluit, vt literę cubitales inciſæ portis oſtendunt. Poſterioribus ſæculis, in fide Cæſarum conſtanter hæſit, vſque ad Totilam Gothorum Regem, qui annis ſeptem obſeſſam, inopia rerum omnium conflictatam, tandem cepit, diripuit, incendit, vaſtauitque, magna oppidagem, qui annis ſeptem obſeſſam, inopia rerum omnium conflictatam, tandem cepit, diripuit, incendit, vaſtauitque, magna oppidanorum cæde, crudeliter etiam necato Herculano, vrbis Epiſcopo, qui Germanus erat, cuius martyriũ D. Gregorius in dialogis lib. 3. cap. 13. deſcribit. Ita tum in poteſtate Gothorum manſit, vſq; dum à Narſete, Imperatoris Iuſtiniani Duce, ſtrenuo viro, ad Calium Totila victo, Perusia recuperata eſt. Poſt Narſetis obitum, Longobardi in Italiam profecti, eam occupauére, manſitq; deinde ſub imperio Longobardorum, vſque ad Deſiderium, Regem vltimum, quem Carolus Magnus deuicit, quo tempore, Perusini imperio Romano reſtituti. Deinde, cum Ludouicus Pius, Caroli filius Hetruriam diuiſit, Pontifici Romano Perusia, cum aliis aliquot Tuſciæ oppidis, ceſſit, cuius in ditione ad hunc vſq; diem feliciter manet. Quanquam aliquando, externa vi diſtracta, & ciuium inter ſe variis factionibus ſæpè conturbata fuerit, ad Pontificis tamen ditionem ſemper rediit. Ac poſtremo quidem, poſt ſæuiſſimas ſeditiones domeſticas, ſub Paulo, eius nominis Pontifice III. qui Perusiam venit, & magnis honoribus, pompaque exceptus eſt; vti Marius Podianus, opuſculo hac de re edito, perelegánter exponit. Exin vrbs, in poteſtate Pontificis tranquillè fuit, vſq; ad M. D. XXXIX. poſt C. N. annum, quo, ob impoſitum vectigal ſalarium, à Pontificis auctoritate deſciuit. Hinc vtrinque, magnis belli motibus excitatis, externa planè auxilia deſperans, ingenti cum damno, in poteſtatem Pontificis rediit. Ab eo tum datus præfectus eſt, Bernardinus Caſalenſis, Caſalenſium Epiſcopus, qui arcis initia poſuit, cuius præſidio, ciuitas in officio, fidéque, de cætero contineri poſſet. Ea arx, nunc perfecta, propugnaculis, muris, aggeribus & machinis æreis valdè munita, præſidióq; firma, obedientiæ, vnitatis, pacisque conſeruatrix exiſtit. Porro, non tam larga Liberi Cereríſq; dona, non tam præclara ædificia, non tam fons ille limpidus atq; perennis, quàm vniuerſale Gymnaſium, incredibili eruditiſſimorum virorum turba, illuſtre, Perusinã hanc patriam exornat. Quod anno poſt C. N. M. CC. XC. florere cepit, iiſdem priuilegiis ornatum, quę in l. vnica. C. de Profeſſoribus, qui in vrbe Conſtant. docent, meruer. comit. Conſtantinopolitanæ Academiæ tribuuntur, vt ad eam legem Bartholus probat, vbi & alia celeberrimi iſtius Gymnaſii priuilegia recenſet. Hic Baldus ſus Ciuile profeſſus eſt, tanta magnificentia, ac gloria, vt ſummus Iuris Commentator, & terreſtre quoddam numen, vocaretur. Ac vt id Gymnaſium, non docendo tantum, ſed & ſcribendo, quàm celeberrimum redderet, eius deniq; nomen ad exteras quoq; nationes trãſmitteret, librum de Repreſſaliis ibidem conſcripſit. Poſtremò, legatione pro ea functus ad Carolum Imperatorem, prima priuilegia impetrauit, vt fatetur ad conſtitutionem ad Reprimendum. Iuris ſtudia, in hoc Gymnaſio, præ cæteris facultatibus, præcipuè florent. Videre quippe eſt ibi, vno eodemque tempore, ſeptuaginta Iuris Doctores, quorum quinq; & viginti, ius continuò docent. Et fit, vt eadem hora, quatuor diuerſi Ordinarij, vt vocant, tam mattino, q; pomeridiano tempore, vnam eandemq; Iuris materiam, in concurſu profiteantur, & lectionibus finitis, de ſummis apicibus iuris, inter ſe digladientur ac diſputent, & omnia, quæ incidere poſſent dubia, ad amuſſim examinent, cum maximo ſtudioſorum affluentium fructu. Ad hæc autem fouenda, & conſeruanda exercitia, magnis impenſarum ſumptibus, elegantiſſima ſunt fundata Collegia, in quibus annuo cenſu, vitæ ſubſidia ſtudioſis ſuppeditantur. Eſt collegium Vetus, & Nouum, vulgo, Sapientia vetus, Sapientia noua. Quarum illa, D. Gregorio Sacra, Epiſcopo loci, vt Prouiſori. Hæc, Priori Canonico Cathedralis Perusinæ, & Conſulibus, Mercantiæ vulgariter, paret. Noua, D. Hieronymo ſacra, ædificata abs Epiſcopo Guidalotto, in qua fundatione perpetua, quatuor ſunt ſtudioſi Germani, quatuor Hiſpani, totidem Galli, & Vltramarini. Reliqui omnes admittuntur Itali. Eius fundator fuit Petrus Capocius S. R. Eccleſiæ Cardinalis, qui Fridericum Imperatorem ſchiſmaticum perſequutus eſt, vt Platina in vita Gregorij noni perhibet. Sapientiæ Nouæ, meminit Aeneas de Falco, eamque ampliſſimum Collegium nuncupat: In additionibus ad Abbatem Panormitanum in C. Eccleſia veſtra. 11. ſecundo. in verbo Senior. Vbi fatetur, eiuſdem Sapientiæ ſe fuiſſe aiumnum. Eſt & aliud Bartholinum Collegium, recenti fundatione, ab eius adpellationis Doctore aliquot ſtudioſorum commoditati inſtitutum. Sed iſtius Gymnaſij magnificentia, paucis explicari non poteſt. Quemadmodum nec breui narratione. Perusina ingenia, quæ non modò patriam, ſed Italiam omnem illuſtrarunt. Prælectionibus modo, & frequentiſſimo auditorio inclareſcit Ioannes Paulus Lancellottus, auctor Inſtitutionum Iuris Canonici: item Ranaldus Rodolphi: M. Antonius Eugenius, qui vltra XXXIV. annos Ius Canonicum atque Ciuile profeſſi ſunt. Peculiare de hac vrbe præter Leandri in ſua Italica Topographia, edidit opuſculum Marius Podianus orator inſignis, quo ſingulare ingenij, eruditionisq; ornamentum, poſteritati exhibuit.

PERVSIA GRATV MVSIS IN TVSCIA DOMICILIVM.

A Fontana di marmo bellis.
B Domo S. Lorento
C Palazzo de Signori
D Gimnasium
E Piazza oue si vendono herbe
F Piazza grande, mercanti
G. Spedale principalissimo
H. Fortezza oue sono i Pallazzi de sig.ri Baglioni famiglia principalis.a di perugia
K. Collegio vechio oue sono 45 studenti
I Collegio nouo oue stanno 42. scolari
L Collegio Bartolino oue stanno 30 scolari
M. S.M.a de servi
N S. Erculano vescouo della citta et martire del quale parla S Gregorio
O Girolamo di Zoccolanti
P. Le due porte
Gira il circuito delle mura di questa citta miglia 6 et due terzi
Ha attorno quaranta mila anime il suo contado gira miglia 138.
Ha castella murate 274
Ha dieci commende di sa Giouani
Due comende di S. Stefano et vna di San Lazaro et ha 15 abbazie
Q. S. Fiorenzo,
R. Badia Colomba
S.S. M.a Maddalena
TTTT. Porta S. Pietro
XX. Porta Sole
222. Verzaio
333. Piazza degl'archi
44. Accademia dell'arte del disegno
55. Accademia delli insensati
66. Accademia delli Eccitrici
77. Piazza Grimana
888. Porta S. Angelo
99. Porta Sansirini
110. Porta Borgni
12.0. S. Domenico
P. Giuliana monasterio nobilis. e ricco.
S. Aqueduto che viene due miglia
T. S. Angelo fatto sopra vn bellis. tempio antico.

S. Catarina monasterio di monache di S. Bern.do

S. Agostino

S. Chiara di monte Luce monasterio benaratis.

Borgo di S. Antonio

VRBINVM.

VRBINVM, Piceni vrbs, alto in monte inter Albin siue Sapim & Foliam amnes, cuius incolas, Plinius in sexta regione Vrbinates cognomento Metaurenses, vocat. A Strabone non commemorantur, vti nec à Ptolemæo, nisi forte Suasse nomine, quam is inter Senones, prope Pisaurum in colle designauit. Vrbini mentionem facit Tacitus, in belli Vitelliorum descriptione. Procopius ait, deditione captum à Belisario Iustiniani Imper. duce, cum post diuturnam obsidionem fons vrbis exaruisset, quod prodigij loco habitum, vt Blondus Sabellicusque tradunt. Diu Comitum Montis Feltrij ditionis fuit, quibus Guido circa Bonifacium VIII. Pontific. Max. rebus in Italia pro Imperatore Aug. præclarè gestis inclytus, imperium eius occupauit primus, quanquam multo antè tempore, maiores eius, potentes etiam in ea fuissent, vt item olim Imperante Friderico Aenobarbo, Oddus Antoninus, cui succesSère Galeatius, Guidantoninus alter, Federicus & Nulphus. Cæterum, sub Sixto, eius nominis IIII. Pontifice, ex Comitatu ad Ducalem dignitatem Vrbinum euehitur, ob præclaras Federici dotes eximiasque virtutes. Erat enim vir prudens, facundus, litteratus, & ingeniorum amator, bello felix, pace carus, apud Italiæ Principes honoratus, à suis dilectus. Vrbinum splendidis ædificiis exornauit, præcipueque sumptuosa illa domo, cum bibliotheca magnificentissima, quam ingenti multitudine voluminum optimorum, repleuerat, auro, argento, ac serico mirificè opertorum, ornatorumque, quæ post illa Borgiana dominatione, passim, operi tam insigni prorsus conturbato, dispersa sunt. Porro, vrbs est Vbinum lautissima, splendideque satis ædificata, bono ac fœcundo agro, generosisq; fructibus abundante. Viros multos, quorum illustri fama plurimùm celebratur, edidit, inter quos Raphaël excellens pictor, inclytis illis eruditorum commemoratione laudeq;, veteribus haud impar, quæ eius per Italiam, maximeque Romæ in basilica pontificia, iuxta D. Petri visuntur. Iuuenis obiit XXXVII. annos natus. Quod si peruenisset ad ætatem planè maturam, ac magis magisque heroico illi in arte Michaëlis Angeli, stylo, vti faciebat, se assuefecisset, nihil eo fuisset eminentiùs. Manum habuit longè elegantissimam. De quo tacere præstat, quam non ea, qua decet, reuerentia, loqui. Sed, si vis plenum de Raphaële iudicium, & omnium sententia, æquissimum, vide longe pulcherrimos illos libros Georgij Vasarij Aretini, pictoris, & architecti, de vitis pictorum, sculptorum, & architectorum Italorum. Qui libri, Italica lingua sunt scripti; Sed Raphaël ille, nunquam satis laudari potest. Iam, nostro etiam sæculo, singulare artis pictoriæ ornamentum hæc patria edidit, Federicum Barocium, excellentissimum sanè tam penecilli, quàm styli ductorem, vt, & inuentorẽ, & factorem, magno nominis elogio, non tantum opera, quæ iam publica sunt, ipsum prædicent; Sed & Gualterus Florentinus exquisito libro hoc ipsum accuratè demonstret, quem de Brocij, Michaëlis Angeli, Raphaëlis Vrbinatis laudibus, Italico idiomate conscripsit. In quo, & de coloribus iisque omnibus quæ ad sculpturam, picturamque exornandam pertinent, multa eleganter pertractat. Vrbinas etiam fuit, Seraphinus Consistorij Aduocatus, quem Blondus, hominem prudentem ac doctum nominat.

SVLMO.

SVLMO Brutiorum, Pelignæ regionis oppidum, Solymum primo dictum fuisse, ex Silij lib. nono constat. Hodie Sulmona est, vt scribit Leander, patria lepidissimi poetæ Nasonis, vt ipse testatur. Sulmo mihi patria est, gelidis vberrimus vndis, Millia qui nouies distat ab vrbe decem. Sulmoné quoq; Strabo vocat, itemq; Cato ac Ptolemæus. Plinius Sulmonenses retulit appellationis originem à Solymo esse ex Phrygia, testis ipse est Ouidius lib. 4. Fastorũ his versibus. Huius erat Solymus Phrygia comes vnus ab Ida, A quo Sulmonis mœnia nomen habent. Sulmonis gelidi patriæ Germanicè nostræ, Me miserum Schytico quàm procul illa solo est. Idem probat Silius de bello Punico secundo agens, his verbis: Huic domus, & gemini fuerant Sulmone relicti Matris in vberibus nati, Mancinus & vnà Nomine Rhetæo Solymus: nam Dardana origo, Et Phrygio genus à proauo, qui sceptra secutus Aeneę claram muris fundauerat vrbem Ex sese dictam Solymon, celebrata colonis Mox Italis paulatim attrito nomine Sulmo.

Vrbs est Sulmo in primis pulchritudine, frequentia populi, & aquarum abundantia nobilis, vndiq; riuuli purissimarum aquarũ perpetui, cum mirifica spectantium audientiumq; voluptate susurris iucundissimis admurmurant, hausto quoq; pergrati. Mentionem eius persæpe facit Liuius, nominatim verò, cum Annibalem ad Romam frustra copiis adductis, inde magnis itineribus mouisse scribit, & per Campaniam in Samnium, inq; Pelignos profectum, & per Sulmoné in Marrucinos, postea per Albanum agrum in Marsos, demum Amiternum, & ad vicum Forulum peruenisse. Duo sunt in agro Sulmonẽsi oppida, Pectoranum, & Vallis obscura, quorum vtrumq; amnem emittit peculiari alueo ferme ad Sulmonem vsque accedentem, vbi tum alter alteri immersus, vnico flumine extra vrbem per extensissimam planiciem, milliaq; passuum sena latam, cursu ferme millium XII. absoluto, fontibusq; & aquulis quibusdam prope Populum haud mediocriter adaucti, tandem in Aternũ se exonerant. Sulmonensium Antistes, Valuensis dicitur, quòd, vt Rassanus ait, ager Sulmonis cum parte quoq; vicinorum Valuanus, seu Valua nominetur, qua vna voce plura hoc situ finitima loca comprehenduntur. Ea de re Blondus scribit, iampridem annis ferme DCCC. amisso Pelignorum nomine, agrum hunc Valuensem adpellari cœptum, ideoq; Romanam Ecclesiam, ita Sulmonensem Episcopum vocare. Causam verò vocabuli nullam addit, quam Rassanus in hanc sententiam commemorat. Tractus omnis Pectorano, quod supra Sulmonem est, itemq; Valle obscura, campo quinque millium, cœnobio S. Spiritus, quod à Sulmone millibus tribus distat, vbi vitam solitariam D. Petrus Moronensis, postea Cælestinus V. Pontif. appellatus, egit, nobili item oppido Populo, ad Sulmonem vsque, ac item montibus duobus editissimis, Apennino Maiellaq; circumscriptus, & ita iugis illorum altissimis conseptus, vt aditum omnino, nisi per paucas ac difficiles arctasq; fauces habeat, Valua propterea dictus, quod per paucissimas tantum angustias aditum præbeat, tanquam per ostia, quæ latinis etiam valuæ dicuntur: ideoque deperdito nomine Pelignorum, ager hic Valua, ex conditione situque suo, vocatur.

VRBINO.



VRBINO.





SVLMO OVIDII
PATRIA.

VTRIVSQVE OSTIAE
PORTVS, HORATII TIGRINI
DE MARIIS, DESCRIPTIO.

DVo Ostiæ portus, forma eleuata ac plana, hîc delineati, à totidem Imperatoribus conditi existimantur. Maior quidem formam habens ouatam, à Claudio, Minor verò, huic contiguus & exagonus, à Traiano, prout ex Plutarcho in vita Cæsaris colligitur. Nam, cùm is (inquit) in animo gereret Romæ portum pro aduenis nauibus extruere, primus omnium secando rupes, & amoliendo saxa, quæ nauigationem ad littus Ostiense impediebant, rudem quandam portus formam induxit, quo nauigia ex diuersis mundi plagis Romam contendentia, tutò reciperentur, quæ alioquin, quòd tutum receptaculum non haberent, vt plurimum periclitabantur. Ex hoc igitur loco colligitur, à Cæsare quidé portus hos inchoatos, nunquam tamen (quod & Suetonius in vita Claudij adserit) ad exitum perductos fuisse, quod etsi sæpè conatus sit, nunquam tamen effecit, deterritus fortè non modò rei difficultate, verùm etiam sumptuum magnitudine, temporisque diuturnitate: Quorum quidem Claudium constat nullam habuisse rationem, quantumuis ab Archytectis expensarum modum sæpè postulans, nullum vnquam, Dione teste, responsum, præter quàm, vix ipsis animum tantæ rei suppetere, retulerit; Idque prudenter admodum, ne impensarum magnitudine territum à proposito penitus dimouerent. Claudius igitur triginta hominum milibus, vndecim continuis annis, in hoc opere vsus, primò minorem portum in ipso solo effodi, ea profunditate curauit, vt ipso mari profundior reperiretur, moxque duo illa maioris portus brachia, eo, quo ab inuicem distant modo, in mare extendit, & ad fundandam molem illam maioris portus, nauem, qua maximus ille obeliscus ex Aegypto Romam conductus erat, demergi, desuperque turrim, siue Lanternam, vt vocant, erigi curauit, ad instar illius, quæ est in Faro, portu Alexandriæ, nec non eius, quæ est apud Ianuam. Et, quanquam non desint, qui velint Claudium Imperatorem isto hominum numero, non in Ostiæ portubus extruendis, verùm lacu potius Fuccino, hodie Celanum vocant, perforando, ac in Tyberim deducendo, vsum fuisse, illi tamen oberrant, cùm, quòd conatus ille statim irritus fuerit, tum etiam, quod ad illum, tanta hominum frequentia opus non fuisset. Indubitatum igitur, ex sententia prædictorum auctorum, insuper Plinij, ac aliorum relinquitur, dictum Ostiæ portum à Claudio Imperatore factum fuisse, Nec non minorem illum in terra firma, quem, posteaquam cinxisset muro, in tantum excauare coactus fuit, quòd eius profunditas maris alueum superaret, ad hoc, vt aquam ex mari recipere posset; rem, mehercle cogitatu, ne dicam, factu difficilem. Nec magis dubitandum, Neronem postmodum, prout egregia eiusdem numismata adhuc testantur, locum illum plurimùm ornasse, ac stupenda illa ædificia à Claudio cœpta, consummasse, quæ à diuersis postmodum Imperatoribus aucta fuerunt, præsertim Traiano (quemadmodum Dominicus Marius Negrolus in sua Cosmographia testatur) quorum etiamnum ruinæ apparent, à Sarracenis, aliisq; Barbaris nationibus olim in declinatione Imperij factæ, negligentibus Romanis, ac postmodum etiam inuantibus, reliquiasque penitùs euertentibus, ne, dum ipsi illis frui nequirent, Cæsaribus ac hostibus illorum relinquerentur. Inter alia autem stupenda ædificia, præter tabernas, templa, ædes, ac Palatia planè regia, extabant tum etiam Aquæductus, fontes, ac plura alia, Ita, vt credam illum ne quidquam errare, qui opus illud cunctis mirabilibus mundi præferret. Præterlabitur hos portus cornu Tyberis fluuij, Flumicellus adpellatus, in hoc procul dubio à Maioribus factus, vt per eum merces in portu onerari, ac exonerari possent, indeque per aquam Romam deferri. Id quod in Cosmographia prædicti auctoris innuitur, dum scribit, Merces ab illis portubus, tam aqua, quàm terra Romam conductas fuisse, tantamque euntium & redeuntium frequentiam extitisse, vt necessum fuerit viam illam largiorem efficere, quàm silicibus deinde constrauêre, & intermediam certis quibusdam columnis diuiserunt, ne ex portu redeuntes, aliis Roma venientibus obuiantes sese inuicem impedirent, sed vtrique diuersum latus sectarentur. Id quod Leo Baptista Alberti, non solum antiquitatis, sed naturalium etiam rerum indagator solertissimus, notatum reliquit, qui in proposito Archytectos admonens, ne quicquam aduersante natura inciperent, exemplum Ostiensis huius portus adducit, Dicens, eum diu conseruari nequiuisse, ob continuum matis, eum arena implentis, impetum, ad quem quotidiè expurgandum, immensis sumptibus opus erat. Insula autem illa, quæ ex cornu illo Tyberis, siue Flumicello, Mari, ac ipso Tybere componitur, in latitudine paulo plus vnico milliari, in longitudine verò circiter duo milliaria habet, quò verò transiri posset, antiquitus pons erat, eo loco, vbi dictij Elumicellus sese à Tybere subducit. Cornu verò illud Tyberis à Maioribus ad exonerandũ merces, in & ex portu factus, continet in latitudine ab octo, vsque ad decem vlnas. Tyberis verò circiter quadraginta, vicinus ad fauces, vbi ab Anco Martio, quarto Romanorum Rege, Ostia ciuitas ædificata fuit; plurimùm ab antiquis æstimata; quantumuis sub insalubri aëre situata sit, adeò, quòd exemptionem à publicis exactionibus meruerit, exceptis viginti annis, quibus Hannibal Italiam vastauit. Ex ruderibus etiam & ruinis adparet, eam amplam ac spaciosam fuisse, quamuis hodie reducta sit in Arcem & exiguum oppidum. Quantum verò ad maiorem hodie portum attinet, videmus eum indies per alluuionem ita impleri, vt verisimile sit eum breui totum siccum fore, idq; ex limo, qui per Tyberim in mare defertur, ac per illius refluxum congeritur atq; coaceruatur, quæ causa est, quòd ad eum expurgandum, nunquam processum sit, quantumuis plurimi sæpè Principes, ob publicam patriæ vtilitatem idipsum vnicè desiderarint.

OSTIA

Tiberis

fluuius.

Os fluuij.

SEPT.

OCCID.

ORIE.

MERI.

Forum

Os parui portus

PORTVS TRAIANI

Os portus, orientem uersus.

PORTVS CLAVDII.

Moles siue margo parui portus.

Basis Colossi Imperatorus

Murus maioris portus occasum uersus, in arcus, quo mare fluxu arenas expellerét, effractus.

Os portus, orientem uersus, largum cannas quinquaginta.

1. *Via a portu Romani*
2. *Porta præcipua Romana.*
3. *Templum.*
4. *Aquæductus.*
5. *Porta secunda.*
6. *Via circũ interiorẽ muriũ parui portus.*
7. *Murus parui portꝰ.*
8. *Domꝰ in interior.*
9. *Porticꝰ ad excipiendas merces.*
10. *Murꝰ totum portꝰ ambiens*
11. *Os parui portꝰ*

LECTORI.

VIX vllum humanum ingenium ad Vrbis Romanæ faciem exprimendam satis esse putaui, qualis ante barbarorum euersionem eius pulchritudo & conditio fuit. Cùm talis vrbis descriptio, non minores difficultates, quàm orbis totius enarratio continere videatur, vtputa, ad cuius primordium, virtus atq; fortuna verè contendisse videantur. Vnde Amminianus Marcellinus, Victura, inquit, dum erunt homines, Roma, vt augeretur sublimibus incrementis, fœdere pacis æternæ virtus conuenit atque fortuna, plerumque dissidentes. Sed vrbem iam conditam, posteri, Imperatorum præsertim memoria, multo labore, summa arte, summaque impensa, innumerabilibus, stupendis, & penè immortalibus ædificiis ornauêre: Quæ tamen, partim temporum iniuria, partim hostium malignitate comminuta, partim in calcem decocta periêre, partim in alias regiones deportata, vt à VVandalis in Africam, à Theodorico Rauennam, partim barbaro, & immani Neronis incendio, hostium etiam scelere ac feritate, confracta, & scalpris deformata sunt. Quorum tamen reliquiæ, tam sunt immensæ atq; magnificæ, vt plurimos ad se visenda ex remotissimis totius Orbis partibus iugiter alliciat, eruditioribus autem amplissimam scribendi materiam hactenus præbuerint. In quo quidem argumento, ex recentioribus magna cum laude operam bonam nauarunt Bartholomæus Marlianus, cuius Vrbis Romanę topographia, cum ædificiorum & statuarum imaginibus extat. Andreas Fulvius, qui de antiquitatibus Vrbis, libros quinq; conscripsit. Blondus, Eugenij Pontificis Secretarius, de Roma triumphante, decem, de instaurata verò libros tres edidit. Fabius Clauus, Georgius Fabritius Gemnicensis Vrbis Romanæ descriptionem, opere non magno complexus est, ad historiarum Romanarum lectionem perutili. Lucius Faunus, Andreas Paladius; Pyrrhus Ligorius; Lucius Maurus, & plerique alij, qui Vrbis regiones, ædificia, statuas, trophæa, templa, circos, curias, theatra, thermas, balnea, porticus, columnas, aquæductus, fontes, naumagias, lacus, & quicquid denique tota Vrbe visendum atque mirabile, ad posteritatem transmiserunt. Quorum quidem auctorum nomina libentius recensemus, indicis vt instar auido lectori simus, qui vnica hac pagina, quod pictor stylo & penicillo vtcunque præstat, tantæ Vrbis enarrationem exhibere non possumus. Vale.

ROMA TRIVMPHANS.

ANDREÆ FVLVII ANTIQVARII ROMAE, DE LAVDIBVS VRBIS, ORATIO AD QVIRITES.

VRBEM Romam, Quirites, Terrarum Deam, gentium Reginam, Deorum Domicilium, Magistram morum, communemq; omnium patriam, sine controuersia, primam cunctarum Vrbium, quis ignorat? Maius enim Roma, nihil vnquam fuisse, omnium testimonio, iam pridem in confesso est. Ita Diuina mens Ciuitatem Populi Romani egregia, temperataq; regione, collocauit, vt Orbis Terrarum Imperio potiretur. Cum rerum natura vires omnes in vnam vrbem ostendere voluerit. Cum quis Campum Martium inspexerit, Sepulchrum Augusti, tot marmoreis simulachris, & æris ornatum Forum Romanum, & Iouis Tarpei delubrum, Thermas, Porticus in Prouinciæ modum extructas, Amphitheatrum, Tyburtino lapide exædificatum, tantæ altitudinis, vt ad culmen vix humanus oculus pertingere possit. Panthæon mira altitudine spatiosis molibus fornicatum. Templum Pacis, Pompeij Theatrum, Circum Maximum, Septizonium, tot Arcus Triumphales, tot Aquæductus, tot Statuas per Vrbem ad ornatum positas, Si ingrediaris Forum, aliud ex alio videbis appositum. Quis Regales Porticus, Aedesque Sacras, Quis Capitolium, & in ipso, & in Palatio opera, & in Liuiæ Porticu, quæ singula contemplans, alia facilè obliuione delebis. Talis est Roma, cuius primi muri luto, ac palis defixis, tam humiles erant, vt eos Remus leui saltu transiliret. Hæc tua monumenta parens Romule, Hæc illa æterna vrbs, Terrarum Regina, & Dea gentium Roma, Cui par est nihil, & nihil secundum, quæ vndique deuicto in gyrum paulò minùs Orbe Terrarum aductos, sine fine triumphos recepit. Innumerabilium coloniarum sub Cœlo parens. Sed Ciuili, intestinoque bello absumpta, Terrarum omnium alumna, eademque parens, numine Dea electa Quæ Cœlum ipsum clarius faceret, sparsa congregaret Imperia, ritusq; molliret, & populos discordes, ferasq; linguas sermonis commercio contraheret ad colloquia, & humanitatem hominibus daret, breuiterq, vna cunctarum gentium in toto Orbe, patria fieret, Cuius monumenta, quis probè consideret, plures in ea victorias, & Triumphos, quàm annos à prima conditione reperiet Quos Maro Heroica Maiestate, in breuissimo Aeneæ scuto perstringens satis probè complexus est. Fuit etiam Romani nominis comes semper fortuna, Diique præstantes, & beneuoli, Qui, ne Capitolium à Gallis caperetur, sopitis custodibus, Sacratam falli alitem non permiserunt. Vnde Cicero in oratione ad Quirites, Dij, Deæque immortales, qui excellenti tumulo Ciuitatis sedem Capitolij in saxo incolitis constitutam, vbi tot Reges, tot Duces, tanta virorum spectata est indoles, meritò Dij, homines q; consenserunt, Vrbem his locis statuendam, vbi saluberrimi colles, ager feracissimus, flumen ad res vehendas idoneum, situs ab extremæ classis periculo immunis, Vrbs media Italia, & ob id ad rerum incrementa habilior, vbi ex vno Orbe, Deorum numine facta est vna Vrbs. Nulla enim (vt ait Plato) potest Ciuitas sine fauore numinis prosperè constitui, nec fœliciter administrari. Nulla præterea vrbs tam admirabilis magnitudine Imperij, omnibus humanæ naturæ dotibus venerabilis, bonis exemplis dotatissima. Eademque benignissima parens omnium quascunque gentes, atq; terras, ita muneribus propriis ditauit, vt tamen cæteras non in vniuersum similibus dotibus fraudaret, vni quidem omnia Romæ tribuisse videtur, in ea omnia sunt, quæ aut fortuna hominibus, locisque, aut natura largitur. Vnde Propertius.

Omnia Romanæ cedant miracula terræ,
Natura hic posuit quicquid vbiq; fuit.

Est præterea quædam certa vox Ro. generis, Vrbisque propria, ita qua nihil offendi, nihil displicere, nihil admiraduerti possit, nihil sonare, aut olere peregrinum. Quid quòd libertas cum animantium generi gratissima nusquam tanta est, tum ingenuè agendi, tum libertimè loquendi. Aliæ nationes seruitutem pati possunt, Populo Romano est propria libertas, eo Tyberius Cæsar delatoribus respondere solitus. In libera Ciuitate, liberas esse oportere hominum linguas. Nullibi præterea tam magnam Vrbem mortales viderunt. Vnde Heliogabalus Imperator, metiri cupiens eius magnitudinem ioco Aranearum telas, proposito præmio corradi iussit, & decem millibus pondo Aranearum collectis magnitudinem eius, hoc ludicro deprehendit. Romanorum gens omnium mitissima, & clementissima, habita est. Apud quam vnum supplitium tantùm, ante, & post fuisse immane, & barbarum in Metium Suffetium Albanorum Dictatorem, Tullo Hostilio Rege authore, in aliis gloriari licet, nulli gentium mitiores placuisse pœnas. Nullas Vrbes, ac nationes oppugnauit, quas non vicerit, nullos supplices ad se venientes populos, quos non benignè susceperit, nam cum Legati Carthaginensium, ad captiuos redimendos, in vrbem venissent, nulla accepta pecunia eos reddiderunt, tot punicis iniuriis veniam datam. Vnde hostium vox talis reddita. O munificentiam gentis Ro. Deorum benignitati æquandam, nam beneficium quod nunquam dedissemus, accepissemus.

Nulla gens, inquit Cicero, quæ non, aut ita subacta sit, vt vix extet, aut ita domita, vt quiescat, aut pacata, vt victoria nostra, Imperioque lætetur, tum gentes, quas antea, nullæ literæ, nulla vox, nulla fama notas fecerat, cæteras item partes, quæ vel agentibus, vel inimicis huic Imperio, vel insidiis, vel incognitis immanibus, & Barbaris tenebantur nostris armis deuictæ parere coactæ sunt. Milites quin immò armis insignes Roma statim habuit, & populum Marte gentium, vt terrigenas cum armis natum existimes. Vnde Pyrrhus de virtute militum Ro. O quàm facilè, inquit, Orbis Imperium occupare, aut mihi Romanis militibus, aut me Regem Romanis. Hac virtute maiores nostri, primum vniuersam Italiam deuicerunt, deinceps Carthaginem exciderunt, Naumantiam euerterunt, potissimos Reges, bellicosissimas gentes in deditionem huius Imperij redegerunt. Tot habuit triumphos, quot oræ sunt, partesque Terrarum, tot victorias bellicas, quot sunt in rerum natura genera bellorum. Illud verò sine dubitatione Romanum fundauit Imperium, quòd fundator huius Vrbis Romulus fœdere Sabino, docuit, etiam hostibus recipiendis augeri Ciuitatem hanc oportere, Cuius auctoritate, & exemplo nunquàm est intermissa & maioribus nostris, largitio, & communicatio Ciuitatis, itaque ex omnibus generibus gentes vniuersæ in Ciuitatem sunt receptæ. Licet institutū deinde fuit, ne quis nostrum plusquàm vnius Ciuitatis esse posset, ne quis inuitus Ciuitate mutetur, neue in Ciuitate maneat inuitus.

Vnde

ANTIQVÆ VRBIS ROMÆ IMAGO ACCVRATISS: EX VETVSTIS MONVMENTIS, EX VESTIGIIS VIDELICET ÆDIFICIOR, MOENIVM RVINIS, FIDE NVMISMATVM, MONVMENTIS ÆNEIS, PLVMBEIS, SAXEIS TIGLINISQ COLLECTA, VETER, DENIQ AVCTORVM FIDE CONFIRMATA; IN HAC TABVLAM REDACTA ATQ DESCRIPTA A PYRRHO LIGORIO ROMANO PER XIIII REGIONES IN QVAS VRBEM DIVISIT IMP. CÆSAR AVGVSTVS.


VIA NVMENTANA
VIA SALARIA
VIA TIBVRTINA
Aqua Antoniana
Via Gabina
Via Labicana
Aqua Claudia Curtia Caerulea Alsietina
Aqua Felix Trivia Augusta
Via Prænestina
Hippodromus Aurelianæ Aug.
Monumentum Pulvinum Peccorum
Via Asinaria
Villa Pro ducorum
Ann. Lucretiano
Lauernium
Vicus Patricius
Vicus Salustianus
Forum Salustij
Templ. Fortunæ Aug.
Mercurius Tegula
PVTICVLI
Vicus Sacrarium
Esquiliæ
Arcus Dolabellæ
Arcus Claudij
Arcus Constantini
Arcus Gallieni
Arcus Titi
Arcus Veli Aurei
Arcus Camenarum
Arcus Argentarij
Arcus Fabianus
Arcus Pietatis
Arcus Fabricij
Arcus Gratiani
Arcus Tiberij
Arcus Septimij
Arcus Domitiani
Arcus Nerui
Arcus Traiani
Arcus Aurelianus
Arcus Honorij
Arcus Arcadij
Arcus Theodosij
Arcus Valentiniani
Arcus Gordiani
Arcus Dolabellæ
Arcus Claudij
Arcus Constantini
Arcus Gallieni
Arcus Titi
Arcus Veli Aurei
Arcus Camenarum
Arcus Argentarij
Arcus Fabianus
Arcus Pietatis
Arcus Fabricij
Arcus Gratiani
Arcus Tiberij
Arcus Septimij
Arcus Domitiani
Arcus Nerui
Arcus Traiani
Arcus Aurelianus
Arcus Honorij
Arcus Arcadij
Arcus Theodosij
Arcus Valentiniani
Arcus Gordiani
Castrum Prætorium
Castrum equitum
Vivarium
Qui hoggidi è la Vigna di m.ser Marco Bracci
Templum Isidis
Area Commodi
Area Lolliana
Area Fabiæ
Area Palatina
Area Flaminia
Area Apollinis
Area Vulcani
Area Concordiæ
Area Vestæ
Area Minervæ
Area Pacis
Area Templi Romæ
Area Templi Veneris
Area Templi Cæsaris
Area Templi Augusti
Area Templi Martis
Area Templi Iovis
Area Templi Saturni
Area Templi Cereris
Area Templi Dianæ
Area Templi Apollinis
Area Templi Vulcani
Area Templi Concordiæ
Area Templi Vestæ
Area Templi Minervæ
Area Templi

Vnde quidam Athenis numero iudicum adsciti cum ignorarent, si illam Ciuitatẽ essent adepti, hanc se perdidisse, nisi postliminio recuperassent. Hic ille Princeps terrarũ, gentium victor, domitor vniuersi, supra humanam sortem potentissimus. Hæc est illa Roma, Regina vrbium, mundi caput, Ingeniorum parens, gentium hospita, peregrinæ virtuti semper patens. Vbi omnis repentina, atq; ex virtute nobilitas, ex externis quoq;, atq; Ciuitate donatis. Constat enim ex data non minùs prudenter, quàm liberaliter, Ciuitate, tam Italis, q̃ externis, & dum nullum fastiditur genus, in quo virtus elucesceret, creuisse Imperium, nõ propter generis nobilitatẽ tantùm, sed propter res egregiè gestas, nulla Orbis parte modo essent clari viri, repudiata. Nec verò Asia hic ab Europa distincta est, sed omnia omnibus in medio posita sunt, nemo censetur, modo sit Imperio, aut fide dignus, sed stat communis Terrarũ status, lsq; popularis sub optimo Imperatore, atq; rectore, Omnesq; quasi in commune Forum conueniunt pro suis quisq; meritis præmia relaturi. Quòd verò suis finibus, regibusque Ciuitas quæpiam est, idipsum est. Hæc vniuerso Orbi, quasi communis vrbs Prouinciæ totius conuentus. Porro dixeris in vnam hanc Arcem coniectos omnes habitatores. Quis per gentes, ac populos diuersa loca incolunt, hæc verò nunquàm vlli defuit, sed vt terræ solum fert omnes, ita & hæc ex vniuerso Orbe confluentes omnes accipit, quasi mare flumina. Quin etiam hoc illic quoque cum mari commune est, quòd nec mare maius sit, fluuiorum influxu, tanquam fato datum sit, vt vnà cum illis amplitudinem quoque influentem recipiat, neque in hac ob magnitudinem quicquam apparet, sed sicuti qui intra sinum recondunt omnia, ita & hæc omnes intra se complexa est. Quippe vltro, citroque meantibus eadem est, eademque visitur. Nulla Vrbs tam tenue habuit principium, nec ad tam magna rerum fastigia ita maturè peruenit, Cui ab exordio tam simplex vitæ cultus fuit, vt rudi cemento constratas domos, & scandulis roboreis, ac stramentis contectam vrbem per annos. CCCC. vsque ad Pyrrhi bellum fuisse, satis constat, & totidem prope annos pulte pro pane vsos. Post deuictum Orbem deliciis rerum omnium, quas tellus, mareque gignit expleuisse animum. Vrbs tota passim culta, ac frequens agro ad fruges, ad pascua, ad vites gignendas vberrimo, Siluis ad lignandum, & materiam suppeditandam abundè sufficientibus, vbi temperies aëris per quàm læta, & commoda, ni voluptatum intemperantia malè audiret, herbosi saltus, amœnæ valles, aquarum affluens tellus, Ver vbi perpetuum atque alienis mensibus Aestas. Solo semper tepido, nunquam colono repugnanti, vbi greges, & armenta, & altilia quæque opimè proueniunt, vbi auium aucupia, & ferarum venationes, accommodatissimè. Sed multò hominum præstantiora ingenia, semper progenuit, quàm reliquus Orbis Terrarum. Gentium enim in toto Orbe præstantissima, haud dubiè, Romana extitit. Omitto generis nobilitatem, à Troianis vsque prius, deinde ab Albanis Regibus, deductam. Quæ nam patria (vt verum fateamur) post natos homines, tot genuit præclarissimos in omni virtute viros? Curios, Fabritios, Camillos, Catones, Scipiones, Decios, Marcellos, atque alios, quos longùm esset, recensere. Regibus certè maximis, præstantiores, quoniam Regibus imperant, vnde non immeritò, Cyneas Pyrrhi Regis Legatus, fassus est, tot se Reges vidisse, quot ciues. Traduat Corneliam Scipionis filiam, post mortem Gracchi, cum ab Ptolomeo Aegyptiorum Rege, in vxorem peteretur, quòd nuptias suas minimè mereri videretur, respuisse. Præterea omnia Regna in toto Orbe, præter Ro. Imperium, aut breuiter durauerunt, aut modica, aut fabulosa fuerunt, vnum tantùm dictum Imperium, & illud Romanum, quod Romæ vsurpatum, primùm sub Cæsare Dictatore amplissimum, ac diuturnum locupletissimo etiam Maronis testimonio, cum inquit,

Imperium sine fine dedi.

Nullum enim ab exordio fermè minus, neque incrementis toto Orbe amplius, ab Romulo Rheæ virginis Vestalis, & Martis filio exordium habuit. Nullaque Respub. maior, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior. Qui omnium genere mirificorum exemplorum totum Orbem repleuit, militarisque disciplinæ, & seueritatis, & virtutum omnium specimen. Nullos homines benignius inter se viuere, quàm Romanos, nullum Regem Romanis parem, nihil esse, quod hominum manu, & opibus Ro. Imperij effici non posset. Satis constat origini Romanæ, & Deos adfuisse, & non defuturam virtutem. Nullum verò Regnum tam repentè auctum, quàm Alexandri Magni, qui prius sibi visus est comparare Imperium, quàm regnasse, quia dedit leges, nulla constituit militibus stipendia, sed tantum Regiones discurrit, nec regnum stabiliuit, dicere solitus, longè præstantius literis antecedere, quàm Imperio, ac magis amari, quàm timeri. Cæsar autem contra,

Oderint dum metuant.



OPVLVS Ro. gentium princeps ob magnitudinem rerum gestarum, & imperandi diuturnitatem cæteros Principatus antecelluit, terra, marique imperium terminauit, quo nihil in Orbe celebrius, nihil ipsa vrbe nobilius, vbi tot præclara ingenia, tot præstantissimi Duces, tam strenui milites, tam præclaræ res gestæ. Nusquam tanta ædificandi facultas, nusquam tot regia ædificia, tot loca Sacra, Templa, Basilicæ, Sacella, tot Fora, tot Aquæductus, Circi, Theatra, Lacus, tot Thermarum insana ædificia, tot operosi supra Tyberim pontes, tot antiquitatum vestigia, tot ludorum genera, tantus mortalium concursus, & populi frequentia, nusquam tot opes, tot delitiæ, & rerum omnium, quæ vbique procreantur, abundantia, & immoderati ad magnificentiam sumptus. Spectaculorum omnis generis decor, & ludorum numerus infinitus. Interrogatus quidam sapiens, quid de vrbe sentiret, respondisse fertur, Microcosmum id est, paruum mundũ. Libanius Græcus homo Romam, inquit, non vrbem sed quasi quandã cœli partem appellatam. Quam Seneca non inscitè per ætates hominum diffinxit. Aurea ætas populi Ro. sic fuit dicta, quòd posterioribus sæculis comparata, æquè atque aurum inter metalla effulsit. Cæterum cùm latè pateat Imperium Ro. nihil admiratione magis dignum, quàm regnandi diuturnitas. Nullum regnum tam repentinum, nulla Respub. tam ingens, nullum Imperium tam amplum, nulla Monarchia tam potens, nullus tam perennis victor (nam vetus prouerbium est) Romanus sedendo vincit. Constat enim furto hostes in paucis esse lætatos, vera autem virtute semper Romanos extitisse victores, Tum verò nominis Ro. Maiestas facilè declarat quæ fœlicibus auspiciis, lætissimis rerum successibus aucta, viris clarissimis instructa, quorum virtute, & consiliis ad amplissimum fastigiũ legibus, & institutis, & Deum pietate illustrata. Nec me præteritante Romanorum tempora non fuisse imperandi scientiam, quæ si fuisset, apud Græcos nimirùm fuisset: Qui cæteros haud dubiè, sapientia longè antecessêre. Et hoc Romanorum inuentum, vnà cum aliis introductum. Ex Romanorum enim disciplina omnes norunt, qui sciunt imperare, vt liberi ab initio, & quasi ad imperandum continuò geniti, quæ ad id spectat, omnia optimè prouiderant, & Rempub. quidem adinuenerunt, qualem nemo ante legibus, institutisq; propositis, quæ nullus vitare posit, cunctorum verò tellus communis, id re ipsa Romani effecerunt, vniuersum quidem permensi Orbem, iunctisq; fluminibus diuersisq; pontium generibus, scissis montibus terram equis strauére, patefacta solitudine, diuersiorijs frequentissimis manufactis, omnib⁹ victus, atque ordinis ratione. Non satis existimari potest, quantũ Romanis debeatur, qui sustulére monstra, in quibus hominem occidere, gloriosum erat, mandi etiam saluberrimum. Claruit supra omnia bonis artibus. Quibus semper fortissimi, victoresque Romani extiterunt, vt plerique populi, sine vi aliqua armorum, sua sponte illis se subiicerent. Omitto publicas diuitias. Quis enim M. Crassi opes, quis potentiam Pompeij, liberalitatemq; Iulij Cæs. enarrare potest? Quis Romanorum præclarissima à condita Vrbe gesta? Nec reticebo in hoc loco postremum illum, cum Hannibale, congressum, non fuisse, à condito Orbe, diem magis memorabilem, quàm ille, cum duo antea, & postea Ducum maximi Scipio, & Hannibal, quo cedente, sequutus est Africam terrarum Orbis. Meruerunt & suas Statuas, & titulos etiam mulieres, vt Cloelia, & Q. Claudia Vestalis. Pueri etiã tam castigatæ disciplinæ erant vt omnis vita plena esset miræ grauitatis, & modestiæ, inter puerilia rudimenta, & Romanæ iuuentutis peculiare fuit hastilia iaculari, Sudes torquere, equum agitare, arma tractare, bonas artes callere, tantaq; Romanæ verecundiæ obseruatio, & morũ exempla fuére, vt nec pater cum filio, nec socer cũ genero lauaret, nudosq; parentes inspicere nefas erat, abstinuerunt q; à colloquijs, & omni turpi, ac fœdo corporis gestu, coràm filijs parentes. Vnde si quid in toto Orbe rectum, iustum, ac memorabile, apud Romanos gestum est solos. Quid præterea historiæ, quid Annales, quid Poetæ loquuntur, nisi Vrbis Romæ laudes, ac gestaq; semper habuit laudũ præcones, nulla iucundior, nulla frequentior in manib⁹ lectio, eademq; sæpiùs repetita, magis, atq; magis semper placet, ac delectat. Quis eius ornamenta, & delicias ad plenũ narrare potest? quas qui semel degustauerit, diuelli inde huad facilè sine contumacia poterit. Semper enim Romanũ nomen à primis incunabilis, & auspicatissimis fundamẽtis, apud omnes, & populos, & nationes clarissimũ exititit. Quin etiam Itali, quorũ caput Roma est, nobilitate præstant, & Regali quadam magnificentia lauti magni sunt, & splendore quodam nitentes. Nam quicquid intra Italiam est (vt tradit Quintilianus) Romanũ est. Extant adhuc Romanorum monumenta, per totum Orbem, & Colonię sine numero vbique locorum, Pontes Portus, Turres, Metę, Arces, & cætera id genus. Non est à condito Orbe, nec futura vrbs tam clara qualis Roma, totius mundi caput, & Regia, nec animi magnitudine, tam excellens populus, quàm Ro. nullum Regem, aut gentem parem habens. Quę Vrbs licet toties cædibus afflicta, & cultoribus priuata, semper validior, potentiorque surrexit. Nulla enim deficientibus colonis tam repentè confluentibus vndiq; mortalibus, Colonia deducitur, ac noua instauratur. Et omnia intra Pomærium, atque mœnia eius frequentissimè habitata, & exculta. Nusquàm minus Roma cognoscitur, qàm Romæ. Quæque visuntur donaria, artes & ornamenta, omnia Romanæ gloriæ sunt, tanquàm suburbani ornatus, referta. Præterea maritima loca, tum Mediterraneę regiones Vrbis, partim auctis ab ipsis Romanis, omnia plena sunt Gymnasijs, fontibus, vestibulis, Templis, ædificijs, magistris. Licetque haùd inscitè dicere, quasi effectum iam Orbem suas denique resumpsisse mundicias, atq; ornamenta omnia splendore, & gratia renident. Cum vniuersa terra, quasi Pomarium quoddam culta atque ornata visitur. Spectaculorum omnis generis decor, & Ludorum numerus infinitus siquis mœnium ambitum colligat, ex veterum traditione. XX. millibus, aut paulò plus colliget, vt supra dictum est. In quibus præsides vrbes instructæ, aliæ alijs in locis habitatoribus ministris instructæ, atq; alijs rebus ornatæ, quæ quasi præsides vrbes quasi fossa clausira concludunt. Quid enim Vrbe Roma excellentius? cuius optimis exemplis gloriari liceat, disciplina militaris acriùs retenta, Principatum Italiæ, Romæ Imperium peperit & multarũ vrbium, magnorũ Regum, & validissimarum gentium regimen, largita est. Alpium, Taurique montis conuulsa clausira tradidit. Ortumque parua Romuli casa, totius Terrarum Orbis fecit columen. Ex quibus summi omnes Triumphi emanarunt. Regnauerunt prius in Vrbe Reges septem, post eos eiectos, Bruto authore, Vrbs libertate potita est. Quam sub Imperatoribus iterum amisit, atque iterum in compedes coniecta est.

Augustus Cæs. bis cogitauit eam restituere, sed timuit ne aliquis post ipsum iterũ occuparet. Cogitauit & L. Septimius, cogitauit & Decius, qui multos habuisset laudatores, si à Christianorum cruciatibus se temperasset, vnde ex miraculo cùm in quadam palude submergeretur, nusquam eius cadauer postea inuentum est. Sub Probo autem Imp. omnia fuerunt quieta, & tranquilla, cuius Imperio Oriens, Occidens, Meridies, Septentrio, omnesq; Orbis partes in totam securitatem redactæ sunt, Vnde verè Probus appellatus, ex quo disciplinam militarem multi didicére, vt scribit Vopiscus. Habet nunc Roma, quòd sua sponte gentes, & nationes, Sacrosanctę Romanę Ecclesię subiectę sunt, non vt olim, armis coactę (nam vt olim armis) nunc religione. Religio enim facit homines inter se concordes, & vnanimes, & nationum quantumuis efferas, & Barbaras, mitiores. Nam linguarum & numinũ cultura, hominem alienat ab homine. Idcirco faciliùs sibi animalia muta, quam homines congregantur. Enimuerò si ab omnibus mortalibus vnum, & idem coleretur numen, haud quaqàm essent inter ipsos tot superstitiones, & discordiæ. Retinet adhuc Roma quandam priscæ maiestatis vmbram, vt gentes ex toto Orbe, tanquàm membra ad caput recurrant. Habet præterea mansuetissimi Christi Imperium, & eius vicarium Pont. Max. præcipuam in toto Orbe dignitatem, per successionem relictam à piscatore idiota, & inermi, qui supetatis verbo, & exemplo Regibus, extinctisq; gentium simulachris Imperium Orbis occupauit. Habetque Senatum Apostolicum, & Sacrosanctos Cardinales, & Clerum. Vbi Arx, & Domicilium Christianæ religionis, & eius Reipub. caput, vbi sedes Apostolica, & Curia Romana omnium præstantissima. Nusquam tanta ædificiorum laxitas, tanta reiuta pompa, tot loca Sacra, tam solida peccatorum venia, & tot (vt plebis vocabulo vtar) indulgentiæ, tot martyrũ triumphi, Quorum cruore aspersa, consecrata omnia habentur, sub Christo Principe totus mundus patefactus est. Nam arma Populi Romani antea peruenerunt vsque ad Oceanum, Occiduum, Septentrionalem, & Meridianum, ab Oriente autem non peruenerunt vsque ad Indos. Sed de regionibus Orbis, de quibus nulla apud veteres fuerat notitia, Mercatores, & negociatores, fecerunt nos certiores, sed fides Christi omnia latius patefacit.


VIA LATA
CAMPVS MARTIVS
REGIO IX FLAMINIA
REGIO VII VIA LATA
REGIO XII
REGIO XIII
REGIO XIV TRANSTIBERINA
Thermæ Antoninianæ
Isis Antenoadis
Templum Pietatis
Templum Minervæ
Templum Proserpinæ
Templum Lucinæ
Templum Veneris
Templum Apollinis et Clarii
Templum Iunonis
Templum Cybeles
Templum Matris Deum
Templum Iovis Custodis
Templum Iovis Statoris
Templum Iovis Fulminis
Templum Iovis Victoris
Templum Iovis Tonantis
Templum Iovis Feretrii
Templum Iovis Optimi Maximi
Templum Iovis Capitolini
Templum Iovis Libertatis
Templum Iovis Ultoris
Templum Iovis Stratorii
Templum Iovis Propugnatoris
Templum Iovis Conservatoris
Templum Iovis Victoris
Templum Iovis Custodis
Templum Iovis Statoris
Templum Iovis Fulminis

PANORMVS

PANORMVS, vrbium Siciliæ maxima, ac princeps est hodie, ac sedes regia, sita in campestri solo, & in ora, quam, lib. 7. teste Herodoto, Pulchrum littus, vocabat antiquitas. Vnam eius partem mare Tyrrhenum alluit, cæteræ tres, lato patent campo, qui montibus asperis & excellis, arborumque prorsus expertibus, omni ex parte cingitur. Agros planos diffusosque complectitur, qui formam aliquam ad eximiam pulchritudinem pictam repræsentant, ea varietate, vt, quocunque inciderint oculi, reficiantur, adeò lati, amœni, aprici, atque vberes sunt. Enimuerò, mali medici, citrij, punici, ac cæterorum omnium, cuiusuis generis fructuum feracissimi. Quos pluribus, iisq; placidissimis fontibus ibi natis, splendidissimæ ac saluberrimę aquæ, omnibus locis interfluunt irrigantq;. Hinc Callias lib. historiarum 8. (referente Atheneo lib. 12.) Panormum, non absurdè, totum hortum, interpretatur, quod domesticis arboribus speciosissimis vndequaque consitus sit, & vnicum totius Siciliæ delicium. Quinetiam, totum portum, latinis, Panormus sonat. Pan, siquidem totum, & hormus portus vel statio est latinis, vt Aretius in Siciliæ chorographia. Eius autem originem in Phœnices, quo tempore Græci Siciliam traiicere cœperunt, Thucydides lib. 6. referre videtur. Petrus autem Ranzanus Lucerensis Episcopus, in suo, quem de Panormo edidit libello, à Chaldæis, Damascenis, & Phœnicibus eam multo ante tempore, quàm definiuit Thucydides, duabus Chaldæis inscriptionibus, quę Panormi in lapidibus incisæ, palàm ab omnibus spectantur, fundata ostendit. Varia huius vrbis incrementa fuêre. Primùm (vt lib. 14. Diodorus, & lib. 1. Polybius) ante primum bellum Punicum, Carthaginensium imperia subiit. Deinde, postquam Respub. Romana in monarchiam reducta est, Imperatorib' paruit, donec declinante Imperio, Constantinopolitanis cessit. At verò, anno salutis, 515. Iustiniano imperante, à Gothis, veluti & omnis Sicilia, occupata, eorum facta est præsidium validissimum. Quibus post annos deinde circiter quatuordecim, à Bellizario, Iustiniani Cæsaris præfecto, magna vi erepta, imperio restituta est, vt Procopius tradit. Salutis postmodum anno 826. Michaële Balbo imperante, à Sarracenis qui Africam incolunt, cum omni Sicilia capta, eis in regiam ciuitatem adoptata est. qui eam præclaris ædificiis, quorum pleraq; intra & extra pomeria integra supersunt, exornarunt. Normanni deinde Galliæ populi, & qui post ducentos & triginta ferme annos ducibus Roberto, Guiscardo, & Rogerio Comite eius Germano fratre, Sarracenis auspicatissimo Marte superatis, Siciliam subierunt. Tum Panormum Robertus ad ducatus Appuliæ & Principatus Capuæ titulos adiecit, pauciscq; post diebus muro cinxit, ac duplici arce muniuit, cuius imperium Rogerius comes adeptus, plurimum quoque decorauit. Quam deinde Rogerius tertius, qui primus omnium Siciliæ Rex est salutatus, maiorem in modum munitionibus & opulentia locupletauit. Multi tum temporis successu, Siciliæ Reges, eam & sua præsentia & structurarum magnificentiâ honestarunt, vt celeberrimis totius Italiæ vrbibus comparari, multis etiam præferri possit. Hodie quatuor præcipuis partibus constat, quarum VNA HARVMVNA est, quam Chaldæi & Phœnices condiderunt, &, quam vrbem veterem prisci nominabant. Ea adhuc ambitiosa mœnium structura, quibus latè atq; peraltè circumductis cingitur, in cæterarum partium meditullio integra prope cernitur, quorum fiducia Gothi in hunc locum, velut in inexpugnabilem arcem se recipientes, nunquam via ab hostibus capti, sed sola deditione subacti sunt. In hac veteri Vrbe, ædes complures sunt publicę & priuatæ, sacrę & profanæ, superbia & pulchritudine, cæteris Italiæ ædificiis nihilo inferiores. Nam ad vrbis verticem, occidentem versus, arx est præclara, quam Palatium regale appellant, magnificis ex quadratis lapidibus compacta, & in multis suis partibus pario marmore, ac auro, gemmisq; splendidè ornata, insignes vermiculato opere aulas, aulæis ostro tinctis contectas, pauimenta marmoreis prophireticisq; testalis constrata, exhibens, multorum hucusq; Regum & Imperatorum domicilium, in cuius vestibulo ad latus dextrum, templum est D. Petro sacrum, à Rogerio Sicilię Rege fundatum. Quod sua pulchritudine & rerum præciosissimarum apparatu, cæteris, quę in Italia nunc vsquam extant, seu veteribus, seu nouis, merito præferri constat, quo nomine ab omnibus, qui Panormum aut inhabitant, aut inuisunt viris, non imperitis modo, sed ingenio etiam doctrinaq; præstantibus summa cum admiratione ac iucunditate frequentatur. Est & in hac vrbis regione perausta Slafanorũ domus, Hospitale nouum, quòd & structurę magnitudine, & loci pulchritudine, cæteris quibusuis Xenodochiis nihil inuidet. Maior etiam totius vrbis Ecclesia, reticulata structura, quadrato, ac diuersis in exteriori facie imaginibus figurisq; inciso ac perpolito lapide, à Gualterio huius nominis secundo, Panormitano Archiepiscopo Anno salutis M. C. LXXXV. fundatum, vbi Regum Reginarumq; Sicilię ac Ducum quoq; cadauera sunt recondita. longum insuper foret, reliqua primæ regionis ornamenta, & præclara ædificia commemorare.

ALTERA PANORMI pars est, quam longo post veterem vrbem tempore conditam, Neapolim, id est nouam vrbem appellatam, Polibij auctoritas demonstrat. Hæc ea est, quæ vrbe veteri ad meridiem hæret, & à palatio incipiens, in formam deinceps hemicycli producta claudebatur. Regiones in ea Normannorum ætate fuerunt, Kemonia, Albergaria, Deisin & Yhalcia, quę à Sarracenis sunt appellationes deductæ. In hisce regionibus mira cœnobiorum, & Ecclesiarum multitudo.

TERTIA PANORMI pars ea est, quæ veteri vrbi ad septentrionem interfluente amne hodie hæret, Seralcadis Normannorum Regum ætate & hodie appellata. Transpapyretum ciuitas Rogerio regnante in priuilegiis & publicis tabulis etiam dicta. Hæc à Palatij confinio & à fluuiolo Papireto initium habens, mœnibus curuato cursu cincta, veteri vrbi ad turrim Pharath, iungebatur, vt ex murorum fundamentis, in quę fossores passim incidunt, liquet. Forum eius venale à Bandera nomen habet. Eius ædes sacrę sunt, templum S. Crucis Parochiale, & alterum D. Hyppoliti. Est & D. Augustini cum Eremitarum fratrũ cœnobio non ignobile fanum. Hanc vrbis partem Papiretus amnis, hodie statim interfluit, qui plures habens triticeas molas ad Panormitanum portũ se exonerat.

QVARTA & vltima Panormi pars, id totum spacium, quod inter veterem vrbem, duasq; vrbis prædictę partes, & portus littora interiacet, complectitur, ingens sanè & pluribus regionibus, sacrisque ac profanis ædibus præclaris ornatissima. Nam cum olim stagnante fluuio ac stagno quoq; eam perfundente, tota esset paludosa, habitationi erat inepta, processu vero æui, palude reiccata, suburbiis locum dedit. Hæret huic arx vetus, quam castellum ad mare ideo vocant, quod tres eius partes mari impetuntur, & ad tuendum portus ostium à priscis condita, sed à Sarracenis templo Mahumetanę superstitionis excitato ornata, & à Roberto, Guiscardo, ac Rogerio fratre, illis superatis, postmodum instaurata, vt in annalibus Sicculorum & vita Rogerij legimus, quam extremo Carolus V. Cæsar propugnaculis ingentibus muniuit. Ita Panormus, quatuor præcipuis partibus complexa, habet in circuitu pass. M. fere quatuor. Anno namq; salutis M. CCCC. XCII. filo extra mœnia ducto ambitus eius demensus est. Mœnia vetustate collapsa, à diuersis Sicilię Regibus restaurata, sed & recenti ætate, senatus ipse Panormitanus, miris ac frequentibus propugnaculis, ad recentiorem disciplinę militaris munitionúmq; formam, innouatis, munitissimam hanc patriam reddidit.

Illud deniq; coronibus loco adiicere libet, Panormum singulare id nomen promeruisse atq; seruasse hactenus, vt in exteris excipiendis, amandis ac fouendis, quorum incolatum maximè coaluit, nulli sit secunda. Vnde euenit, vt eam virili forma, panormitani pingere soleant, cuius facies prolixa, atq; acuminata barba, caput regio diademate sit redimitum: pectus flexuoso volumine fugat anguis, ante pedes calathum habeat, auro & floribus plenum, cum hoc symbolo: Panormus vas auri, suos deuorat, alienos nutrit.

Si quis copiosiorem huius vrbis descriptionem requirat, Is cl. Marium Aretium, Petrum Ranzanum Lucerinum Episcopum, Marium Nigrum, Hugonem Falcandum, & præcipue Thomę Facelli Decades legat.

PANORMVS Corona Regis, et Vrbium Siculá rum maxima, Emporium celebratissimum.

PALERMO.

CHIOS.

CHIOS Aegei pelagi insula, eiusdemque nominis vrbs, inter Samum & Lesbum, Aethalia, ab Ephoro, prisco nomine; & Chia, à Metrodoro, & Cleobulo nominatur; Itē, Macris, & Pityusa, Plinio teste. Aethale quoque apud Suidam, & Stephanum. Hæc Chios, sola masticen profert, vocaturque vulgo hodie, Scio, vt Sophianus: vel Chio, vt Bordonius refert. Turcæ Saches appellant. De qua ita Dionysius Alexandrinus:

Has item iuxta insula sunt Ionides; vbi Caunus
Et Samus iucunda, Pelasgidu sedes Iunonis:
Et Chios excelsi Pelenes sub pede.

In quos versus, hunc in modum commentator Eustathius, Chius etiam, vna est, ex Ionicis Insulis, Ciuitatem habens bono portu insignem, vt Geographus inquit, & stationem, nauium octuaginta capacem, ad hæc Phœnicum nemus, quibus circumnauigata est 900. stadiorum, cuius incolę sunt Pelasgi, apud quos est mons Pelleneus. Ferunt autem in Chio, primum creuisse nigrum vinum, & primos illius incolas, seruis vsos fuisse. Quemadmodum Lacedæmonij, olim Helotibus sunt vsi: Macedones, Penestis: Argiui, Gymnesiis, Sicyonij, Corynophoris; Cretenses Dmoitis; Itali, Pelasgis. Hæc enim omnia, nomina seruorum sunt.

De hac Insula & vrbe, Abrahamus Orttelius, Additamento tertio, in Theatrum suum, hunc in modum: Asperam, inquit, & arboribꝰ densam esse hanc Insulam, tradit Athenacus: incolasque omnium Græcorum fuisse primos, qui seruis emptis vterentur. Vrbem habet Cognominē, quam Thucydides, omnium Ionicarum maximam, & ditissimam appellat. Nihil in hac Insula celebrius vino, quod inde, Chium vocant, omnium Græcanicorum optimum, vt Strabo, Aelianus, & alij affirmant. Hoc in Aruisio agro, circa Leptymnum montem prouenit. Nobilis est, non minus Lentisco, quæ mastichen producit. Marmor huius quoque laudatur à Plinio, qui arbitratur Chiorum lapidicinas, versiculores istas in marmore maculas, primùm ostendisse, cùm exstruerent muros. Chiæ terræ, in medicis vsum, idem docet. Omadio Bacho, hominem discerptum, quondam incolas immolasse, Eusebius auctor est. Aliis nominibus etiam vocatur, vt Chia, Aethalia, Macris, & Pityusa. Hæc quidem ille. Porro, frequens & celebris est, tam insulæ, quàm opulentæ in ea vrbis, apud famosos auctores mentio. Plinius lib. 35. cap. 16. medicam eius terram commendat. lib. 14. cap. 7. vinum Chium, in summa esse gloria prædicat. Item, libro eodem cap. 14. Chium vinum, ex Græcia allatum, apud Romanos in delitiis fuisse, refert. Et lib. 16. cap. 13. varia glandis genera describens, Glans, inquit, omnium dulcissima fagi, vt, qua obsessos etiam homines durasse, in oppido Chio, tradit Cornelius Alexander. Strabo etiam, li. 14. non semel, vno in loco, eius meminit: & inter cætera, inquit, Chius, circumnauigationem habet stadiorum nongentorum, si quis secus terram deferatur, ea vrbem, & portum optimum habet, & nauale nauium octoginta.

Sed, & Herodotus, lib. primo, Chiorum in bello fidem cōmendat, qua Milesios ex Ioniis, hi soli subleuarunt, reddentes vicem, quod aliàs, quando Milesij Chiis bello (quod cum Erythreis gerebant) auxilia tulissent. Parem Chiorum fidem atque constantiam, eodem in libro, sæpiùs commemorat. Memorabile autem est, quod idem Herodotus libr. 6. de calamitate Chiorum, & prænuntiis, eiusdem cladis, signis scribit. Histiæus Milesius, cum Lesbiis, Chium, inquit nauigat, & apud locum quendam agri Chij, vbi vocant, concaua regionis, quod ab eius præsidio, non reciperetur congressus, permultos interfecit, tam eorum, quàm cæterorum Chiorum, & ex oppido quondam progrediens cum Lesbiis, Chios, vtpote ex pugna nauali malè affectos, subegit. Sed videlicet, quoties ingentes euenturæ sunt calamitates, vel ciuitati, vel nationi, solent signis prænuntiari: Etenim Chiis, ante hanc cladem, ingentia signa contigerant: Vnum, quod ex choro centum iuuenum, quos miserant Delphos, duo omnino redière, nonaginta octo, pestilentia absumptis: Alterum, quòd sub idem tempus, paulo ante naualem pugnam, tectum supra pueros literas discentes, corruit, ita, vt ex centum viginti pueris, vnus omnino euaserit. Hæc eis signa Deus præmonstrauit. Post hæc excēpit pugna naualis, quæ ciuitatem in genua deiecit. Accessit ad cladem pugnæ Histiæus cum Lesbiis, qui Chios iam exhaustos, facilè ad excidium deduxit. Hactenus quidem Herodotus, qui sub finem libri secundi, primos oppidi Chij conditores ita refert. Amasis, quoniam Græcorum erat studiosus, cùm alia in quosdam Græcos officia contulit, tum his, qui in Aegyptum concederent, dedit facultatem Neueratem vrbem incolendi. Qui verò eorum nollent illic habitare, sed nauigando negotiari, fecit potestatem, certis in locis aras, & fana extruendi. Ciuitates, autem, quæ communiter extruxerunt, sunt; Ionum quidem Chius, Teus, Phocæa, Clazomene.

Chios, multis temporibus Venetis paruit. Quibus Philippus Auria Genuensis, Vir, militari prudentia celebris, eam ademit, ditionisque suorum ciuium fecit, sub quibus vrbs, copiosa negotiatione floruit; & sumptuosis exornata est ædificiis. Sed deinde ad fatalem periodum deueniens, turcico imperio cessit, vti Philippus Lonicerus, Chronicorum Turcicorum tomo secundo; Chius, inquit, quam & Tio vocant, à Genuensibus diu habitata, & multis superbis ædificiis, & hortis amœnis ornata, atque abundantia fructuum, vinique, & gummi, quod mastiche dicitur, bonitate, multum celebrata, hodie, præ reliquis prouinciis Turcicæ tyrannidi subiectis (præterea, quod desperatis defensione & auxiliis, depositis armis, sponte in Turcarum deuenerit potestatem) tolerabilem habet seruitutem.

CHIOS.



IERVSALEM

VRBS AITSINGERI DESCRIPTIONE, ILLVSTRATA.

SATIS fortasse fuisset (optime lector) Ieroſolymam ciuitatem, olim ſanctam, ita deſcripſiſſe, quemadmodum eleganter præſtitit vir doctrina, & eloquentia excellens Dominus Georgius Braunius, niſi idem me familiariter impuliſſet, vt meam quoque Ieroſolymæ ciuitatis deſcriptionem (quam anno 1582. cum totius terræ promiſſionis Topographia & hiſtoria edidi) ſuo vrbium Theatro, adiectis quibuſdam ad rem vſumque ampliorem neceſſariis, inſererem, atque vrbis eleganti manu Franciſci Hogenbergij ad viuum expreſſæ typum illuſtrarem. Cui libenter morem gerens, hæc quæ ſequuntur verba ſubijcere volui.

HIERVSALEM, quæ viſio pacis interpretatur, vrbs eſt in tribu Beniamin, in qua regnauit Adoni-Zedech, & poſt eum tenuere Iebuſæi, è quibus ſortita eſt vocabulum, quod multo poſt tempore Dauid exterminans, totius eam Iudææ prouinciæ Metropolim fabricatus eſt, eò quod ibi locum templi conſtituerit, & impenſas ſtructuræ Salomoni filio reliquerit. Hanc eſſe Ioſephus refert, quæ in Geneſi ſcribitur Salem. Sub Rege Melchiſedech, qui obuiauit Abrahæ redeunti à cede Regum, offerens illi panem & vinum. Hieruſalem tribus appellatur nominibus, IEBVS, SALEM, & HIERVSALEM. Dicta eſt etiam Elia, ab Helio Adriano Cæſare, quod eam à Tito Veſpaſiano deſtructam, ſecundum prophetiam Chriſti, latiore ſitu inſtaurauerit. Dicebatur ſancta ciuitas, propter templum, & ſancta ſanctorum, ob diſtinctionem aliarum vrbium, in quibus idola gentium colebantur. Ieruſalem & Sion vna & eadem eſt ciuitas. Sion enim arx eſt Hieruſalem. Vrbs Hieruſalem in medio gentium ſita eſt, vt Propheta Ezechiel teſtatur vmbilicum terræ, eam eſſe demonſtrans: Et Pſalmiſta natiuitatem exponens Domini: veritas inquit de terra orta eſt, & iuſtitia de cœlo proſpexit, Ac deinceps paſſionem; operatus eſt, inquit, ſalutem in medio terræ. In quinto anno Roboam aſcendit Seſac Rex Aegypti, in Hieruſalem, & tulit theſauros domus Domini, & theſauros Regios, & vniuerſa diripuit. Hæc vrbs inclyta, cum à Chriſtianis habitabatur, Patriarchali ſede inſignita erat, Patriarchæ autem, qui fuerint, Regnorum Imperiorumque mundi Pentaplus noſter, Imperatori Rudolpho II. dicatus, abundè demonſtrat. Hanc ciuitatem Hieroſolymam ſeparat, à monte Oliueti ac valle Ioſaphat Chimartus, id eſt, torrens. Cedron, eſt in quo Dominus noſter Ieſus Chriſtus bibit, iuxta prophetiam Dauid Prophetæ dicētis: De torrente in via bibit. Supra finem torrentis, & verſus montem Oliueti, oſtenditur vſque in præſentem diem, ſepulchrum Zachariæ Prophetæ, filij Barachiæ, quem occiderunt Iudæi inter templum & altare: Mons Oliueti eſt ad orientem vrbis Hieruſalem, frugiferis arboribus conſitus: in eo Dominus noſter erudiebat diſcipulos, torrente Cedron interfluente, vbi vltima veſtigia Domini humo impreſſa, etiamnum hodie monſtrantur, vt inquit D. Hieronymus in Matth. 21. Tomo 9. Verùm huius ciuitatis ad viuum expreſſas imagines ac delineationes cum ſingularum patrium deſcriptionibus ad oculum, vide libri primi Chartam 52. & ſecundi, chartam 54. ciuitatū orbis terrarum Franciſci Hogenbergij, cum deſcriptionibus D. Georgij Braunij, maxime verò deſcriptionem, quam vnà cum Charta Hieroſolymitana venerandus ille Dominus Chriſtianus Crucius Delphus hìc edere molitur. Hactenus verba quidem, quibus generaliter, tum vrbem Hieruſalem ita deſcripſi:

Cum autem biennio poſt, hoc eſt anno 1584. Chriſtianus ille (piæ memoriæ) ſuam quoque Ieruſalem ederet, ingenuèque me fateretur, illi Hieroſolymitanæ vrbis, totiusq; terræ ſanctæ tabulam communicaſſe, Hieruſalem eandem illius, non ſolùm hìc ſubijcere; verùm duplici quoque, Topographica nimirùm atque Hiſtorica deſcriptione illuſtrare volui.

Confecerunt antea quidem multi tabulas, quibus vrbem exprimerent Hieroſolymam. Delineauit eam etenim ex Canonicis Vltraiectenſib⁹ quidam Iohannes Schorel nomine, anno 1542. Hermannus Burcloo anno 1538. VVolfgangus VVeiſſenburgius, anno 1542. Bonauentura Brocardus, anno 1544. Tilmannus Strella, anno 1557. Adamus Reyſner Germanus anno 1559. Fabius Licinus Venetus anno 1560. & Chriſtianus Schroten anno 1570. Verùm Chriſtianus hic noſter Adrichom, illum Chriſtianum ſecutus, Franciſci Hogenbergij inſignis illius artificis manu, delineatam, ita ſculpi curauit Hieroſolymam, vt, quos nominaui præcedentes, longè omnes, meo quidem iudicio, ſuperaſſe videatur. Hic enim ad intelligendi facilitatem multùm profuiſſe numeros animaduertens, illos, quos terræ promiſſionis chartæ, idem Hogenbergius anno 1582. me authore inſculpſerat, libelloq; meo accommodauerat, Chriſtianus idem, poſtea in Hieroſolymæ ciuitatis charta fieri curauit, quæ quidam charta manentibus vbique numeris ſuis conſequenter hic inſeritur.

IERVSALEM, et suburbia eius, sicut tempore Christianis Christianum Adrichom Delphum.

Christ' pass' est, quæ religiosè à scripta per

SEPTENTRIO.

Castra Romanorum 259.

Castra Pompeij 64.

Mons Septentrionalis 264.

Silua frugifera 207.

Hortus Gredia 264.

Mausoleum Helenæ 265.

Castra Chaldæorum 238.

Stagnum Serpentum 268.

Fanum Chamos 193.

Vicus Jerusalem 270.

Mons scandali 193.

Via in Diospolin 208.

Via in Anathot. et Bethel 208.

Collis Gareb. 260.

Monumentum Herodis 265.

Turris Angularis 169.

Porta Turrium mille 164.

Turris Tur rium 172.

Turris Psephina, alias Iosa 175.

Porta Ephraim 137.

Mons Caluariæ 233.

Christus Jesus tibi Tu te Christo

Sepulchrum Domini 239.

Porta Angeli et Benjamin 193.

Monumentum Apullonis 194.

Turris Ananeel 168.

Porta Gennath 159.

Via à Sion et Calum. 246.

Porta Vetus Judiciaria 160.

Monumentum Antiquum pontificis 237.

Balsphara 230.

Castra Herodis 231.

Salomon 236.

Porta Sterquilinij 163.

Regia Monobazi 74.

Fons Draconis 183.

Stephanus 201.

Horrea Oliueti 188.

Villa 187.

Sepulcrum B. Mariæ

Murus tertius, 150. qui et Agrippa dicitur.

NOVA CIVITAS 147.

Platea BEZETHA 147.

Turris Hippici 141.

Mediatorris 133.

Castrum Assyrior. 149.

Bezetha mons 148.

Murus secundus 135. qui et Medius 136.

Porta media 138.

Porta Ephraim 151.

Monumentum Ioan. Pont. 155.

Xystum 145.

Regia 137.

Amygdalis stagnum 126.

Palatium Herodis 137.

Turris Mariamne 142.

Turris Phasselus 143.

Porta ferrea 137.

Xenodochium 145.

Domus Olde propè 148.

Habitatio Rechabitæ 151.

Domus Martæ 157.

Lacus 152.

Porta Essenor. 67.

Murus Primus 34. qui et antiquus 54.

SECUNDA CIVITAS 123.

FILIA SION QVÆ

Porta Prior. 68.

Porta Struthionum 64.

Rupes eminens 164.

Amphitheatrum 28.

Regia Grapte 71.

Regia Bernices 71.

Acra mons 27.

Palatium Pilati Præsidis Romani 117.

Forum scrutarium 48.

Ecce Homo Xystus 120.

Piscina interior 61.

Piscina Probatica 65.

Antonia arx 20.

Forum magnum. 46.

Crypta 34.

Archium 50.

Domus Nathinæorum. 40.

Ophel. 55.

Habitacula.

Porta Aquæ.

Porta Equorum 66.

Sacerdotum 50.

Regia Gihonis 55.

Torrens VALLIS

MONTIS

Cedron

PHASELIS 204.

QVÆ

IOSAPHAT

Geth

Semanea

Olivetum

OCCIDENS.

ORIENS.

VALLIS

MONS

GIHON.

IERVSALEM

DE TRIBVS PARTIBVS IN QVAS VRBS IPSA DIstinguitur.

SVNT Ierosolymæ tres partes, Candide lector, in quas vrbs ipsa distinguitur. Vna, quæ ciuitas IVSTITIAE dicitur Isaiæ 1. altare quæ SANCTA Isa. 52. ac tertia quæ VERITATIS Zachariæ 8. Ciuitas illa Iustitiæ, quia tum olim, nouiter ad antiquam illam Ierusalem, cuius arx Sion, ciuitas autem præter arcem, filia Sion dicebatur accessit, NOVA propterea atq; secunda ciuitas nuncupabatur, quæ intrà noua mœnia, & antiquum siue primùm vrbis murum continebatur. SANCTA ciuitas autem ob id appellabatur, quòd Templum, & Sancta Sanctorum, in ea constituta reperiebantur. Hæc à muro antiquo ad votaginem illam, quæ Mello, & platea portæ aquarum, vallisque, Tyropœon quoq; vocabitur, protenditur. VERITATIS ciuitatem constituit, tertia pars vrbis, quæ mons Sion & ciuitas Dauid (cui veritatem Deus iurauit) à Dauide primo ex tribu Iuda Rege electo, sic appellita est. Ita, vt quemadmodum tota ipsa promissionis terra, quam Topographicè quoque atque Historice descripsimus, in tres, tempore Christi potissimum partes, Galilæam scilicet, Samariam, & Iudæam distincta fuit, sic Metropolis hæc & primaria illius terræ ciuitas, media velut in centro & instar vmbilici Ierusalem posita, itidem in tres partes distinguatur. De quibus partibus hæc quidem breuiter dixisse sufficiat, cùm in topographicis descriptionib' oratio quantumuis prolixa, sine demonstratione tamen, de qua postea dicemus oculari, parùm proficiat.

DE TOTIDEM PARTIBVS QVIBVS ET SVBVRBIA CIVITATIS discernuntur.

CONsequens ita est, Suburbia etiam in tres partes similiter ita distingui, vt PRIMAE partis suburbia discernant, illa quæ ciuitatem ambiunt, à porta scilicet antiqua, Iudiciaria, & veteri per montem Caluariæ, & scandali montem, vsq; ad montem Olueti, & portam sterquilinij, per quam Piscina vetus illa, & interior, in torrentem Cedron exoneratur. SECVNDAE ciuitatis suburbia, à porta quàm dixi Iudiciaria, vsque ad portam piscium protenduntur, idque ab occidua vrbis parte, nam ab oriente oppolita parte, suburbia, sese à porta fontis & aquarum iterum vsq; ad portam sterquilinij extendunt. Cæterum TERTIAE partis suburbia, à porta quam appellari piscium, per ordinem Gihon torrentis, sese in torrentem Cedron & eius pontem vsq;, qui montem Olueti ad orientem respicit, conspiciuntur. Atque hæc de vrbis & Suburbiis in tres vtrinque partes distinctis, generaliter ita satis est, breuiter indicasse. Nunc rem penitius ipsam introspicientes, singula persequamur in specie loca, quæ tam intrà quàm extrà mœnia Ierosolymitana occurrunt. Hactenus enim, vrbem non aliter inspeximus, quàm olim Moyses ille terram promissionis, quam vidit quidem, sed eandem non est ingressus. Ingrediendum itaque nobis est in Chartam hanc vrbis Ierosolymæ, ex sacris Bibliis, tanquam ex libro vitæ, in ciuitatem (quam Ioannes in Apocalypsi 22. appellat) Sanctam: atque indè in sacra Biblia, iterum auertendum. Nam hunc finem descriptioni nostræ, vrbis huius Topographicæ constituimus, in eumque scopum tendimus, vt ex hac charta, ipsa Biblia, atque vicissim ex Bibliis hanc vrbis Hierosolymæ Chartam, illustremus.

DE LOCIS SACRAE SCRIPTVRAE TAM VRBI QVAM SVBVRBIIS VTILITER ACCOMMODANDIS.

TRriplicia sunt loca, quibus sacra Scriptura, in Topographica hac nostra descriptione applicatur. LOCA CIVITATIS NOVAE, quam iustitiæ diximus, extrà mœnia sunt hæc quę sequuntur, 1 Vbi Christus in via Crucis mulieres alloquitur, Lu.23, 2 Mons Caluariæ, Matth. 27. Marc. 16. Lucæ 23. Ioan. 19. 2. Cor. 15. 3 vbi Christo vestes exuuntur, Matth, 27. Marc. 15. 4 vbi milites super vestes mittunt sortes, Ioan. 19. 5 vbi Christus supinus Cruci affigitur, Ioan. 20. 6 vbi Crux erigitur, Matth. 27. Mar. 15. 7 vbi de Cruce Christus deponitur, Luc. 23. Ioan. 19. 8 vbi Christus sepultus, resurgens, Matt. 27, Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19. 20. 9 Mulieribus occurrit, post resurrectionem, Matth. 28. Sequuntur alia loca 10 Castra Chaldæorum, 4. Reg. 25. Ierem. 39. 52. 11 Collis Gareb, Ieremiæ 31. 12 vicus Ierusalem, Nehem. 3. 13 Mons Oliueti, Iosue 15. 18. 2. Reg. 17. 3. Reg. 11. 15. 4. Reg. 23. 25. Psal. 3. Isa. 11. Ierem. 39. 52. Eze. 11. Daniel 11. Zachar. 14. Luc. 21. 22. 24. Ioan. 8. atque hæc quidem extrà mœnia. Intra mœnia verò sunt: 14 Castrum Assyriorum 4. Reg. 18. 19. 2. Par. 32. Isa. 9. 30. 15 Portæ Ephraim 4. Reg. 14. 2. Par. 25. 26. Nehem. 8. 12. 16 Turris Furnorum, Nehem. 3. 12. 17 Porta anguli, 4. Reg. 14. 2. Par. 25. 26. Ierc. 31. 37. 38. Zachar. 14. 18 Turris Ananeel, Ierem. 31. Zachar. 14. Nehe. 3. 12. 19 Murus secundus, 2. Para. 31. Neem. 3. 12. 20 Palatium Herodis, Luc. 23. Act. 12. 21 Secunda ciuitas, 4. Reg. 29. 1. Para. 34. 22 Domus Oldę Prophetæ, 4. Reg. 22. 2. Par. 34. 23 Locus intra duos muros, Isa. 22. 24 Habitaculum Rehabitarum, Ierem. 35. 25 Domus Mariæ matris Ioan. Act. 12. Hactenus de locis primæ ciuitatis. LOCA SECVNDAE CIVITATIS, SANCTAE scilicet, extra mœnia ad occidentem, sunt, 26 vbi Christus post resurrectionem cum Discipulis cuntibus in Emaus loquitur. Marc. 16. Luc. 24. 27 via in Bethlehem, Act. 8. 28 vallis Raphaim, 2. Reg. 5. 1. Par. 14. 29 Fons Gihon superior, 4. Reg. 20. 2. Par. 32. Eccles. 48. 30 Mons Gihon 3. Reg. 1. 31 Baal Pharasim Campus, 2. Regior. 3. 1. Par. 14. Extra mœnia ad orientem loca sunt. 32 Castellum contrà vos, vt inquit Christus, Matth. 21. Marc. 11. Luc. 19. 33 via in Iericho Engaddi, Luc. 10. Matth. 11. 34 Sepulchrum vulgi, 4. Reg. 23. Ierem. 26. 35 Bethphage Matth. 21. Marc. 11. Luc. 19. Ioan. 12. 36 Christus Asinæ insidet, Matth. 21. Mar. 11. Luc. 19. Ioan. 12. 37 Bethania, Matth. 21. 26. Marc. 11. 19. Luc. 10. 19. 24. Ioan. 11. 12. 38 vbi Christus huius vrbis Ierosolymæ destructionem prædicit, Matth. 24. 25. Marc. 13. Luc. 21. 39 vbi Iudas Christum tradidit, Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. Iohan. 18. 40 Octo Apostoli Christum orantem expectantes, Matth. 26. 41 tres alij expectant, propius. 42 Hortus Olueti, Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 18. 43 Vallis Iosaphat, 3. Reg. 15. 4. Reg. 23. 2. Par. 15. 29. 30. Ioel 3. Zach. 14. Matth. 25. 44 Stephanus lapidatus, Act. 7. 45 Fons Draconis, Neem. 2. Intra mœnia loca sanctæ ciuitatis sunt. 46 Porta prior Zachar. æ, 14. 47 Porta Sterquilinij, Neem. 2. 3. 12. 48 Turris excelsa 2. Par. 26. 49 Porta equorum Neem. 3, 50 Porta aurea Ezechiel 43. 44. Luc. 19. Ioan. 12. 51 Forum rerum venalium, vbi S. Iacobus capite plexus Act. 12. 52 Piscina vetus, Isa. 22, 53 vbi Christus eecidisse traditur, Matt. 27. Mar. 15. Luc. 23. 54 Maria & Iohannes steterunt, Ioan. 19. 55 Regia Bernices, Act. 25, 26. 56 Gymnasium 1. Mach. 1. 2. Mach. 4. 57 Palatium Machabeorum, 1. Mach. 13. 58 Palatium Pilati Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19. 59 Piscina natatoria, 2. Reg. 20. 2. Par. 32, Eccl. 40. 60 Portæ Sion, Psal. 86, 61 Forum Scrutarium, Neem. 3. 62 Piscina probatica, Ioan. 5, 63 Ophel turris, 2. Paralip. 72. 33. Neem. 2. 11. 64 Domus Nathinæorum, Neem 8. 65 Porta templi occidentalis, 1. Par. 26. 2. Par. 23. 66 Porta Custodiæ, Neem. 12. 67 Porta templi australis, 1. Par. 26. 68 Porta anguli, 4. Reg. 14. 2. Par. 25. 26, Ierem. 31. 37. 38. Zach. 10. 69 Porta templi orientalis, 4. Reg. 11. 15. 1. Par. 9. 26. 2. Par. 27. Actorum 3. 70 Palatium Salomonis, 3. Reg. 7. 2. Par. 8. 9. 71 Thronus Salomonis, 3. Reg. 10. 2. Par. 9. 72 Palatium Reginæ Salomonis, 3. Reg. 7. 9. 2. Par. 8. 73 Domus saltuum Libani 3. Reg. 7. 10. 2. Par. 9. Isa. 22. 74 Via introitus equorum, 4. Reg. 11. 2. Par. 23. Ioan. 19. 75 Templi Domini, 3. Reg. 5. 6. 7. 8. 9. 4. Reg 25. 2. Par. 2. 3. 4. 5. 7. 36. 1. Esd. 3. 5. 6. 1. Mach. 1. 4. 6. 13. 16. 2. Mach. 3 Act. 2. Matt. 4. Mar. 13. Luc. 2. Ioan. 7. 8. 9. 10. 76 Sanctum Sanctorũ, Exod. 26. Leuit. 16. 23. Numer. 19. 29. 3. Reg. 6. 2. Par. 3. 4. 5. Heb. 9. 13. 77 Arca fœderis, Exod. 25. 37. 40. Numer. 17. Deut. 31. 2. Par. 36. 1. Esd. 1, 2. Mach. 1. 2. Hebr. 9. 78 Propiciatorium aureum, Exod. 25. 37. 79 Sanctum Exod. 26. 29. Leuit. 10. 3. Reg. 6. 1. Par. 23, 24. 2. Par. 3, 4. Ezech. 44. Luc. 1. Heb. 9. 80 Mensa aurea, Exod. 25. 26. 37. Leuit. 24. 1. Reg. 21. Marc. 2. 81 Altare Thymiamatis, Exod. 30. 37. Leuit. 2. 1. Mach. 4. Luc. 1. 82 Fons aquæ perennis, Exod. 47. Iere. 3. 83 Candelabrum aureum, Exod. 25. 26. 27. 37. Leuit. 24. 84 Columnæ Booz & Ioachim, 3. Reg. 7. 1. Mach. 3 85 Porticus templi, 3. Reg. 6. 2. Par. 9. 86 Atrium Iudæorum, 3. Reg. 6. 2. Par. 4. 6. Eze. 40. Luc. 3. Ioan. 10. Act. 3. 4. Heb. 9. 87 Concha ærea, 3 Reg. 7. 2. Par. 4. 88 Locus vbi Iudæi volucrunt lapidare Christum, Mar. 11. Ioan. 8. 9. 12. Actor. 8. 89 Altare Holocaustor, Exod, 27. 38. Leuit. 6. 9. 2. Par. 4. 2. Mach. 1. 5. 90 Mare æneum, Exo. 30. 38. 3. Reg. 7. 2. Par. 4. LOCA CIVITATIS DAVID extra mœnia sunt. 91 Via in Bethlehem, Actor. 8. 92 Fons Gihon inferior, 2, Par. 33. 93 Vallis fontis Gihon, 2. Par. 35. 94 Iudas se suspendit traditor, Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19. 2. Cor. 5. 95 Torrens Gihon, 2. Par. 32. 33. Neem. 2. 96 Fons vbi stella tribus Magis iterum apparuit, Matth. 2. 97 Fouea Ieremiæ Prophetæ, Thren. 1. 2. 3. 4. 5. 98 Antrũ Petri, Matt. 26. Lu. 24. 1. Cor. 1. 99 Roge mons, 4. Reg. 15. 2. Par. 26. Amos 1. Zachar. 14 100 Danielis fouea. Dan. 14. 101 Monumentum Absalon, 2. Reg. 18. 102 Isaias à Manasse occisus, 2. Par. 33. 103 Sepulchrum Zachariæ. 2. Par. 24. Matt. 23. 104 Gehinnon, Matt. 10. 105 Mons offensionis. 3. Reg. 11. 4. Reg. 23. 106 Torrens Cedron, 2. Reg. 15. 3. Reg. 2. Ierem. 31. Eze. 47. 107 Mons Scandali, 3. Reg. 11. 4. Reg. 23. 108 Fons Siloe, Isa. 8. 22. Neem. 3. Ioan. 9. 109 Via in Iericho, Luc. 10. Mar. 11. 110 Mello vorago, 2. Reg. 5. 3. Reg. 11. 4. Reg. 12. 1. Par. 11. 2. Par. 32. Intra mœnia ciuitatis loca. 111 Turris Dauid, Cant. 4. 112 Lapis angularis, Psal. 11. Isa. 28. Neem. 3. Matt. 21. Act. 4. Rom. 9. 1. Pet. 2. 113 Porta palatij pontificis, Neem, 3. 114 Porta Horti Regis, 4. Reg. 25. Ierc. 39. 52. 115 Turris Siloe, Luc. 13. 116 Porta fontis, Neem. 2. 3. 12. 2. Par. 23. Ier. 19. 31 117 Porta superior Sion, 2. Par. 23. 118 Domus Annę Pontificis, Iohan. 18. 119 Mons Sion, Psal. 2. 23. 47. 86. 2. Reg. 5. 1. Par. 11. 15. Isa. 1. 2. 49. Ioel 2. 3. 1. Mach. 4. Luc. 2. Act. 13. 120 Piscina Sion, Neem. 3. 121 Tabernaculum Sion, 2. Reg. 6. 7. 3. Reg. 8. 1. Par. 16. 2. Par. 5. 122 Cœnaculum Sion, Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. 24. Ioan. 13. 20. Act. 1. 2, 6. 15, 123 Arx Sion, 2. Reg. 5. 7. 11. 3. Reg. 1. 4. Reg. 23. 1, Par. 6. 17. Ier. 17. 1. Mach. 13. 14. Luc. 1. 124 Domus Vriæ, 2. Reg. 11. 23. 125 Torcularia Regis, Zachar. 14. 126 Hortus Regis, 4. Reg. 21. Neem. 3. 127 Palatium Caiphæ, Matth. 26. 27. Mar. 14. 15. Luc. 22. 23. Ioan. 18. 128 Sepulchrũ Dauid regis, 3. reg. 2. 11. 2. Par. 24. 26. Neem. 3

Enumerati hactenus Arithmetica serie numerorũ ea per ordinem loca, quorum in Bibliis sacris expressa fit mentio. Vt inde ex vrbis Ierosolymæ Charta, in Biblia ingredi, atque ibidem, quid nam rerũ suo quoq; tempore gestum actumq; sit, intelligere queas. Occurrat tibi Exempli gratia in vrbis Ierosolymæ Charta palatium Pilati. Idę in ordine numerorum præcedente, sub numero (58) inueniẽs, statim videbis in Bibliis de rebus eo loci gestis, legendum esse capita Euangelistarum Matth. 27. Mar. 13. Luc. 23. Ioan. 19. atque ita, de aliis quibuscunque locis in charta occurrentibus similiter ex vrbe Ierosolyma, in Biblia erit ingrediendum.

DE LOCO EXTRA ET NTRA VRBIS MOENIA CONSTITVTIS, SACRIS viciſſim literis applicandis.

REstat, vt eodem quoque Exemplo ostendamus, quomodo vicissim ex Bibliis in Chartam huius vrbis Ierosolymæ regrediendum. Idque Alphabetica locorum serie, quæ sequitur, Vbi (vt exemplum prosequar) sub littera p Palatium eiusdem Pilati à latere asscribuntur numerus & litera, 8 k. Numerus 8 à latere chartæ querendus est ex viginti duobus illis per ordinem, vnus: & litera k ex quatuordecim illis literis à capite tabulæ inscriptis etiã vna. Si enim postea à numero (8) iam dicto, dexterã versus eousq; progrediaris, donec sursum (k) literam ad perpendiculum digito imminere videas. Videbis tum enim & eodem loco in Charta Palatium Pilati digito monstratum, quod obserua. Nam hòc pacto reliquis per vniuersum omnibus locis in Charta inquirendis, idem facies. Sed locorum seriem prosequamur, vnico, sic vtrimque exemplo contenti.

ACheldema ager 22 l Aera mons 11 d Ager fullonis 19 m Agrippæ Herodis monumentum 2 l Alexandri monumentum 5 k Altare holocaustí 13 l 89 Atare Thymiamatis siue incensi aureum 13 k 81 Amigdalum stagnum 6 f Amphiteatrum 8 d Ananiæ domus 15 f Anatoth via 3 m Angularis turris 2 m Annæ Pont. Domus 19 k 118 Antiochi Epiphanis arx 10 d Antiquus murus 16 g Antonia arx 10 k Antrum Petri 21 e 98 Apostolorum trium locus 9 p 42 Apostolorum octo locus 10 n 40 Apostolorum latibula 22 g Aqua è Templo 13 n Aquila aurea 12 m Arca fœderis 12 k 77 Archiuum 10 g Arx Antiochi Epiphanis 10 d Arx Sion 19 g 123 Asinæ Iesus insidet 14 n 36. Assyriorum Castra 3 k 14. Atrium gentium 13 m Atrium Iudæorum 13 c 86. Baalpharasim campus 8 b 31 Beronices regia 10 f 55 Bethania 13 q 37 Bethphage 14 q 35. Bezetha noua 4 f Bezetha mons 4 k Cæsarium regia dòmus 18 f Caiphæ palarium 20 e Cancellaria 10 g Candelabrum aureum 13 k 83. Cantorum suggesta 13 l Capheteta 12 n Carcer ciuitatis publicus 4 d Carcer regius 4 d Castellum contra vos 16 q 32. Castra Assyriorum 3 k 10. Castra Herodis 10 b Castra Pompei 1 d Castrum Pisanum 12 d Cæcidit Christus 10 h f. 6 b, 4 b. 53. Cedron vallis 18 n Cherubin 13 k Cisterna iuxta Bethaniam 12 q Ciuitas secunda 5 f 21. Christus ad mulieres conuersus 6 b 1. Christus mulieribus occurrit 6 c 9. Christus supinus in cruce 2 b 5 Cœnaculum anguli 8 m Cœnaculum Sion 20 f 122. Collis Gareb 2 k 11. Collis Oliueti 17 p Columnarum petra 17 p Columnæ Booz & Ioachim, 12 l 84. 89. Concha ærea 12 l 87. Concilij domus 14 k Crux erecta in monte Caluariæ 9 h 6. Cruce deponitur 2 a 7. Crypta subterranea 10 k Curia 7 g Cypressi montis Sion 18 l Dauid turris 17 d Danielis fotiea 21 g Destructionem vrbis Ieremias prædicit 12 p Domus Annæ pont. 19 k Domus Ananiæ Pont. 15 f Domus Annæ matris Mariæ 8 m Domus diuitis Epulonis 7 c Domus Concilij 13 k Domus Eliæ 22 l Domus fortium 18 h Domus Mariæ 19 g 25. Domus Messa 12 h Domus Nathineorum 10 l 64. Domus Oldæ Prophetæ 5 l 22. Domus Phariseorum princip. 9 g Domus saltus Libani 15 m 73. Domus Simonis Phariſæi 9 f Domus Veronicæ 8 d Domus Vriæ 19 k 124. Domus vulgi 9 c Eliæ Domus 22 l Emaus quò discipuli 17 a 26. Efraim platea 6 g Ephebiæ 15 f Efraim porta 2 g Erebinticus vicus 1 h Eroge mons 22 f Eutipi canales 5 e Excelsa turris 14 n Exedræ 12 k Fanũ Astaroth 12 p Fanum Melchom 19 p Ficus arida 16 q Filia Sion 7 g Fons aquę perennis 13 k 82. Fons Draconis 7 n 45. Fons Gihon superior 12 b 29. Fons Gihon inferior 19 b 92. Fons Rogel 18 p Fons tribus magis 21 e f 96. Fontis Gihon vallis 19 b Fontis porta 7 n Fortium domus 18 h Forum magnum 10 h Forum superius 19 f Forum materiarum. Forum pecuarium 11 f Forum rerum venalium, 13 c 51. Forum Scrutarium 8 l 61. Fouea Danielis 21 g 100. Fullonis ager 21 f Furnorum turris 2 h Gabatha lithostroto 9 k Gareb Collis 2 k Gazid 7 g Gazophilazium 12 m Gehennon 20 q 104. Genath porta 5 c Gethsemani 9 p Gihon mons 9 b Gihon torrens 11 b Gradus arcis 18 h Gradus Sion 17 f Grapte Regia 10. c. Gymnasium Ephebiæ 12 f 56. Habitacula Rehabitarum 5 m 24. Habitacula Sacerdotum 14 l Habitaculum Scutariorum 13 g Helenæ mausoleum 2 g Helenæ regia 10 g Herodis Agrippæ monument. 2 l Herodis castra 10 b Herodis Palatiũ 5 e Herodis viuarium 5 d Hipodromus 15 g Holocausti altare 13 l Horologium Achaz regis 14 h Hortus & prædia. 2 g Hortus regis qui & hortus conclusus 19 p 126. Hortus Oliueti 8 p 43. Hortus regis 20 h Hospitale publicum 6 f Hippicos turris 4 p Iacobi antrum 21 m Ieremiæ fouea 22 g 97 Ierosolymæ destructionem prædicit 13 p 38 Ierosolymã ingred. 14 m Ioannes & maria steter. 2 a Isaias vbi à Manasse occisus 21 n 102 Iudas vbi se suspendit 21 b Iudas vbi Christum tradit 11 p 94. Iudiciaria porta vetus 6 c Lapidare vbi voluerunt Iudæi Christum 12 l 88. Lapis angularis vbi 20 c 112. Lapis Zoeleth 18 p Latibula Apostolorum 22 g Lithostrotos 9 k Locus ascensus Christi in cœlum 8 q Loc' inter duos muros 6 l 23. Locus inter templum & altare 12 l Lucus Moloch 20 q Mare æneũ 13 l 90. Mariæ dom' 6 l 25. Maria & Ioannes steterunt 8 h 54. Marziamme turris 3 b Media turris 4 f Melchõ Phanum 19. p Mello vorago 16 c 110. Mensa aurea 12 l 80. Mesia domus 12 h Moloch lucus 20 q Monabaz. reg. 7 m Mons Caluariæ 3 b 2. Mons Gihõ 11 b 30. Mons moria. 12 h 14 Mons offensionis 20 p 105. Mons Oliueti 9 q 13. Mons Eroge 22 f 99. Mons Scãdali 2 n 107. Mõs Sion 17 g 119, Monumentum Absolom 22 q 101. Monumentum Alexandri 5 k Mons Septentrionalis Monumentum fullonis 3 m Monumentum Herodis Agrippæ 2 l Monumentum Io. Pontificis 5 g Murus primus, qui & antiquus 16 g Murus secundus 4 l 19. Murus tertius, qui & extremus 3 c. Natatoria Siloæ fons 18 n Nathincorum dom' 10 l 64. Noua ciuitas 3 f Offensionis mõs 20 p Oldæ Prophetæ domus 5 l 22. Oliueti mons 9 q Ophel turris, arx 10 m 63. Palatium Caiphæ 20 c 128. Palatium Herodis 5 c 20. Palatium machabeorum 13 f 57. (Palatium pilati 8 k 58.) Palatium Salomonis 15 k Palatium reginæ Salomonis 15 k 72. Palmæ 16 p Petra columbarũ 17 p Phaselus turris 6 d Pisanum castrum 12 d Piscina interior 9 h Piscina probatica 9 m 59. 62 Piscina Siõ 18 f 120. Piscina superior 21 k Piscina vetus 13 c 52. Platea lata quæ & platea Ephraim 6 g Pons Cedron lapideus 16 n Pons Sion 16 h Pontifex vbi, 13 k Porta anguli 3 m 17. 68 Porta australis templi 14 k 67. Porta aurea 13 n 50. 94 Porta custodiæ 15 m 66. Porta Ephraim 2 g. 15 Porta equorũ 11 m 49. Porta Essenorum 6 m Porta fontis 21 h 116. Porta Genath 3 c Porta horti 16 n 114. Porta Iudiciaria 6 c Porta media 4 g Porta noua 13 k Porta occidentalis 13 g 65 Porta orientalis 13 n 69. Porta Palatij Pont. 21 e 113. Porta piscium 16 b Porta prior 6 g 46. Porta sacra 13 l Porta Sion 17 m 60. Porta sterquilinij 7 m 47. Porta superior 17 h 117. Porta vallis 14 n Porta turrium mulierum 2 f Porta mur. 12 n Porta vetus iudiciatia 6 c Porticus columnarum 15 k Porticus templi 13 c 85. Porticus & pons 11 l Principis Phariseorũ domus 9 g Probatica 11 f Propiciatorium aureũ 12 k 78. Psephina turris 2 d Regia Beronices reginæ 10 f 55. Regia Grapte 10 e Regia Heleneæ 10 c Regia Monabaz reg. 7 m Rogel mons 22 n 99. Romanorum castra 1 f Romanorum præsidium 18 Rupes eminens 10 c.

SAlomonis Thronus 15 h 71. Saltus Libani dom' 15 m 73 Sanctum 13 k 29. Sanctum Sanctorum 13 k 76. Sapha, id est specula 1 g Scandali mons 1 g Schola gentiliũ 12 f Scribit Christus digito 11 m Secunda ciuitas 6 f 21 Secundus murus 4 g Sedes regis excelsa 13 l Sepulchra vulgi 15 n 34. Sepulchrum Dauid 19 d 129. Sepulchrum domini gloriosi 3 a 8. Sepulchrũ Isaiæ 21 n Sepulchrum Mariæ 11 p Sepulchrum S. Stephani 20 f Sepulchrum Zachariæ 21 n 103. Siloe fons 17 n 108. Siloe turris 18 m Siloe vallis 20 n Simonis Phariſæi domus 9 f Sion filia 7 g Speluncæ regiæ 3 l Stagnum amigdal. 6 f Stagnum serpentum 1 l Stephan' vbi lapidat' 8 m. Strapedion 5 d. 4 e Stratonis turris 5 g l Strutium stagn. 5 k Sugesta cantorum 13 l Superior porta 3 l Sylua citari proxima 21 c Sylua sletus 15 b Sylua frugifera 1 e Tabernaculum Sion 18 f 121. Tabularium 10 g Templo eijcit Christus vendentes 14 m Templum Domini 13 k 75. Templum & altare 13 k l Theatrum 12 f Thron' Salomonis 15 h 17 Thymiamatis altare 13 k Torcularia regis 19 l 125. Torrens Cedron 8 n 106. Torrens Gihõ 20 l 96. Transitus Salomonis 14 k 71 Tribunal 9 k Tugurium 18 q Turris Ananeel 4 m 18. Turris angularis 2 m Turris buccinatorum 14 h Turris Dauid 17 d 111. Turris excelsa 14 n 48. Turris Furnorum 2 h 16. Turris Hippicos 4 e Turris magna 15 n Turris mariamme 6 c Turris Meah. 13 n Turris media Turris phasel 6 d Turris psephina 2 e Turris Siloe 18 n 115. Turris Stratonis 9 l

VAllis cadauerum 3 c Vallis Cedron 14 h Vallis fontis Gihon 20 b 93. Vallis Iosapaath 16 n 41. Vallis profunda 19 a Vallis Raphaim 12 c 28. Vallis Siloe 20 n Velum ex Hiacyntho 13 k Veronicę domus 19 k Vestes vbi Christo exute 2 c 3. Vestes vbi partitæ 2 b 4. Via agri fullonis 20 m Via captiuitatis Via crucis 8 h Via in Anatoth 3 m Via in Bethlehem 19 a 81. Emaus 19 a 27. Via in Iericho 20 m 33. 109 Via introitus equorum 15 c 74. Via in Samariam 2 g Via in Siloe 6 a Vicus Ierusalem 1 p 12. Vicus terebrinticus 1 h Viuarium Herodis 6 d Vorago siue vallis profunda 15 c Viræ domus 19 k Vulgi domus 9 c Xenodochium 6 f g Xistum in Herodis Palatio 4 e Xistus porticus 9 l Zachariæ sepulchrum 21 n 103. Zoeleth lapis 18 p. Hactenus Index, Qui si tibi, Candide lector, vna cum tota Descriptione hac nostra Ierosolymæ profuerit, id non mihi, sed Christo acceptum eras. Cui sit laus, honor, virtus, gloria, confessio & magnificentia, cum Deo patre, & spiritu sancto in sempiterna secula. AMEN.

59

Mons Moria 53.

Templum Domini 75.

Cherub. Arcæ 77.

Cherub.

Sanctum sanctorum 76.

Sanctum 84

Mensa 84

Pontifex

Altar thym 85

Thym 85

Candelabra 82.

Sanctum

Candelabra 82.

Boscolinus 89

Concha ærea 90.

Sedes Regis 97.

Altare holocausti 88.

Lachin colinus 89

Mare æneum 93.

Atrium Ludeorum 87.

Porta 94

Porta nova

Porta Sacra 95

Gazo phylacium 100.

Habitacula Porta Orientalis 102. Aquilæ aurea

Atrium

Orientalis 101.

Turris lucur. 109.

Porta 104.

Porta australis

Vallis Cedron 111.

Habitacula

Sacerdotum 50.

Thronus Salomonis 113.

Palatium Salomonis 59

Palatium

Reginæ 58

Via mercatus equorū 119.

Leuitarum 50.

Habitacula

Porta australis 108.

Habitaculum custodum templi 51.

Porta Occidentalis 107.

Domus Nasse 39

Forum rerū venalium 47

Ephebia 49.

Theatrum 112.

Gymnasiū. 49.

Palatium Machabeorū postea Agrippæ 56.

Piscina vetus 65.

S. Jacobus 47.

Domus Annæ pont. 36

Hippodromus. 52.

CIVITAS INFERIOR. 26

Mons Moria 53.

Porta Sion 19.

Mello Vorago, 16. quæ et Platea portæ aquarum atq; vallis Tyro pæon 16.

Porta Sion 20.

Porta Sion 21.

Porta Sion 20.

Porta Sion 20.

MONS SION, CIVITAS DAVID, QVÆ ET SVPERIOR 2.

Piscina Sion 18.

Cæsareum 5. Agrippium

Domus fortium 9.

Gradus

Tabernaculum Sion 24

Sepulcrum Davidis, et regum Iudæ 22.

Fabrica Caiphæ, et summi cuiusq; pontificis

Dom. S. Mariæ 3.

Cœnaculum Sion 6.

Dom. Ann. Pont. 8.

Torcularia Regis

Bethsabee 11.

Cypressi Sion 7.

ARX Sion.

Porta horti regis 160.

Porta palatij pontificis 161.

Sepulcrum Isaiæ 225

Sepulcrum Zachariæ 229.

Piscina superior 228.

Castra Assyriorum 220.

Isaias. 225.

Monumentū Absalō. 227.

Fons 223.

Antrum Petri 219.

Fouea Iconiæ 224.

Eroge mons meridionalis 222

Insula Apostolorū 220.

Gehennom, vallis Ennō, et Tophet 186.

Mons Offensionis. 191.

Idolum Moloch 186.

Lucus Molochi 191.

Fanum Melchom 191.

Hortus Regius, qui et Horius conclusus 189.

Petra Columbarū. 196.

Fons Rogel 189.

Lapis Roboā 189.

Cedron. 204

Vallis Siloe. 205

Siloe

Fons Piscina

Porta Fontis et aquæ

Pons

Via ex Iericho et de Iordane 209.

Via in Engaddi, et ad mare mortuum 209.

Cisterna 182.

Bethania. 179.

Bethphage. 180.

Castellum contra vas. 181.

Fanum Asfaroth. 192.

Porta aurea, et Orientalis 206

Porta Gihon 207.

Porta aurea

Fons Gion superior 233.

Via in Iopen, et ad mare 245.

Porta piscium et negotiatorū 162.

Via in Emaus 24.

257.

Via in Bethlem et Hebron 245.

Via in Gaza. Aegyptum et Aethiopiam. 245.

Torrens Gion 241.

Vallis Fontis Gion 243

Fons Gion inferior 232

Silua 240.

Judas 234.

Torrens Dauid 176.

Silua 238.

Silua 240.

PHA

IM 244

Vorago seu Vallis profunda 177.

INDEX.

A.

ro. ALOSTVM & Aldenardum in Neruiis à Gothis circa annum à partu virginis CCCCXI castella fuisse extructa, locumque à VVandalis dictum VVant, Meierus in Annalibus Flandricis auctor est. Ea namque tempestate, tanto numero Germani Rhenum transiuerunt, vt Belgicam omnem, aut submotis, aut victis incolis occupauerint. Qua de re D. Hieronymus ad Geron-tiam; Innumerabiles, inquit, & ferocissimæ nationes vniuersas Gallias occupauerunt, &c.

15. AMORFORTIA

ANSEATICI Teutonici fœderis, quia frequens, in multis variorum opidorum descriptionibus mentio incidit, statui hic semel eius societatis originem, causas, loca, quot etiam membris & ciuitatum numero constet, enarrare, &, in Hanseaticorum opidorũ enarrationibus, Lectorem huc semper remittere. A quadringentis propemodum annis retrò, Hanseatica Societas plurimarum conspicuarum ciuitatum, in laudabile S. Romano Imperio, cunctisque Regibus ac Principibus Christianis gratum probatumque corpus coaluit, non in aliud, quàm, vt cum animorum concordia, opum, bonorumque vim propulsarent, certisque legum & salutarium constitutionum mediis, commerciorum mercatorumque vltro, citroque commeantium securitatem conseruarent, securitatem, inquam, nõ quamlibet, sed optimis legibus, disciplinæque regulis, variis exornatam, eo tendentium, quo nõ tantum inter commercia exercentes, morum honestiorisq; vitę, tum etiam sanctarum legum ratio constare, ac conseruari, sed & immoderata cupiditas, sine discrimine aut delectu, quaslibet res, ad quoslibet externos barbaros, inprimis verò Christianis Principibus inimicos perferendi, damnosa licentia, moderatione cohiberi, ac ratione cõstringi, intraque sua septa contineri posset.

Porro, illud laudabile, sociarum ciuitatum corpus, HANSA TEVTONICA, Gothico, antiquiori vocabulo, nuncupatũ, ex conterminis Vrbibus Balthici maris, Oceaniq; Germanici accolis, initio sumpto, à Finico sinu, ea parte, qua Liuoniam respicit, ad tractum vsque Rheni coactum, quia prædictis suis salutaribus legibus, breui tempore pulcherrimi instituti propositique insignem docuit effectum, redditisque terra marique pacatis itineribus, honestis, ac disciplina ornatis cõmertiis, viam aperuit: Ab externis maximis Regibus, Principibusq;, ita gratum, probatumque habitum fuit, vt illius subditos, Mercatores Hanse Teutonicę appellatos, domicilij iuribus in suis Regnis cohonestandos, variis etiam priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibusque prouocandos existimarent. Quæ res tamen, in diuersis regnis Emporiales Curias, sedesque (Contoria vocatas) constituendi occasionem dedit. Quarum quatuor potissimę multo tempore fuerunt. Prima, eaque antiquior Brugis in Flandria, nobilissimo Belgię Comitatu. Altera Lundini, in Anglia ad Tamesin. Tertia Nouogardiæ, Magni Ducis Moscouiæ ciuitate. Quarta, Bergæ in Norvvegiæ Regno. Tres priori loco nominatæ, etiamnum hodie extant quidem, sed turbato rerum statu, parum quietæ. Quarta verò ob non præstitam à Magnis Moscouiæ Ducibus securitatem, à centum propemodum annis, in vsu esse, frequentarique desiit. Etsi variis de causis, vtilitate cæteris præstantior fuerit.

Quo autem istius dictæ Hanseaticæ societatis Emporiumque res stabiles, magisque firmæ essent, nec à quibusuis facilè turbarentur, aut temere suis iuribus exuerentur, primis eius auctoribus operæ pretium visum fuit, alicuius magni, atq; insignis Principis vicini auctoritate, protectioneq; res Emporiorum communes confirmare, stabilireq;. Quam ad rem, cum magnæ societatis Marianorum in Prussia quondam Magistri, præ reliquis omnib⁹, quam maximè idonei visi sunt, istis ipsis Hanseæ societas protectionis honorem deferẽdum existimauit, nec id temerè, sed magnis magnã consideratione dignis de causis,

Primum, quod societatis Hanseæ Emporiorumque res protegi, defendique eorum Magistrorum inprimis interesset, propter vicinum Magnum Moscouiæ Ducem, ne illicitis, ac legibus olim Imperatorum, tum etiam salutaribus eiusdem Hanseæ constitutionibus contrariis commereiorum exercitiis, vetita aduectione auri, argenti, ferri, cupri, ac similium rerum ad vsum apparatumque bellicum necessariarum eius potentia augeretur, inque vicinam Liuoniam iuris Marianorum Prouinciam armaretur.

Deinde, quod hic idem societatis Marianorũ Magister, ea maris Balthici loca, portus, ac fluminum ostia exitusque possideret, per quæ variarum mercium genera copiosa mercatorum asportatione, commerciorum beneficio, ad omnia externa regna Lusitaniæ, Hispaniæ, Angliæ, Galliæ, inferioriscque Belgicæ opulentissimas prouincias, sese quasi exundarent. Ideoque is esset, qui & ciuitatum sociarum & Emporiorum iura defendere, conseruareque posset.

Itaque & res ipsa edocuit, & probatę Historie testantur, quo modo ciuitatum sociarum Emporiorumq; iuribus saluis defensisque, non solum barbarorũ vicinorum potentia, excrescere, vires, augmentaque sumere non potuerit, disciplinæque hebenis moderata commercia, vbique gentiũ floruerint, sed & Christianorum Regum potentia, magna cum tranquillitate, pace, & quiete subditorum incrementa sumpserit.

Contra verò, res ipsa loquitur, ac præsens deplorandus Liuoniæ status, omni commiseratione dignus, palam facit, Serenissimus etiam Polonorum Rex, ea, quæ ad manum est, experientia consequitur, quanto discrimine Christianæ Reipub. à pauci annis quo omnis cura Hanseaticorum Emporiorum iura defendenda deposita fuit, Barbarorum non tantum potentia, sed & fastus cum intolleranda superbia excreuit, eoque audaciæ pertulerit, vt neminem timendum amplius, sed quosuis armis crudelissimè infestandos putauerint.

Cæterum, cum in dubium trahi posset, vtrum tantorum bonorum cum adeo extremis malis calamitatibusque facta commutatio ex Emporiorum ruina, eorundemque iurium violatione, originem traxerit, operæ pretium est, paulo propius informari de legibus & disciplina sociarum ciuitatum Emporiorumque, ex multis, potissimas quasque constitutiones in medium proferẽdo.

At primo quidem eam, qua vetitum fuit periculo capitis, ne quisquam qui iuris Hanseatici non esset, emporia frequentaret.

Secundo, Ne quisquam via regia relicta, per anfract⁹ circumuagando, vetitos prohibitosq; portus frequentare auderet. Cur hoc? Ne isto præter tu, quid prohibitarum mercium clam inuehendi pateret via, Emporiorumque Præsidibus visitationis inuectarum, cuius generis merces, prohibiti ne, an liciti essent, media eriperentur, præsciderenturque.

Tertio, vt omnis commercandi ratio cum Barbaris, sola permutatione constaret, ne quisquam emptionis ac venditionis vsũ exercere posset, idque ad conseruationem executionemque earũ legum Imperatoriarum post Gothicas excursiones promulgatarum, quibus sit seuera prohibitio, ne non tantum Barbaris aurum non præbeatur, sed etiamsi apud eos inuentum fuerit, subtili auferatur ingenio.

Quarto, ne ad eosdem Barbaros quisquam metallorum genera, puta, cuprum, ferrum, ac similia tormentorum aliorumue armorum conficiendorum vsibus apta, aut talium artium opifices manuarios importare, introducereue auderet, prout hæc, istiusque generis complures similes constitutiones inter salutares ciuitatũ Emporiorumque leges inueniuntur. Quas quidem leges, constitutionesque salutares, quoniam Emporiorum Præfecti Mercatores vltro, citroque commeantes ad amussim cõseruare coegerint, in transgressores seuerè animaduertentes, non potuit Barbarorum excrescere potentia. Itaque vicini alma pace cum magna securitate fruentes, omnem hostilem Barbarorum impetum facile euitarũt, suas verò Christiani vicini Reges ac Principes vires potentiamque in immensum auxerunt.

At vero, postquam nuper nostra memoria, iacente iam prorsus ac deposita restaurationis Nouogardici Emporii spe, Britannica gens sibi fas esse putauit socijs Hanse ciuitatibus impunè insultare, vt à quibus capite quasi destitutis, nihil metuendum amplius foret, Quomodo non tantum barbarorum legatos ad se euocare, eosdemque diuinis penè honoribus in Angliæ Regno excipere, deque inusitata, nec audita vnquam antea Residentiæ sede, non procul à S. Nicolai portu contrahere, concludere, eandẽque iam viginti quatuor annorum frequentatione confirmare ausi fuerint, quia publicum, notoriumque est, eandemque audaciam & Daniæ Rex valde ingratam habere, incusare, & coërcere incipit, probatone alia non indiget.

An verò non etiam ista permissa circumnauigandi, inconsuetaque loca frequentandi licentia Barbaros omni genere armorũ, magnaque tormentorum copia, nec non & auectione omnis generis metallorum locupletauerit, si quis negare volet, is ante probet necesse est, Barbaros, illorum copiam abundantiamque, antistam vsurpatam licentiam, habuisse, quod nemo facile in se proe bandum suscipiet, cum publicæ Rom. Imperij salutares constitutiones, talium commerciorum vsum, sub grauissimis pœnis interdicentes, rei veritatem probent.

Manifestũ ergo ex his est, quæ superius de præstantia, atque excellentia Nouogardici Emporij, qua reliqua superasset, obiter dicta sunt, verissima esse, Ideoque Christianæ Reipub. imprimis verò Serenissi. Poloniæ Regis interesse, vt ea Emporialis residentia, loco commodo atque oportuno, pro horum temporum conuersione ac præsenti rerum Liuonicarum, quam Moscouiticarum statu, in integrum restituat,

Hæc ita in genere, de Emporiorum Hanse Teutonicæ initio, progressu, vtilitate, casu & restauratione breuiter dixisse sufficiat.

Ad tractum verò, siue situm Hanse Teutonicæ, eiusque membra, ac distributionem, tum denique etiam ciuitatum singularũ numerum & nomina quod attiner, res in hunc modum se habet.

Hansa Teutonica, vt supra diximus, ab extrema parte Finici sinus qua Liuoniam respicit, initium sumens, & ad Rhenum vsque se extendens, multarum diuersarumque Prouinciarum tractum

continet, qui Hanſæ ambitū ſiue circulum, vt vocamus, complectitur, videlicet Liuoniam, Boruſſiam, Pomeraniā, Megalopoliā, Marchionatum Brandenburgen. Saxoniam, Holſatiam, Ducatus Luneburgenſem & Braunſuicenſem; Epiſcopatus Magdeburgenſem, Halberſtatenſem, Hildesheimenſem, Bremenſem, Furdenſem, Oſnaburgenſem, Monaſterienſem, Paderbornenſem, Mindenſem: Comitatus Schauvvenburgenſem, Hoienſem, Oldenburgenſem, Lippenſem, Drepfeldenſem: Item Ducatus Geldrienſem, Iuliacenſem, Cliuenſem, Montenſem, & Zutphanienſem Comitatum. Tranſiſulana quoque Prouincias, & Friſiam Septentrionalem.

Porro, iſtorum Ducatuum, Epiſcopatuum, Comitatuum, ac Prouinciarum Ciuitates præcipuæ cum ſuis appertinentiis, ſubiectis oppidis, villis, pagis, caſtris, non omnes, ſed certo numero atque ex pacto, nominatim in ſocietatem receptæ & admiſſæ, Iuris Hãſeatici cẽſentur. Diuiditur autem Hanſa Teutonica in quatuor Regiones Lubecenſem, Colonienſem, Brunſuicenſem, & Boruſciæ prouinciam.

Lubeca, ex conſenſione, totius Hanſeatici fœderis caput, ac ſuæ etiam Regionis primaria ciuitas ſub ſe habet Vrbes Hamburgam, Roſtochium, VVismariam, Stralſundam, Luneburgũ; Ex harum ſex vrbium arbitratu conuentus, vel totius Hanſæ, vel aliquarum, prout res exigit ciuitatum præcipuarum indicantur, conſcribunturque.

Habet autem Lubeca præter iſtas ſex ciuitates, quas VVandalicas vocamus, ſub ſe Pomeraniæ Vrbes, Stetinum, Anclemium, Golnauam, Gribſvvoldam, Colbergam, Stargardam, Stolpam.

Colonia Agrippina, primaria ſecundæ Regionis ciuitas ſub ſe habet, VVeſaliam, Duiſburgum, Embricam, VVarburgum, Vnnam, Hammam, vrbes Cliuen. & Marckenſes. Monaſterium, Oſnaburgam, Tremoniam, Suſatum, Herfordiam, Paderbornam, Lemgouiam, Bilefeldiam, Lippiam, Coſſeldiam. Et has quidem VVeſtphalicas: Neomagium, Zutphaniam, Ruræmundam, Arnhemiam, Venlonam, Elburgum, Hardericũ, Gelricas ciuitates. Ex tranſiſulanis, Dauentriam, Syvollam, Campos. In Friſia Septentrionali, tres, Groningam, Bolſvverdam, &c.

Brunſvviga, primaria tertiæ Regionis Hanſeatica ciuitas, has ſub ſe continet Saxonicas ciuitates, Magdeburgam, Goſlariam, Embecam, Gottingam, Hildesheimium, Hannouerium, Vlſam, Buxtehudam, Stadam, Bremam, Hammelen, Mindam.

Gedanum ſiue Dantiſcum, quartæ Regionis, & Hanſæ & primaria Boruſſiæ ciuitas, quæ Prouincia, & Ducatus vniuerſus, cum omnibus ciuitatibus, oppidis & pagis, Iuris Hanſeatici eſt. Præcipuas ciuitates habet, Regiomontium, Colmariam, Thornam, Elbingam, Brunsbergam, & cum his tres in Liuonia ciuitates, Rigam, Dorpatum, & Reualiam, quæ germanico vtuntur idiomate, reliquis Prouinciæ incolis peculiari, ignota, & barbara lingua loquentibus.

De his ſacri Romani Imperij ſociis Hanſæ ciuitatibus, multa præclarè geſta Crantzius, aliique Hiſtorici commemorant, præter ea, quæ earundem ſociarum Ciuitatum Regeſtis ſiue Receſſibus continentur, quæ omnia enumerare, nimis longum eſt.

Conſtat, mediantibus his ciuitatibus maxima ſæpe bella ſuppreſſa, earum quoque arbitriis, vicinorum Regum ac Principũ diſcordias ſopitas, inobedientes ac refractarios in officio retentos fuiſſe, idque vel S. Romani Imperii Auguſti is requirentibus, vel iſporummet Principum, aliquando etiam communitarum ſubmiſſione, ea compromiſſi forma, vt, ſi quæ contendentium partium, earum rerum, quæ aquæ & iuſtæ viſæ eſſent, vel ſuſcipere, aut adimplere nollet, ſocietas Hanſæ tota in parentis, conuentaq; aut arbitrata obſeruare volentis, partes tranſire, eius defenſionem ſuſcipere, eandemque conſilio, opibus, & armis iuuare poſſet.

Quomodo verò iſtius Hanſæ Teutonicæ ſalutari concordia, ne Germania noſtra, ipſa quoque Italia ab externis Principibus, exorbitantib⁹ nouis impoſitionib⁹ cõcuti poſſet, totis propemodũ quadringẽtis annis auerſum, prohibitumq; fuerit, quia notorium eſt, atque ex iis querelis, quas Imperij ordinib⁹ in Comitiis Ratiſponenſibus, & poſtremis Auguſtanis ſociæ ciuitates exhibuerunt, ſatis conſtat, nihil opus eſt ea ſingillatim cõmemorare.

Tantum hoc vnum addam, ad pacem publicam, inq; ipſis ciuitatibus cõcordiam conſeruandã, ac ciuiles ſimultates, ſeditiones, inteſtinoſque motus citra cædem & ſanguinem compeſcendos, Hanſam Teutonicam adeo ſalutares ac ſanctas habere leges, vt meliores excogitari nequeant, quas, ſi in vſum reducere liceret, haberemus haud dubiè Reſpublicas magis pacatas, & conſtaret Magiſtratibus ſua auctoritas, ſubditorum quoque ac ciuium integra eſſet obedientia, quod noſtræ etiam ætatis exemplis comprobari poſſet, niſi de Principum virorum erratis aliquid dicere, periculoſum eſſet.

48. ARIMINVM, Romanulæ in Italia Opp. munitum & elegans, cuius memoriam vſurparunt perſæpè Liuius, Cæſar in Cõmentariis, & Lucanus. A Vitige Gothorum Rege, quondam grauiſſima obſidione preſſum, & a Ioanne Vitaliano Imperatoris Iuſtiniani præfecto, egregiè defenſum, Procopius, Blondusq; tradiderunt. Arimini concilium habitum, circa D. Hieronymi tempora, cui ipſe præſens fuit, Leander ex aliis perhibet, cæterũ ab Eccleſia Romana, id inde fuiſſe recisum.

22. ARNSPERGVM.

8. S. AVDOMARI FANVM Arteſiæ Vrbs munitiſſima, opulẽta, & præpotens, ædificiis pulcherrimis, ac ſumptuoſis decorata, Anno quinquageſimo nono, poſt fatalem Morini caſum, Cathedrali eccleſia exornatur, quæ Cameracenſem antiquã Metropolitanam agnoſcit: In noua Epiſcopatuum Belgij conſtitutione inchoata, cuius quidẽ inter cæteras hæc cauſa fuit. Confecto, quod cum Henrico Gallorum Rege Philippus Hiſpaniarũ Rex, mortuo Diuo Carolo Quinto, & Maria Vngariæ Regina, ad ordinandam Prouinciam reuocaretur, ſurrogata ſibi Margarita Auſtria, quæ pro abſente, Belgium regeret, veritus, ne ſummotis, quod curaturum ſe promiſerat, Hiſpanorum præſidiis, his, qui nouæ Religionis cupidi eſſent, fœminæ, quanquam fortiſſimæ, præfecturam, in occaſionem raperent, qua libertas graſſarentur, nihil æque cauendum ſibi duxit, ab his, qui rebus præfecti erant, quàm vt darent operam, ne quid ſacra detrimenti caperent. Quod, quo facilius fieret, vt noui, per celiberrimas quaſque ciuitates ordinartẽur Epiſcopi, ipſe tunc à Paulo IV. Pont. Maximo, & obnixè petiit, & non multo poſt tempore, impetrauit. Nam, latiſſimè tot prouinciis, tot vrbibus imperans, vix vnum, atque alterum ſuæ ditionis Epiſcopum habebat. Tres itaque in ſuo Belgio Archiepiſcopatus, ſiue Metropoles erexit, Mechlineam, Cameracum, Vltraiectum, & tredecim cathedrales ſedes, quas trium Metropolitanarum ſuffraganeas eſſe voluit.

Mechlineenſem, nouam Metropolitanam, nouis Epiſcopatibus præeſſe voluit Anuerpienſi, Gandauenſi, Brugenſi, Iprenſi, Buſcoducenſi, Ruræmundenſi.

Cameracenſi Metropolitanę ſubiecit Atrebatum, Tornacum, antiquas Epiſcopales ſedes, ex nouis verò, Audomarum, & Namurcum.

Traiectenſi, Archiepiſcopali, nouas attribuit ſedes Epiſcopales, Harlemenſem, Dauentrienſem, Leouardienſem, Gruningenſem, & Middelburgenſem.

B

87. BERGA, præcipua Norvvegię Vrbs, recta in Septentrionem inter montes poſita, antiquiſſima eſt, vt, cuius Pomponius Mela, Plinius, & alij Græci ſcriptores meminerũt. Ita enim Mela: Thule, Belgarũ, inquit, littori appoſita, eſt Graiis & noſtris celebrata carminibus. In ea, quod Sol longe occaſurus exurgit, breues vtique noctes ſunt, ſed per hyemen, ſicut alibi, obſcuræ, æſtate, lucidæ, quod per id tempus iam ſe altius euchens, quanquam ipſe non cernatur, vicino tamen ſplendore proxima illuſtrat: per ſolſtitium verò nullæ, quod tum iam manifeſtior non fulgorem modò, ſed ſui quoque partem maximam oſtendat. Hæc Pomponij verba, & vera ſunt, & ſitum Thules, & eius dierum & noctiũ varietatem, & crepuſculorum longitudinem, & Bergenſem hanc vrbem ſibi cognitam manifeſtè declarant, ſi illud; Longe occaſurus, ſic capiatur, vt intelligamus, Solem longo tempore circa Horizontem, velut occaſurum, verſari, & vix tandem occidere. Si ſic legeremus, Quod ſol longe occaſurus breui exurgit, clarior eſſet, & apertior ſententia. Nec mirandum, ſi vocula deſit, cum Pomponiang ſententię initium mendoſum eſſe, Becanus accuratè obſeruauit. Pro eo enim, quod ſcriptum eſt, Thule Belgarum littori appoſita, legendum, Thule Bergorum littori oppoſita. Vadianus, cætera parum ad rem facientia philoſophatus, locum mendoſum reliquit, nec excuſari lectio poteſt, errore in ipſum Melam reiecto, cum hic perſpicuè demonſtret, ſe optimè nouiſſe, Thules à Belgarum littore immenſum interuallũ diei longitudine annotata. Ne verò quis putet me de recentiorũ obſeruatione mendum hoc tollere, atque ideirco putet, Bergos Pomponio nõ fuiſſe notos commentitiumque hoc eſſe, quod dico, Plinium audiamus, Sunt, inquit, qui & alias produnt, Scandiam, Damnam, Bergos, maximamque omnium Nerigon, ex qua in Thulen nauigatur Bergos haud dubie, Plini⁹ ex Pomponio, vel eius præceptoribus accepit, vt nihil dubitandum ſit, quin Bergorum littus, non Belgarum; & oppoſita, non appoſita, ſit legendum. Ex quo & illud liquet, diligentiorem Melam fuiſſe, qui noſcet Bergorũ, qui populi Norvvegiæ ſunt, littori oppoſitam Thulen. Cum Plinius Bergos, à Norvvegia ſecludat, Berga autem ſiue Barga, vel Bergen vt Pirckhamerus, vel Berges vt Sigiſmundus ab Herberſtein, vel denique Bergæ, vt ſpeculum; dictio eſt Cimbrica, cuius interpretatio, vrbis ſitum, portus, capaciſque nauium ſtationis, commoditatem haud ineleganti conſideratione, ex Becani philoſophia deſignat. Berg, ſiue Barg, earum vocularum vna eſt, quæ conuerſa, contrarium notant. Primo ſuo ſignificatu montem indicat. A Barg autem fit Bargen, ſiue Bergen, quod eſt abſcondere & occultare. Et quia, quæ conſeruata volumus, maximè occultamus, transfertur vox ad conſeruationem: Hinc dicimus, Scepenbergẽ, pro eo, quod eſt naues in tuta ſtatione collocare, atque ex eo, nomen Berg, ad portum, ſtationemque nauium ſignificandam, tranſiuit. Primi enim parentes, à diluuio in montibus ſe ſeruãrunt ab vndis, ad cuius rei memoriam ſempiternam, omne genus conſeruationis occultationiſque, qua nos à periculis tuemur

à montis

à montis nomine appellarunt. Quod ſi autem retrogrado modo, hanc dictionem Barg, legas, cotrariũ, & tamen idem deſignans, ſonabit. Grab enim ſignificat omnino deorſum, ſiue depreſſum, quo nomine, quoduis genus foſſę intelligitur, & inter alia, ſepulchrũ. Hinc Bergen, portum etiam deſignat, eò quod in eo naues ab Oceani furore ſeruentur, & in tuto extra periculum, collocentur. Vtranque nominis rationem, Vrbis Bergenſis ſitus, accuratè defendit. Quippe, que montib⁹ vndiq; altiſſimis cincta, ampliſſimo etiam portu, tutiſſimum nauibus receſſum præbet. Antiquiſſima autem hæc vrbs, cuius priſci illi Græci, & Pomponius meminerunt, hactenus ſedes eſt Epiſcopalis, ſub Metropoli Nidroſiana, & totius Norvvegiæ, ſiue Nerigi, vt cum Plinio balbutiam, nominis claritate, principatum tenet, mercatumque habet, vt celeberrimum, ita noſtris hominibus, à piſcibus, vento induratis notiſſimum, quos illinc tanta copia exportant, vt toti propemodum Europæ cibaria præbeant.

DE ETYMOLOGIA CIVITATIS BERGENSIS IN NORVVAGIA SITAE.

Norvagia regno ſubiecta eſt Berga potenti
Vrbs meritatura ſat bene nota ſua.
Vrbibus hæc aliis Hanſa ſe fœdere iunxit,
Non contemnendum quas decus, inter, habet.
Nec, quod in acceſſos eſt inter condita montes
Temporibus priſcis Berga vocata fuit.
Sed quod voiſens ſtatio eſt ſatis apta carinis
Naufragio merces eripit atque graui.

7. BETHVNIA elegans Arteſiæ op. de cuius appellatione ſi quid loci coniecturæ noſtrati relinquitur, ſalua aliter ſententium, & acutiorum gratia, (quorũ alij Beth-uniam, alij, ſi diis placet, Bethuliam finxerunt) ad eruendam nominis Bethuniæ, etymologiam; contenderem è Flandrica lingua, vti plurima apud Atrebates, ortum apud quos, Thuyn; Thuynen, & Bethuynen; eſt, ſepes ſiue ſepimentum; & ſepire, ſiue ſepibus circundare, vt Bethunia ſit, quaſi locus circũ ſeptus, quæ primigeniæ fuere fortaſſe loci munitiones. Sic, Beuri, pagus Bethuniæ ad primum lapidem proximus, è Flandrico idiotiſmo, Gallicę ſonat, Lien affeure & bien contregardé, quaſi dicas, locum natura atque arte tutum, atque inacceſſum. Nec ſitus, vtrobique, huic etymo, nec loci repugnat conditio, quæ talis eſt, vt nullas hoſtium fraudes, quæ per cuniculos conſtrui poſſint, Bethunia pertimeſcat, vt, cui mirabilis rupes, firmam & ſolidam ſtationẽ præbeat, quæ non huic tantum patriæ, ſed & in toto hoc tractu vicinis multa commoda ſuppeditat. Efficit enim, vt domus integras, aulas, conclauia concamerataſ cellas, citra cæmentum, calcem, & lateres, naturæ beneficio, aſſabrè conſtruant, excauantes, & ſcitè concamerantes ex ſolido ſaxo, oportuna ad habitandum loca. Vnde etiam vicini ſilices longè petunt, quibus plateas ſuas conſternant. Hi autem viciſſim grata permutatione, panem pro lapidibus præbent, dum Hebdomadatim cum ſuis frumentis Bethunienſe forum frequentant.

17. BOLZVARDIA vetus & Hanſeaticum Friſiæ oppidum.

49. BONONIA, quæ quondam Felſina, Romanulæ, in Italia vrbs, ſcientiarum fons, arcanorum Imperatoris apiarium, perennis ſtudij ſedes, dicitur. Cuius primordium, in quàm diuerſas ſententias auctores grauiſſimi trahant, nimis longum foret hic recenſere: quod Leander in ſua Italia prolixè commemorat. Quẽadmodum & nobiliſſimos ſcriptores refert, qui honorificentiſſimam Bononiæ memoriam celebrarunt. Ita & varia Reipub. forma, diuerſęque mutationes, non niſi prolixa narratione, recenſeri poſſent, quod & idem Leander partim in ſua Italia, partim peculiaribus libris, quos de Bononia quatuor & ſeptuaginta conſcripſit, omnium accuratiſſime præſtat. Præſtantiſſima autem Academia valdè eſt celebris, quam Azo, legalium ſtudiorum ſemper monarchiam tenuiſſe, Petrus Anchoranus veram ſtudiorum matrem, Gloſſa verò L. final. C. de teſta. legum nutricem appellat. Et gloſſa prooc. lib. Decretalium, ea quæ iſtic præcipiuntur, Bononienſiſque Academiæ alumnis inſcribuntur, omnes alias vniuerſitates obſeruare debere confirmat. Hinc Gregorius PP. IX. ſuos Decretalium Epiſtolarum libros, Bonifacius VIII. librum ſextum, Academię Bononienſi inſcripſerunt. Clemens V. in Cõcilio Viennenſi decreuit, vt præter omnium liberalium artium ſtudia, Hebraica, Arabica, & Chaldæa lingua, publicè traderentur. Sed nonnihil collapſam Academiam, Carolus Magnus, ſic inſtaurauit, vt non tam ornaſſe, & promouiſſe, quàm inſtituiſſe credatur. Paulatimq;, vt fit, ſummorum Pontificum, & Imperatorum munificentia, ita excreuit, vt bonorum ſtudiorum mater & parens appellaretur: atque hoc ipſum nomen ſuum, non iam amplius ab authore, vt Cato ſcribit, nec à bonitate, & natura loci, ſed ab optimarum artium ſtudiis, retinere videatur. Nam, gloſſa in Clemẽt. 1. de magiſtris: Dicitur, inquit, Bononia, quaſi ſuper omnia bona, vel bonorum notitia, nimis amabilis. Conſtantinopolitanus Patriarcha Beſſarion, vetuſtiſſimum Bononienſe gymnaſium, negligentia, & ſeditionibus ciuium penè intermiſſum & collapſum, non modò ædificiis, verum etiam inſtitutis & melioribus ſalariis inſtaurauit, ac reſtituit. Hieronymus Oſorius ingenij excolendi gratia, Bononiam potiſſimum veniſſe ſe ſcribit, quia ex multorum ſermone dedicerat, nullam Italiæ ciuitatem eſſe cum Bononia literarum gloria, comparandam. Florent enim, inquit, ibi multi doctrinis Græcis & latinis eruditi, multi, in omni philoſophiæ genere excellẽtes, multi præterea, dicendi facultate præſtantes, & in omni liberali doctrina ſumma cum laude verſati. Quid dicam de vtriuſque Iuris ſtudio? cum illud conſtet, Bononienſes Iureconſultos, omnibus, qui ſe huic grauiſſimæ diſciplinæ dediderunt, admirabile ſemper acuminis & prudentiæ lumen prætuliſſe, &c. Azonis tempore, decem milia ſtudioſorum Bononiæ fuiſſe, Odo refert. S. P. Q. Bononienſis, quadraginta propemodum coronatorum millia, ſingulis annis in Profeſſores exponere prædicatur.

24. BOPARDIA, poſt S. Goari Oppidum, ſiniſtrum Rheni latus occupans, impingnorationis iure, ad Archiepiſcopatum Treuirẽſem ſpectat. Vnde autem denominationem fortitum ſit, ſi monumentis veterum ſemotis, recentiores coniecturas examinare placebit, non à Poppone Fuldenſi Abbate (quid enim eius loci Cenobiarchæ, cum Bopardia negotij?) Non, à Poppone Treuirenſi Archiepiſcopo ſeptuageſimo ſexto, deducemus, cum illius etiam tempore, immediate adhuc, ſub Imperio fuerit. ſed à natura loci, portuſque bonitate deriuatam appellationem dicemus, quaſi, Bon port, pro Boppart dicendum foret. Quo illius Epigrãmatis auctor reſpexiſſe videtur, quod in Veſtalium Virginum choro, ad S. Martinum extra muros, ibidem legitur, hoc titulo.

EPIGRAMMA, AD PIVM HVIVS CARMINIS LECTOREM, IOANNIS FLAMMINGI BONPORTVENSIS.

Multus in hoc quondam Chriſti pro nomine ſanguis
Sanctorum effuſus creditur eſſe loco.
Plura beatorum ſunt corpora ſancta reperta
Sub terra, multos qua latuere dies,
Inuentumq, fuit latijs Epigramma figuris,
Inſculptum ſaxo, quod poſuere pij.
Enſis & appoſitus fuerat, quo caſa feruntur
Corpora ſanctorum, quando tulere necem.
Propterea hanc ſacram, quicunque intraueris ædem,
Dic, precor, atherea luce fruatur tuo.
Quem cœleſtis amor, pietas ac ſancta coegit
Ad Chriſti laudem, hunc ſic reparare locum.
Qui modo neglectus ſenio foret, atque iaceret,
Si pius hunc iterum, non renouaſſet Iuo.
Sic igitur longos, locus hic, veneratur in annos,
Vnde Deo laudes, perpetuumq, decus. 1516

Certè, ſi oportunitatem ſitus, vim abundantiam præſtantiamque, ſi lignorum, & earum omnium rerum, quas vitæ neceſſitas poſtulat, abundantiam conſideres, ſi oppidanorum elegantiam, vrbanos iucundoſq; fales, quibus ſuauiſſimè ſe exercere & reficere ſolent, conſideres, nõ immeritò Boppardiam hanc noſtram, à ſitus, portuſque bonitate, nuncupatam putabis.

In vetuſtis etiam literis inuenitur, Bopardiam ſitam fuiſſe, in Comitatu Bertholdi, ſub Henrico Imperatore quarto, Anno M. LXXX. Quis autem iſte Bertholdus, aut quãobrem hic tractus, ita nuncupatus fuerit, Bopardienſibus, in ſuis Archiuis inueſtigandum relinquo.

Gaſpar Bruſchi⁹ cẽturia prima de præcipuis Germanię Monaſteriis Mariæ montem Bodobrigium, vel Monaſterium B. Virginis Mariæ in Monte extra muros Boppardienſes ità deſcribit: Paululum, inquit, à Rheno ſupra ciuitatem verſus Hunnorum præſidia ſitum: Benedictinæ profeſſionis Monialium à ciuibus eius vrbis primum cœptum ac conditum eſſe legitur: Priuilegiatum verò à Pont. Max. Gregorio ſeptimo, ſubiectum S. Matthiæ Treuirenſi Cœnobio, temporibus Henrici quarti Rom. Imperatoris. Poſtea verò à Frederico ſecundo Imperatore liberaliter donatum eſt, qui Cœnobiũ collapſum inſtaurari curauit, & in tuitionem ſuam recepit, XX. Calendarũ Maii, Anno Domini 1220. Circa quæ tempora donatum etiam legitur ab Arnoldo Treuirorum Archiepiſcopo Eccleſia Nenningenſi. Eſt huic Monaſterio vicinum aliud eriam Cœnobiolum Monialium, tertiæ regulæ S. Franciſci, D. Martino nuncupatum. Et è regione eius, in

altera Rheni ripa Campium, ciusdem ordinis ac professionis Franciscanæ Monasterium: quæ vtraque ex piorum hominum Electorumue & collationibus portus, quam principum munificentia emerserunt.

45. BRIXENA, Comitatus Tyrolensis opp. Cathedrali sede, multisque commoditatibus nobile, ad Isarum, siue Isacum fluuium, situm, qua, ex Germania, & potissimum Augusta in Italiam est iter. Vberrima, lætissimaque vineta, & agros bene cultos, ostentat.

12. BVSCODVCVM, primariarum Brabanticarum vrbium vna, quæ homines armorum vsu, & bonarum artium cognitione præstantes, edere, nunquam cessat. Inter quos Guilhelmus Enchefortius S. R. Ecclesiæ Cardinalis, creatus ab Adriano sexto. Georgius Macropedius, eruditarum linguarum peritus, Et non pauci alij. Pictor autem, quod visenda ipsius declarant, verè præstans & in arte mirus Hieronymus Buschius, de quo Dominicus Lampsonius, eius artis adprimè gnarus ita cecinit.

Quid sibi vult Hieronyme Boschi, *Aspiceres: Tibi diiis auari*
Ille oculus tuus attonitus? quid *Credrderim patuisse recessus,*
Pallor in ore: velut lemures si *Tartareasque domos, tua quando*
Spectra Erebi voltiantia eorum *Quicquid habet sinus imus Auerni*
Tam potuit bene pingere dextra.

4. CABALLONVM, siue, vt alij, Caballinum, in Gallia Lugdunesi oppidum, Ptolomæo. Cæsar Cabilonum vocat. Chalons, ad Ararim situm, interpretatur Marlianus, & cum eo, Vigenereus, valde famosum, historiarum monumentis, oppidum, olim habuit Comites, & sedes Regia fuit Gontrani, vt Francicus Bellosorestanus perhibet. Exinde, nundinis, quarum omnimoda est immunitas, binis, ornata, vtrisque, ad totum mensem durantibus. Alteris, Brandoniis, alteris, ab Augusto Mense, nuncupatis. Sed Cabillono, post, magnis affecto cladibus, hæ quoque nundinæ, alio translatæ fuerunt. Primo, quidem Geneuam, quæ vrbs tum etiam regni Burgundici erat, Deinde, Lugdunum, vbi nunc quoque habentur. Atqui, nulla tamen huius translationis habita ratione, Cabillonius Nomarcha, vsurpat nundinarum, ac Mercatuum Magistri, nomen, Id certè, ne prærogatiuum amittat suorum maiorum, Cum neque alioqui Cabillonum antiquas immunitates amiserit. Nam & hodie, quo anni tempore illæ nundinæ habebãtur, nemo Cabillonij Apparitor, seu Regius, aut alius, potest quenquam iure sistere, vel in eius bona manus iniicere. Cabellonij præterea, Patriciorum aliquem sibi vicinum, in suæ vrbis ducem militarem, ab sese delectum, repræsentant, sistuntq; non illi, qui nomine Regis, vrbi præest, sed vrbis Episcopo. Nam, antequam Burgundiæ Duces, Cabillonensem Comitatum sui iuris fecissent, accepto à Comite Cabillonensi Ioanne, filio Stephani Comitis Burgundiæ, & salinarum Principis, anno M. CC. LVI, Episcopus erat præcipuus vrbis dominus, ac Patronus, & edicta vulgabantur sub nominibus, Episcopi & Comitis, sed Episcopi, honoris, & prærogatiui causa, nomen præcedebat. Nunc, ciuitas pro dimidia tantum parte, in dominatu est Episcopi, pro reliqua, ipsius regis. Et Episcopus, suum nunc quoque habet in vrbe Nomarcham, Et vrbs ipsa, in duas diuisa iurisdictiones, partim Curiã habet iudicialem Castelli, quæ regia est, partim Episcopei & Canonicorum Cathedralis Ecclesiæ, in qua Episcopalis ille Nomarcha ius dicit.

Cabillonum olim Rempublicam habuit optimè instituram, & plateas, pro artificium varietate, distinctas, eamque vrbis partem, in qua Cerdones agerent, à Patriciorum, Magistratuum, simulque Ecclesiasticorum regione, seiunctam; Ciues autem omnes liberos ex quorum familiis, quæ antiquitate præcellerent, deligebantur ad Reipub. administrationem Senatores, quibus solis in conuentibus publicis, sententiæ dicendæ, auctoritas esset. Nunc, Cabillonij Prætorem, seu, vt vocant. Maiorem habent, senatorum vrbis Principem, isque in causis, ciuilibus, ius dicit, in ipsius vrbis Prætorio, Quod & in aliis Burgundiæ ciuitatibus, solenne, atque vsitatum est. Olim autem, eiusmodi Maior, potestatem habebat, non modò rerum ciuilium, verum etiam criminalium, Sed eam, qui sequuti sunt Nomarchiæ, sustulerunt.

Permultę sunt Cabillonij Patriciorum, ac Nobilium Burgundiæ magnificę domus, olim enim, Burgundiæ Duces, vt plurimũ illic agebant: eoque factum est, vt Cabillonorum plurimi, immunitatibus fruantur, soli nobilitati concessis. Et verò inter cæteros, Gallica lingua vtentes, Cabillonij, moribꝰ sunt ornatissimis atque ob egregiam, in conuictu, suauitatem, quam ipsa quoque sermonis elegantia, & festiuitas commendat, omnium, qui Gallicæ linguæ ornatui studeant, longè disertissimi habentur. Cabillonum ab Attila Hunorum principe vastatum, à Gontiano Rege, restitutum fuit, Isque in Cœnobio illic S. Marcelli conditus, pro dignitate regia, Mausolæum habebat. Quod Caluiniani, Anno M. D. LXII, euerterunt. Aliam etiam vastitatem per Lotharium Ludouici pij filium, sensit, Rursum tamen, restaurata vrbs, priores vires, & pulchritudinem recepit. Subiecta olim, Matisconensium Nomarchiæ, nunc quoque mensura vini Matisconensi vtitur Alioqui, rebꝰ, in diuersum mutatis, Nomarchiam propriã habet.

5. CAMARACVM, Vrbs Episcopalis & Imperialis, in medio quasi Belgio sita, Clero, & Mercatura nobilis, sed, quam nunc Gallus, aquilæ dolo eripuit. Illic S. Gaugerici quondam Collegium, editiore in loco (vbi nunc arx, tuendæ vrbi à Carolo V. ædificata) multis olim priuilegiis præstans, quorũ conseruandorũ causa, discordia orta inter ciues & Canonicos, de qua ita in Flandriæ Annalibus Meierus lib. XV. Ciuitas videns, grandia instare bella, munire oppidum suum cœpit, ex muris quorumcunque hortorum, etiam sacerdotum. Ad hæc Canonicis inhibẽt, ne post hac vinum vendant suis in cellariis. At Canonici, querelam ad Ducem deferunt, tutorem Ecclesiarum Cameracen. ratione Comitatus Flandrici, vti alibi narrauimus. Dux qui tunc agebat in Burgũdia Philippo filio negotium dat, vt Ecclesiarum ministros tueatur. Philippus cum trecentis equitibꝰ Hectorem mittit Sauosium eorum fines depopulaturn: qui cum non segniter, quod imperatum erat, faceret, tandẽ bene mulctari Cameracenses, pacem facere coacti sunt, reparato, quod sacerdotibus intulerãt, damno, redemeruntque à Canonicis vini venditionem censu annuo centum Francicorum regiæ monetæ.

1. CANTVARIA, in Cantio, Angliæ Regno Vrbs elegans, Archiepiscopatus honore præfulget, cuius Antistes vniuersæ Angliæ Metropolitanus ac primas, penes quem etiam Reges coronandi ius existit. XXI. Episcopos Comprouinciales sub se habet, Quorum Anglia XVII. VVallia autem IV. ambitu suo continet. Vrbs situ est præstans, fœlici prouentu diues, & aquis irrigua, vnde pascua ibidem plurima, & res pecuaria frequẽs.

In eius descriptione historiam Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi breuiter retulimus, de qua plura, contemporarij sui, qui eius vitam descripserunt, commemorant. Hubertus de Hoscham, eius indiuiduus comes, postmodũ Cardinalis & Aethiepiscopus Beneuentanus; Ioannes Salisberiensis, Episcopus Carnoti: Guilelmus Cantuariensis; Alanus Abbas Tenchesbyriæ; & Benedictus Abbas S. Petri de Burgo.

34. CHILONIVM.

57. CHIOS, oppidum eiusdem nominis Insulæ in Mediterraneo Mari, inter Samum & Lesbum, vnde sexaginta millia passuum distat, vt Plinius lib. 5. cap. 31. obseruauit, quam plerique Chiam, à Chione nympha, vt Robertus Stephani, alij, aliis nominibus adpellitant, vt apud Plinium videre est, loco iam dicto, Sed vrbs ipsa, ab Italis quondam decorata magnificè, nunc Turco subest, negotiatione quã cum Græcis exercet, inclita, fructus suauissimos, graues vuarum botros, & præ cæteris, poma aurea saporis præstantissimi, & quę in delitiis habentur, ad forum Byzantinum affatim mittit, Et confectas ex massa mastygis, lagenulas, siue vrciolos, ex quibus bibunt, qui gutturis aliquo malo laborãt. Chij mulieres, à pulchritudine, venustate, & candore laudantur, quę vt plurimum vestitu albo, vtuntur. Genus alunt perdicis, incredibili copia, Coturnice nuncupant, oculis, rostro, & pedibus rubris, sed plumis, alisque perdices referunt, euolant, ac redeunt, quemadmodum hic passim columbę, ac lautiores deinde mensas exornant.

28. COPENHAGEN, Vide Hafnia.

26. CORONEBVRGVM, Nobilis & famosa Zelandię Danicę Arx Frederici secundi opus ad fretum orsundt, ex opposito Scanię sita, Vnde ad vicinas Danię vrbes visus iucundissimo prospectu panditur. Hinc, Insula conspicitur Huena, cum nobilissima Arce Vraniburgo, musarum, & elegantissimorum artificum dulce receptaculum. Hinc iucundum est, videre, onerarias naues, mundi diuitiis onustas, ex orientali oceano in occidentalem, & vice versa, vltro citroque cõmeare, in ancoris deinde frequentissimo numero subsistere, & veluti opulentissimæ montium vene, aurum, non quidem infectum, sed purum, magna copia, ad Regium ærarium effundere. Hinc & scanicæ conspiciuntur vrbes Helfinburgum, Landskronia, Elbogen, cum adiunctis sibi regiis arcibus.

In hanc autem Coroneburgicam arcem, Pegasidum monitu, hæc Ranzouianum Musæum.

Arx Coroneburga mihi, quod dicitur, esse videtur:
Namque artium corona verè est omnium.
Imo, aliquid maius, quam dicitur, esse videtur,
Si vitè rem, nomenq; pensito simul.
Ergo mihi liceat si vertere nomina rerum
Regni coronam verè eam esse dicerem,
Consuetudo tamen vincat, nomenq; reseruet
Præsens, quod illi est inditum semel bene.
Si tamen hanc cernent ita Rex FRIDERICE, nouatam
Per te, politam pulchriusq; posteri
Agnoscant facile, tandemq; loquentu raperè:
Augusta id arce, nomen esse augustius.

29. CORONIA Scaniæ in Dania elegans & opulentum opidum ex vicini opidi ruinis, ad magnam celebritatem excreuit. Erat enim non ità pridem in finibus Gothiæ & Hollandiæ ciuitas Engelholmia, Christierni 2. Regis auspiciis condita, sub annum à nato Christo 1516. vel circiter, nunc pagus à Coronia versus Arctos & septentrionem, distans miliaribus Germanicis 4. ab Helsingoburgo vero versus ortum æstiuum & Boream, trib. tantum. Hæc à paruis initiis breui admodum tempore, mercimoniorum vsu, ac ciuium industria, in mediocrem creuit magnitudinem, & reliquis per Scaniam opidis haud leue damnũ inferre est visa. Oportuno enim loco ad Rhynam amnem percelebrem, haud procul ab eiusdem ostio vbi sese in mare exonerat, sita erat, vnde facillima esse potuit, quemadmodum in alias regiones occiduas, & Septentrionales, ita & in Hollandiam nauigatio, quæ ab Holmensibus exercebatur acri nimis ac indefesso studio. Necesse autem habebant Hollandi pariter, & Gothi, ac Sueci, siqui Helsingöburgum, aut Coroniam proficisci vellent, cum mercibus per Holmiam iter facere, vbi hodie etiamnum pons est prealtus, fluuio instratus, qui quicquid apportabant mercium, id ferè totum ab Holmensibus velut interceptum coemebatur, confluentibus eodem iis quoque, qui Meridiem versus habitantes. Helsingoburgum prius, aut Coroniam, vel ad alias ciuitates viciniores, mercandi causa commeare soliti fuerant. Holmiæ enim & sua vendebant carius, & si quid emendum erat, id plerunq; viliori precio venibat. Atq; hîc tum salua ciuitate, præter quotidiana mercimonia, vnus erat mercatus anniuersarius & longe frequentissimus, Iunio mense ferè medio, quando B. Bothulphi festum celebrari solitũ fuit, cui Diuo Templum Holmense erat consecratum. Cum autem passim quererentur & Coronenses, & Malmogenses, & Helsingoburgii, de interceptis hoc modo mercibus, & cõmoditatibus suis interuersis, resque ad harum vrbiũ interitum spectare videretur, siquidem Holmensibus permittenda essent consueta his mercimonia, gliscenti malo obuiam eundum ratus Christianus III. Holmensibus omnibus Coroniam migrare iussis, ciuitatem in pagi formam redegit, mercatumque illum anniuersarium percelebrem, vna Coroniam transtulit, Anno Domini, 1547.

35. CREMPA.

23. DANIA.

26. DANICVM FRETVM, OR SVNDT.

MINORES DANIAE INSVLAE EX ALBIS INGRESSV IVXTA HOLSATIAM, Dithmarsiam, Iutiam, per Oceanum occidentalem, ad Schagen, promontoriũ Cimbricum ascendendo.

BVSEN, Dithmarsis vicina propinquitate nota, nã aquis, æstu maximo remissis, ex ducatu in insula vado securus patet transitus: Septa est tota aggeribus quemadmodum omnes vicinę reliquę, vnica excepta sacra. Tres continet pagos, quorũ vnꝰ parochiali cãpanaria eminet. Nomina habẽt: Busen, Huse, & VVerne.

TERRA SANCTA, Heylige Landt, non eius conditionis est Insula, cuius sunt reliquæ, in occidentali Oceano, ad Cimbricam Chersonesum. Quæ omnes aggeribꝰ communitæ & contra marinorum fluctuum impetum sunt circumuallatæ, præter vnicam hanc sacram, quæ præcelsis montibus, & inaccessis est vndique circumdata rupibus. Quondam multo, quam nunc amplior, vt septem fuerit parochiis distincta. Quod etiam hoc tempore, recedente mari, animaduerti facile potest, dum exesum, & suppressum violentia maris, solum conspicitur. Octo miliaribus Eiderstadia, sed nouem ab ostio Albis dissita, ad Zephyrũ Angliæ opposita vlnas 46. 38. alibi etiam 30. alta; accipiendo; vlnam ex sententia Scruij, pro ea longitudine, quæ est brachiorum vtrinque extensorum, Germanice eine Klaffter.

Sunt, qui scribant, ab Hilgone, loci Episcopo, Insulæ nomen impositum. Vereor tamen eorum sententia est, qui à sacris Virginibus eam appellatam asserunt, quæ quondam in ea fuerint, quarum vestigia, quę nunquam gramine teguntur, etiamnum Incolæ exhibent. Quemadmodum & miræ altitudinis Cellam ostendunt. Qualis autem nunc, huius Insulæ situs sit, & conditio, ad Illustrem, Nobilem, & Magnificum Virum Regium, in Ducatibus Danię Gubernatorem, & Henricum Ranzouiũ, Georgius Bruick, abs Adolpho, Holsatiæ Duce Terræ sanctæ Præfectus, ita scribit: Tota Insula binis separatis rupibus constat, vna rubet, altera candet. Prior, munimentum, Arx & præsidium Insulæ, vna tantum via conscendi potest, & instar muti rubentis, recta ex mari emergit, haud aliter atque Segeberga Holsatig, ad altitudinẽ sex, & quadraginta vlnarum superne pingui solo, & fertili vbique contecta, duarum vlnarum vel vaius cum dimidia, alicubi etiam, vnius altitudine: passus colligit, 6046. Hordeũ ex se fundit, sabas pisa, & siliginis loco, hordeum Anglicanum, ea præstantia, vt duo modij tribus Eiderstadiensib. præstent, profert lactucam, raphanos, spinacium, cum olere Italico conferenda, serpẽtes, bufones, nec vlla venenata animãtia habet. Superbirẽt magis Veneti, si ipsorũ Corfu, tali fœlicitate bearetur. Armẽta hîc magna, oues, vaccæ, equi, quales Frisia gignit. Quibus tamẽ hîc liberè vagari non licet, alioqui dum gramina confectantur, ex rupibus in mare decidunt. Aër hîc purus, atque salubris. Ecclesia in summitate est, familiarum quinquaginta, Incolæ trecenti, gens industria, robusta, sana, rei nauticæ perita, diues. Extra patrium solum ad res magnas, & dignitates emergens. Diuersi generis auibus nidos, &, quæ inuestigari non possunt, domicilia rupes hæc alta præbet, quarum incredibiles greges, in autumno turmatim huc conuolant; Grues, cygni, anseres, annates, mergi, alaudæ, colluriones, turdi, galeritæ, & similes multæ, quæ incolis grata fercula, præbẽt. Aquæ pluuiales in hac Insulæ parte vsus frequens, quam in Cisternis Italico, & Belgico more, conseruare nunc discunt. Tura insuper hîc nauibus statio, capaci in portu, qui & summæ profunditatis exhibetur, in quem aditus ad Austrum patet, qui quandoque centum, & plures onerarias naues, sinu suo confouet, & à Borealibus, Zephyrique incommodis defendit, æstu marino maximo remisso, naues etiamsi grandiores hinc pelago committi possunt, cum altitudo trium vlnarum, semper maris altitudo remaneat. Neque alibi in Insulam patet accessus, quam ipso in portu, qui à Duce Adolpho, cui Insula paret, propugnaculis, & castro probè munitus est, vbi Gubernatorem habet cum præsidio.

Altera autem Insulæ facræ rupes, quæ candet, fabulosa est, vbi suauissimi fontes passim eructant. Cuniculi in ea dominium habent. Non est vti rubens, compascua, canabem tamen producit. Hic, ad boream & subsolanum, admiranda naturæ miracula, ex montium visceribus eruuntur, Metallum colore, & nitore aurum perfectum referens: Argentum rude rubrum Gulde Ertz. Incolæ Mummer gulst vocant. Metallica aurea est, quam eruam ad Adolphum Holsatiæ Ducem emittunt, quæ tusa, lota, tosta, & separata, aurum perfectum reddit, & tantam sulphuris quantitatem, vt hinc sumptus, qui in separationem impenduntur, colligi possint. Inueniuntur & in iisdem venis nuces auellanę, & eandelæ cereæ in lapidem indurate, magna copia, & conuersæ in metallicam aureum, limaces, conchæ. Glessum etiam (Bernstein nuncupant.) Item minores arborum rami metallici, tanta subtilitate, quanta nullus argentarius faber, licet artificiosissimus, ex auro cõficere posset. Sed, vt paucis concludam, multa regna, multas regiones, & insulas perlustraui, nec vnquam similem huic sacratę vidi, quæ naturæ beneficio eo situ est, vt nulla vnquam humana vi expugnari possit. Et, si lignis instructa foret, quæ ex vicina importantur Holsatia, dici de ea posset; Terra contenta bonis, non indiga mercis, &c. Fuit etiam hæc Insula sacra, halecum captura quõdam famosa, sicuti & iam hoc tempore piscibus omnis generis abundat, præsertim ostreis, adeo præstantibus & magnis, quales Londini in Anglia, vel Venetiis in Italia vix inueniuntur.

EIDERSTADIA Peninsula; Eidera (quæ eam à Thietmarsis separat) Heuera, Oceanoque finita, tanta magnitudine est, vt XXII. parochiis habitetur. Vbi Slesuicensi Ducatui adhæret, vnius milliaris latitudinem obtinet. Sed qua in mare protenditur, latior. Longa miliaria quatuor. Pratis ac pascuis vndiquaque vtescit. Hinc, magnum ex re pecuaria quæstum facit, & bobus tanta magnitudine abundat, quales in vniuerso Septentrionali tractu vix alibi inueniri est. Imò, ne in Hollandia quidem, quod ij fatentur omnes, quibus ista Prouincia est peruagata. Opida duo exhibet, Gardingum mediterraneum, & Toeningum, ad Eidoram, abs Adolpho Duce, magnifica arce exornatum.

NORDSTRANDIA, elegans & haud contemnendę magnitudinis insula, Ducatui Slesuicensi vicina, cũ quo continẽs olim fuit, 36350. iugera aggeribus concluſa continet, & extra aggeres iugera 3200. soleam quasi, humana pedis firma refert, à meridie in Boream, occasumque protracta, ab ortu Hadstadiam, à meridie & occasu Eiderstadiam, à Septentrione verò, Oceanum occidẽtalem habens. In eius medio tractus quidam est, ceu limes; Moerdyc vocant; sublimior quidem, sed palustris, duo fermè miliaria habẽs in longitudine, in latitudine autem, stadia quatuor, sex, interdum etiam octo, cuius pars humilior, colitur, altera licet sit inculta, Insulanis tamen sufficientem ignis materiam præbet. Portus habet tutissimos decẽ, læta est & compascua, vt ab Eiderstadiæ fertilitate multis in locis parum discrepet. Circumiacentes, atque Oceano quasi innatantes Insulas complures habet, quæ maris impetu quotidie minuuntur atque deficiunt, ex quibus præcipuæ, quintum populi ordinem constituunt. VVirichs hard, vocant. Iuxta has omnes Insulas incredibilis piscium multitudo piscatores beat, eorum ve precium, aliquot auri tunnis æstimetur.

AMERVM, Quinque miliaribus à terra Sancta distans, vnã eam Parochialem Ecclesiam à S. Cleonere nuncupatam, in medio obtinet, Septentrionem versus, compascua, piscatoribus diues, fundit ex se tractum arenosum, ad duo miliaria. Gloriantur Incolæ, quod rati mures, apud se nulli nec aliunde importati viuere possint. Andreas Velleus has Insulas ita appellitat; Mondoa, Fanoa, Romma, Forda, Silda, Amroma, Helglanda, quibus peninsulam addit, Langlegiam.

FVROE, miliari vnico ab Amerum separata, duobus à Ducatus Slesuicensis continenti distat, miliaria duo longa, & vnum lata, trib⁹ culta Parochiis, quarũ elegantes sunt, & magnę Ecclesię Orientalior, Osterlandtfoer nuncupata: Media, ad formã Cathedralis constructa, S. Iohannis; Tertia, VVesterlandtfoer, dicitur. Insula tali situ genio, & conditione est, vt deperdita & submersa naufragijs bona, huc frequenti⁹ appellant. Oestu marino remisso, ex continenti in eam vado accessus patet. Arx hic quondam Lehembeckop familiæ fuit, cuius nunc tantum Vallum, & ruinæ supersunt.

ZILDIA, vulgo Zildt/ Adolphi Holsatię Ducis Insula, exiguo interuallo à duab⁹ iam commemoratis distans, inter quam & Amerum, vehemens & impetuosum mare, Rodesdeiff nuncupatur. Solum habet culturæ patiens in longitudine vnicum, in latitudine vero miliare mediũ colligit. Versus Austrũ promontoriũ ad miliare, Vartroep, nuncupatum, longè extendit, sed & aliud in Boream bifurcatum ad duo miliaria protudit, Australius, List, Aliud, Melhorn indigetant. In vtroque lucrosa piscatorum exercitia. Parochiales conuentus quatuor Zildia exhibet, Moersum, Rantum, VVesterlandt, & Keitum. Habet hic curtim Gubernator Regius, Henricus Ranzouius, adeo præstantem, vt nobiliorem familiæ domicilium & necessaria suppeditare posset.

IORSANDIA, ad Borea subsolanum, à Zildia miliari distans, miliare medium, in longum & latum tenet: ouib⁹ abundat.

RIMNIA, siue Rim, à List, promontorio Zildiæ miliaris medij à Ripen, Iutię oppido, duorũ miliarium interuallo distat, vnius miliaris & Parochiæ est, aggeres habet, colles arenosos, & pascua.

MONNOE, miliari ab Rimnia distans, exigua est, nam ad medium miliare longa, ad quartam partem tantum lata, compascua est, & piscatoribus sedes, casasque præbet.

FANOE, Boream magis, Zephirumque respiciẽs, longa miliaria duo, & lata medium, in duas Parochias diuiditur. Quarum australior, Suderhouer, vbi celebris piscatorum frequentia, Borealis autem in specie Fanoe dicitur. Ad hanc parochialem portus est, quem vulgo Nordthoue nuncupant.

NVMINDI, Abs Iutiæ oppido Rinckopen, miliaribus distat duobus. Hic sitæ sunt & aliæ, Landsfastholm, Kliter, & Numindt, vbi autem hæ Insulæ propius ad Iutiam accedunt, vix iactu lapidis ab ea distant. Vbi & traiectus existit.

Omnes autem iam commemorati occidentalis Oceani insulares, sicut & omnes ferè Dani, tam marinis quam fluuialib⁹ piscib⁹ abundant. De quibus nouus eius Patriæ autor, Ioannes Keldingesis, hunc in modum scribit: Est autem hæc Cimbrica tellus, omnis generis piscibus abundans, quorum aliquot species hic recenseri libet, vt inde Dei bonitas, qui dues est in omnes, innotescat, simulque Zonæ huius occidentalis commoditas, æstimetur. Notiores igitur apud nos vtriusque generis sunt, Lucius, Carpio, Cyprinus, Perca maior, Perculus, siue Melanurus, Alora, Crythrinus, Prasimus, Gobio, vulgariter Quapium, anguilla, ꝓaꝛ⊖, cuius latinum nomen non inuenio, Germanice Neschen / nostra lingua Sterlingh/ Tencha, Fun lulus, Salar, oculata. Item marini, Raia, Cancer, Tinca, Gladius, asellus, mollis, Solea maior, & minor, Lingulaca, Rhombus, halec, passer, concha, omnis generis, accipenser, aliter Sturio, prægrandiores etiam beluæ, Lutra, canicula, balena, & id genus plura.

Sunt in eodem hoc mari, Orcades, Farre, Islandia, Regis Daniæ Insulæ, de quibus in Norvegiæ descriptione dicendi locus erit.

INSVLAE A PROMONTORIO SCAGEN AD ORIENTALEM Iutiæ latus Fimbriam vsque.

SCAGEN, promontorium Cimbricum, nautis notissimum, in Boream longe excurrit, ignem perpetuum, nautis collucentem, Regis Daniæ sumptibus, fouet. Infra Scagen, tribus, & quatuor miliaribus, Austrum vt aliquot sunt paruæ, & inculæ Insulæ, quas propter Syrtes propinquas, naute, pcul vitare solẽt.

PICKERHOLMIA, TIRSCOLMIA, HERTZHOLMIA, ROM, Insulæ sunt exiguæ, ad ortum, VVesitæ peninsulæ vicinæ.

HELMES, Insula rotunda, & alta, Hara vnica circumiri potest, aliquot regias equas alit, ibidemque crescit allium syluestre, & fruteta habet breuia quercina, vnde fasces, igni concitando, fouendoq; idoneos. Tres hic nobilium sedes fuerunt, quas Rex Christophorus eius nominis vltimus in fiscum redactas solo adæquauit. Hinc recta in mare Balticum nauigia tendunt.

LESSOE, ad Austrosubsolanum tribus ab Hertzholmia, ad ortum autem quatuor miliaribus à Schebu Vico Vesitę distãs, Insula est trium miliarium, tres habet Parochias, & syluas, turritamq; Ecclesiã, quam naucleri ad euitandum pericula, obseruãt. Est etiam in eadem hac Insula ad ortum, exiguus portus, & Incolæ huius Insulæ parent Capitulo VViburgensi.

Ad hoc Iutię latus post Lessoe Insulam, obuius est maximę capacitatis, & altitudinis sinus, Limfoerdr, qui VVesitã peninsulam à Iutia dissipat, & ad occidentale, siue Britannicum mare, se extendit, à quo exigua continentis portionem separatur. Tam latis autem se pandit an fractibus, vt aliquot insignes Insulas bene cultas, ambitu suo contineat. Nam tribus ab Alburgo miliaribus ad occasum Insula iacet, Monasterio Claragbi & ad ortum, OTTONIA est, cuius Cranzius meminit, lib. 14. cap. 19. in sua Dania. Nunc autem hæc eadem TIRHOLMIA dicitur, quod nomen Tiram Heraldi Regis matrem indidisse ratiocinor, quæ post discessum ex Iutia Imperatoris Ottonis, omnem à Slesuico regionem Septentrionem versus, vallo muniri curauit. Extat hodie in ea Insula pagus, qui Odbij dicitur, quo in loco Iutios Imperatorem superasse creditur. In hoc etiam sinu, MORSOE est, quatuor miliarium insula, in cuius littore Orientali oppidum est Nicoping, ex quo in prouinciam Peninsularem Hallingiam traiicitur.

Descendendo ex sinu Limfordt, obuium est, promontorium Hasens, cui vicinæ sunt Insulæ aliquot, HELMES, de qua iam ante dictum est.

TVN, ab Arhusia Iutiæ, abest miliaribus tribus, miliaris, & Parochiæ est vnius, ibi & KITTOLMIA, cum IORDHOLMIA. Istinc in ipsis faucibus sinus Horsensis tres aliæ sunt, ALROE, GERNOE, VVors. Est & Endola, miliare longa medium lata, vnam Parochialẽ Ecclesiam, & syluas habẽs.

SAMPSVE duorum miliarium iusti miliaris magnitudine, ex Iutiæ opposito sita, frumentorum ferax, & amœna, quinque Parochialibus Ecclesiis, & multis decorata Pagis, cum vno Cœnobio. Drotheæ Christerni tertij Regis Coniugis, vsu frumentariæ possessioni, post Randesheimium, concessa.

Inter Sampsoe & TVN, ordinarius est nautarum cursus in Norvegiam tendentium. Fuerunt olim in hac insula tres Arces: VVisborg, Bratenborg & Haldt, quæ iam ante multos annos vetustate collapsæ sunt.

AROE, in aditu Slesuicensis Ducatus sita, vbi in Fioniam per Arsensem, siue Ottensem sinum, ad oppidum Arcens, traiicitur. Quatuor est distincta habitata pagis.

BARZOE, in Ducatu Slesuicensi, miliare vnicum, rotundo quasi situ continet, syluis est instructa, & proinde venationem, præsertim leporum præbet.

SVNDERVVID, Insulæ Alcen vicina, duas Parochiæ Ecclesias, & Ducalem exhibet arcem, Sandtperg, nuncupatam.

ARIA sesquimiliaria ab Elissia distans, syluis conuestita, ac proinde gratos venatoribus præbet recessus, tres habet Parochias, & aliquot nobilium curias, cum opido, & arce Koping. Cum Elissia, ad Ducatum Slesuicensem spectat, Ducique Ioanni paret.

ELISIA, siue Alsen, mediocris magnitudinis insula, nam quatuor miliaria in longum, duo in latum complexa, non magno interuallo à Ducatu Slesuicensi separata, marinum recessum, ac sinum Flensbargensem die Flenßburger Wick, respiciens, ã primis Anglorum sedibus eodem sinu disterminatur. Monet me Ranzouianum Mufæum, Romanos, insulares hosce Elisios nuncupasse. Quemadmodum & eos, qui proximam colunt Insulam, Arios. Quam eandem hoc tempore adpellationem retinent. Ptolomæus perhibet, Anglos antiquissimos esse terrarum Septentrionis, ad Oceanũ incolas. Quibus Tacitus coniungit Elisios, Arios, & Monimos. Quorum iam quoque nomina, iis locis, in vsu sunt, Alsen, Arr, Moen. Opidum in Alsen, siue Elisia est, Sunderburgum, & eiusdem nominis Castrum, cum aliis Norborch, Ostercholm; Die Holle; Gammelgardt. Parochias habet populosas decem, & tres, vnde aliquot armatorum milia subito dare potest. Saltuosa est, quare ceruorum & varij generis ferarum venationem præbet. Quemadmodum & marinos, duleiumque aquarum pisces, atque siliginem. Et quia passim compascua, tci pecuariæ fouendæ, idonea.

FIMBRIA, Cimbrici nominis vestigium, vnica tantum littera immutata, refert, vnde quibusdam, Cimbria parua, dicitur. Ex opposito Lubecæ sita, (Ita enim Christianus Cilicius, eius distantiam, satis, vti apparet, remotam, assignat:) piscatu, & grata fertilitate famosa, cum vix vlla sit in tota insulæ terræ gleba, quæ ædificiis occupata non est, quin siliginem, & maximè quidem triticum copioso prouentu producat, quod in Hispaniam ob grani præstantiam, auehitur. Quatuor est distincta Parochiis, Nimirum, Landtkirchẽ, Burgh, Peterstorff, & Badẽdorff, Quin & eleganti decoratur opidulo Burgh, & breui inde spatio Arce, Glambecensi, cuius muri tantum supersunt. Quam Aduphus Dux, ad cuius iurisdictionem pertinet, restaurare nititur. Incolæ in hac Insula multi.

QVAE INTER ZELANDIAM FIONEAM ET SCANIAM SVNT SITAE.

FARE, MASSOL, SPROE, DVRHOLM, FANNE, ASSE, VVEDDERE, FEE, ROE, LINDTHOLM, OEM, AGGERS, ECKHOLM, TOROE, CIOE, STRVNE, ARNAC, MVNCOE, LVOE. Hæ omnes fretum Grænesundt, hinc inde passim occupant.

TASSINGA, inter multas alias insulas, prope oppidum Fioniæ, Suinceburgum, præcipua, miliare in longitudine habens, in qua, præter aliquot parochias, curia est Kettorp, ad Rosenkrãzios, & Ranzouios, spectans. Ex hac insula, ab oppido Arcens, in Iutiam duo sunt miliaria, ex Niburgo, in Zelandiam quatuor miliarium, per mare Balticum traiectus, alioqui admodum periculosus, præsertim mari procellis exagitato. Nam cum Orientalis pelagi vnda, ex tot fluminibus iugiter illabentibus aucta, inter tam multas insulas exitum quærens, in modum torrentis, velocissimo cursu protrudatur, facile contigit, vt ventis à diuersa parte obluctantibus, fluctus in immensum attollatur. Nautæque vndarum ambiguis vorticibus, periculose implicentur, vnde multi in hoc traiectu absorpti ferantur, anno M. C. LXX. Episcopus Slesuicensis, in traiectu huius freti eum magno suorum familiarium numero, periit, qui longo tempore post repertus, in monasterio forensi, in Zelandia sepultus est. Anno M. D. XIII. Serenis. Danię Rex Ioannes, vix mensem ante obitũ, profecturus in Iutiam, incolis eius dicendi, & controuersias dirimendi causa, cum Balticum mare traiiceret, tempestate subitò exorta, cum Regia nauis variè luctantibus inter se ventis, atque fluctibus, quassata esset, in tanto fuit discrimine, vt cum ad oppidum Niburgũ appulisset, ascendissetque de naui in pontem, conuersus ad mare, veluti mortem suam præsagiens, dixerit: Vale Balticum, vale, eã in nos hodie fœuitiam exercuisti, vt per te transitum nobis patere posthac te nolle ostenderis. Etsi omnes naues commodissime, inter Scaniam, Zelandiamque, per fretum, den Sundt, nauigare soleant, tamen frequenter accidit, vt nauigia minora, quibus minus periculi est, ab insulis, ac locis vadosis, ex Holsatia, Lubeca, aliisque vicinis Regionibus soluentes, per hoc Balticũ mare nauigationes suas instituant. Ita tamen, vt in oppido Nyburgh, consueta vectigalia, soluere cogantur.

LANGELANDIA, septem miliaria in longum extensa, oppidum habet Rutkhoeping, & Regiam Arcem probe munitam Trancker, ac præter complures pagos, parochias XVI. & quædam nobilium prædia.

LALANDIA freto Groenesundt à Zelandia, & exiguo traiectu a Falstria separata, frumentorum admodum ferax, in quapræter multos vicos, & parochias, quatuor oppida sunt. Arces etiam, & aliquot nobilium Curiæ.

FALSTRIA, miliaria quatuor longa, multas parochias, oppida duo, regiasque arces, Nikeping, & Stubbekeping, complectitur. Ex hac insula iuxta Regis prædium, frequens in Germaniam traiectus, qui septem est miliarium ad VVarnemundam, plurimũ frumenti annuo prouentu vicinis locis suppeditat.

MOENA, Zelandiæ, quasi sinu fota, & comprehensa pagos, ac parochias complures habet, & oppidum Stekoe, cum Regia Elmelund, altissimos insuper montes, ex quibus creta effoditur.

SOLDHOLMIA, Insula Amac, ad ortum opposita, producendo fœno est destinata, cum virenti gramine sit tota vestita.

AMAC, siue Amaggar, miliari cum dimidio longa, sed non æquè lata, fertilitate, & leporum mirabili copia celebris, insignem portus oportunitatem, Hafniæ Daniæ metropoli præbet. Pagos habet diuersos, & melius præ cæteris cultos, quorum incolæ Germani, exceptis duob⁹, Arci proximis, Elizabeta Philippi Regis Hispaniarum filia, soror Caroli V. Imperatoris, cum circa annum M. D. XIV. Regi Christiano secundo nupsisset, precibus à marito Rege obtinuit, vt ex Belgio, aliquot Coloni, in hanc insulam deducerentur, qui elegantibus eam hortis, pro gentis consuetudine colunt, ex quibus eum fructibus, oleribusque suis, Hafniæ forum quotidie exornant. Sed de hac insula, in peculiari Hafniæ descriptione plura.

HVAENA, Nobilissimi viri Tychonis Brahe, Domini de Knudstrup, Astrologicis, omniumque disciplinarum liberaliũ studiis, & Vraniburgo arce, ab eo, Serenissimi Regis Daniæ Frederici secundi decreto, Astronomiæ instaurandæ gratia, ædificata valde famosa.

QVAE SCANIAM BLECKIN GIAM, HALLANDIAM ET Suetiam respiciunt.

IN HALLANDICO littore, complures sunt insulæ, ac Scopuli sine nomine, quorum series se latè circa Norvegiæ littora, & promontoria extendit, vbi ANHOLT, ibi Nidingia.

ANNOLT, Insula, quam tres occupant Ecclesiæ, duas in mare extendit rupes, quarum altera vnius ferè miliaris, nautis admodum noxia, vnde ortum eò loci prouerbium:

Lessoe Nidingh vnd Anholdt/
Maken/ datt mannicher Stürmann nit wirdt oldt.

NIDINGIA, Nidingh/ ab Anholt octo miliaribus separata, rupes est oblonga, quarta miliaris pars, saxa quædam eminẽt, quædam sub aquis latitant.

LANDOE, & HANNOE duæ insulæ, in Oceano orientali haud procul à Scaniæ littore sita, eleganti structura sunt insignes. Vterius in eodem hoc mari procedente, Bornholmia, Gotlandia, Osel, Mohneme occurrunt. Quarum Tacitus, ex sententia Ranzouij, meminisse videtur, cum inquit: Nondum satis cognitis Populo Romano interioribus Oceani tertis, Gothinos, id est, Gotlandt, Osios, id est Osel, Burios, id est Bornholm, &c.

BORNHOLMIA, quinque miliaribus à littore Australi remota, præter multos pagos, aliquot Ecclesias habet, & arcem Santvvick, septem miliaria in longitudine colligit, eius vniuersos reditus, ob pacta olim cum Frederico primo inita, Lubecenses aliquot annis collegerunt: sed nunc, ante annos decem, Daniæ restituta. Hinc ad ortum, miliaribus quadraginta, sita est Gotlandia.

GOTLANDIA, pinifera, in longitudine habens XXIV. miliaria, olim Regno Suetię, iam vero, à tempore Regis VVoldemari vltimi, Coronæ Danicæ subiecta. Fuit in hac insula antiquissimum emporium VVisbu, opidum elegans, sed nunc translata ad vrbes mercaturæ, viris, opibusque attenuatum est. Magnitudinis veteris structuræ, & priorem fortunam, rudera, fores, & fenestræ ferreæ ostendunt. Multas parochias, pluresque pagos, & iuxta VVisbu, arcem munitissimam habet. Iuxta quam, anno salutis 1566. circa diem S. Iacobi, cum Danica classis statiua haberet, seuissima ingrueute tempestate, ita disiecta est, vt vndecim Danicæ naues, & Prætoria Lubecensium, cum duabus aliis illic sæ littoribus omnino confractæ, perierint. In quibus multi viri nobiles, & Bartholomæus Tinappel, consul Lubecensis, cum alii militari, & nautica turba, ad septem milia, misere perierunt. Quorum cadauera fluctibus, paulo post ad littus adiecta, in VVisbu, vicinisque locis sunt sepulta. Hæc Insula, præter frumenta, caseos, butyrum, variasque pelles, quas emittit; abietes etiam proceras, quarum frequentes ibi syluæ, ac proinde mala nauibus, lapides, ad structuras vtiles, necnon calcem, copiosè emittit.

OSEI, longitudine miliaria quatuordecim, latitudine septem adæquat. Quondam collegiata Canonicorũ societas totam possidet, saluo tamen iure, quod Daniæ Regi, tum semper competebat. Nunc, tota coronæ Danicæ incorporata, vbi Castrum Arensburgh, cum Regis præsidio, Incolæ, ad quatuor milia censentur. Inter quos nobiles, XXX. octo parochialibus est destincta Ecclesiis, quarum nomina, Schyvorne, Piua, Kargel, Kargis, VVolde, Kormel, Kilckan. Lubeca centum, Hafnia, octuaginta. A Liuonia XII. miliaribus distat.

MOHNEME, inter Liuouiam, & Osel Insulam, à qua sesquimiliaria distat, duo est longa, & lata miliaria totidem. Proinde, maior, est eiusdem nominis alia, quam supra recensuimus, atque hinc istos Insulares, Manimos esse laciti, multi existimant.

Sed hoc coronidis loco adiiciendum prius esse duxi, quod Incolæ harum Regionum Septentrionalium fuerint, & adhuc sint frigidi & sicci, proceræ staturæ, facici pulchræ, boni coloris, iucundi, læti, fuspitiosi, callidi, ac in negotiis prouidi, sani, superbi, amantes suorum, multum comedant ac bibant, benè concoquant, ideoq; diu viuant, sanguine abundent, mores fœueros habeant, & propter cordis calorem, sint pugnaces & rixosi, amient pericula, venationes & peregrinationes, suarum opinionum sint defensores, nihilominus iustitiæ memores, in omnibus linguis addiscendis adprimè dociles, musarum amantes, & pacta & contractus sanctè obseruent, multos habeant liberos, & quod fœminæ ipsorum difficulter pariant, sintque formosæ, & in administratione rei familiaris tenaces & prudentes, ex Catharro autẽ morbo regio, angina, pleuritide, fistulis, aqua intercute vel ptisi plerumque moriantur.

DOCCVM Frisiæ oppidum, nunc Leouardiensis diœcesis in Dongerdelia situm, loco primum dumoso excitatũ, quod loci & commerciorum commoditate inelegans, deinde oppidũ excreuit. Amnem habet ex portu maris Schelbach, qui in Oceanum delabitur, ipsamque Ciuitatem media quasi ex parte intersecat, ad nauigationem & negotiationem accommodum, Emporium olim fuit occidentalium mercium. Pontes habet duos ligneos, quorũ alter silice stratus, nundinis & quotidianis ciuium inambulationibus celebratur. Anno 1582. nouis statuum contra Philippum Regem factionib. murorum reparatione priscam muniti oppidi formam, quam sub Carolo Quinto amiserat, recepit. Forum habet oblongum & amplum, priuatis ciuium ędibus, & in medio domo negotiationi dicata, ornatum. Duas habet Ecclesias Parochiales, in vno cœmiterio constitutas, vnam S. Martino, alteram S. Bonifacio sacram. Cum Xenodochio benè dotati, D. Anthonij Sacello, & magnifica S. Bonifacij Abbatia, Ciues indu strij sunt, negotiatores callidi, & ad litterarum studia idonei, quod ingenia plurima, quę hanc patriam ortu illustrarunt, non obscurè confirmant.

40. EISLEBIA, Germanię Saxonicę in Comitatu Mansfeldensi opidum.
29. ELBOGEN, Scaniæ Danicæ opidum.
30. FLENSBVRGVM, CelebreHolsatiæ opidum, de quo strenui ac Nobilis Viri Henrici Rantzouij Regis Daniæ Camœnæ hæc Geographiæ amantibus lusêre.

Me Fleno struxit vicini in littore ponti
Nota satis non est cuius origo viri.
Ante fui sedes horum, qui fallere pisces
Norunt, nunc dombus floreo magnificis.
Aptior haud vrbs est mutandis mercibus vlla
Prælita sum portus commoditate boni.
Arx mihi perpulchra est, sunt templa decore superba
Regibus & Ducibus sunt data iura mihi.
Nunc me iure tenet pariter Fridericus & arcem
In Daniæ & Regno qui modo Sceptra gerit.

26. FRETVM DANICVM, OR, SVNDT.
14. GOVDA, Hollandiæ opidum in ostio aluei, Goudæ, cujus & nomen refert, ad flumen Isalam situm, Leidæ quarto distitum miliari, copiosum, diues, lautũ, populo abundans, permultas in mœniis turres, nouè verò in ambitu colligit portas. Xenodochia, Nosocomia, Orphanotrophia, & multa, nuncupata pietati loca, amplissimaq; monasteria, ante, quàm Geusicis implicaretur tricis, ad admirationẽ exhibere solebat, quorum complura nunc, solo æquata, iacent. Sextum, & vltimum in Statuũ ordine, occupat locũ. Suburbia habuit amplissima, in quib⁹ plures, quam octingẽte domus, quę nunc cum S. Oliuerij Ecclesia, & leprosorio amplo, diruta. Fœcunda eruditorum virorum genetrix, semper fuit, edidit enim Henricũ & Ioannẽ, scriptis illustres, quos Tritemius, in suo illustrium virorum catalogo, memorat. Item, Guilhelmum Hermannum, & Cornelium Aurelium, Historiographos, & poetas, Hermannum Goudanum Theologum, & Iacobum Poetã insignẽ. Et, præter hos, patrium hoc solum, ortu decorarũt, Cornelius Schoneus, quem edita poẽmata sua laudant, Raynerus Snoyus, qui de Christiana libertate opusculum scripsit, & paraphrasesin psalmos, quas Nicola⁹ Hugoni⁹ latinitate donauit.

Carmelitarum Prouincialis, in Vbiorũ Metropoli Agrippina Colonia, ordinis sui cœnobio peculiare ornamentum. Et hi quidem omnes vita defuncti, celeberrimam nominis famam reliquerunt. Inde verò tempore, multorum auctor operum, Cornelius Loos Callidius Goudanus apud Moguntinos inclaruerit. Porro, dum in Goudæ describtione meminim⁹ natantium glebarum, in eius opidi foueis, promiſimus de iis, nos latius acturos in Indice. Itaque eius nunc benè memores, existimabamus, harum occasione, non inuenustam hìc disputationem cum iis instituí posse, qui Hollandiam, & Campestrem Brabantiam, alienas esse, aduentitias, & inquilinas Insulas, quæ inundatione, & animbus eo deuectæ fuerint. Nannius siquidem in libris συμμικτῶν, eos falli existimat, qui in Batauica & Brabantia camporum planitie, sylvas fuisse, atque earum tempestatibus euersarũ, ea loca, sepulcra esse arbitrantur, ductus auctoritate quadam Plinij lib. naturalis historiæ XVI. cap. 1. Quo loco Nannius, Plinium docere constanter adfirmat, Romanos, dum circa Batauiam agerent, procul quasi ingentem hostium classem vidisse, cui, dum occurrerent conflicturi, non in aciem hostium, sed in arbores, vna cum insulis natantes incidisse, quæ ad proxima quæque littora rapiebantur, & nihil Romanorum classes metuentes, in Batauiam appulisse, atque illic (miserabile visu) omnes, vno casu, procubuisse. Cæterum, quia hic cum mortuis dimicare non libet, de natantium glebarum ratione, quæ in Goudæ foueis, quandoque conspiciuntur, & ad hanc nostram descriptionem meritò pertinent, pauca. Meminit quidem Plinius lib. 2. cap. 97. fluitantium iuslarum, quæ nunquam die ac nocte eodem loco visuntur, imo, non ventis solum, sed etiam contis, vel quolibet impulsu, ceu remo nauicula, mouentur, verum, causam earum non assignat. Natantes autem insulas, triplices inuenio, alias Symplegades, hoc est, concurrentes Græcis appellatas, de quibus Plinius lib. 4. cap. 13. alias, ex Olao Magno, in Mari glaciali, errabundas: Ingentes sunt diremptæ glaciei crustæ, Tertium earum insularum genus, Plinius commemorat, lib. 2. cap. 95. quæ in lacubus natant. Quas non alia ratione, quam ingentes terræ glebas, in Goudæ foueis natare existimamus. Ratio autem, vt in ipso Hollandiæ fundo, ita in lacum etiam natura versatur, quorum vapores, cum materiam à profundo glutinosam ac lentam eleuent, ea, cum innata circa margines vligine, glebis ac furculis incidentibus adglutinata, aliquo temporis spatio, crescit, & in multa aquę altitudine, innatat. Rationem hanc Hollandica ignis pabula, confirmant: Ea namque regio, bituminoso cœno, ac massa constans, atram glebam suppeditat, ex qua lutũ effoditur, quod accuratè subactum, a c in aream diffusum, crassitudine palmari extenditur, & vbi paulatim consliterit, palmares in tesseras scinditur, ac deinde siccius redditum, in metas attollitur, quò integrè siccescat. Ita Hollandicum, ita Flădricum agitatur, & præparatur lutum, sed Hollandicum excellit, quod bitumine solo constare videatur, habens aliquando paruas etiam quasdam marcidi ligni reliquias, ligna omnia superans, caloris vehementia, ignis duratione, & prunarũ ardore. Atri igitur illi cespites, & palmares cubi, in quibus suauiter bituminis vis dominatur, allaram, natantium glebarum rationem, confirmant. In quibus, quoniam marcida radicum fila, & fibræ plerumque inueniantur, fateri nos cogunt, loca illa palustria, syluis olim abundasse. Vix autem credibile, quantam cespitum abundantiam Hollandia tam sibi, quã exteris subministret, ita, vt vectigal tonnarum, quę alio exportãtur, ad incredibilẽ pecuniarum summã ascendat, cum tamen de singulis tonnis quarta & vicesima brabantici stuferi pars persoluatur. Ita Hollandi, territoriũ suum vendunt, & cespitum forma exportant. Id, quod à centenis annis hactenus fecerunt, vt solum sit multo, quam mare humilius. Et, quia periculum inde regioni imminebat, ne mare tandem, vniuersam absorberet, hinc, alia praxi, cespitum materiam, non de superficie sumunt, sed ex imo fundo exhauriunt, & retibus lutum piscantur, donec ad sabulosum fundum, viuam ebullientem aquam, deueniant

33. HADERSLEBIA, haud vulgare Slesuicensis Ducatus, oppidum, portu Fioniam, Daniæ, in Oceano orientali, insulam respicit, quæ ob soli fertilitatem, aerisque salubritatem & amœnitatem, inter præcipuas Regni Danici insulas numeratur, habens circumquaque plures sibi adiacentes numero prope 37.
28. HAFNIA, siue Copenhafnia, vrbiũ Zelandicarum precipua, imo totius Daniæ Metropolis, ob magnitudinẽ opulentiã, & maximam commoditatem portus, quem & incredibilis profunditas, & obiectus insulę Amar, nautis tutissimum facit. Est autem vallo, atq; muris munitissima, cuius incolæ, Regib⁹ suis semper addictissimi sunt habiti, & acerrimi priuilegiorũ suorum defensores. Hinc, anno M. D. XXIV. grauissima obsidione vltra annum pressi, non ante se hosti dedẽre, quam extrema necessitate & fame cogerentur. Similem deinde obsidionem anno salutis M.D.XXXVI. vltra anni tempus tolerarunt, tanta pertinacia, vt frumenti & cibariorum penuria, coacti sint ciues, & præsidiari milites, felibus, canibusque vesci. Ciues longè dissitas & remotas negotiationes exercent, per vniuersum orientale pelagus: Item, in Norvvegia, Islandia, & Belgico, quo frumenta deportare solent. Est & hic celebris Academia, quam multis & continuis bellis collapsam, Rex Christianus tertius restaurauit, anno 1539. amplissimis in eam collatis redditibus. Fredericus autem secundus restauratam, maioribꝰ redditibus annuis insigniter promouit. Huic vrbi, qua mare respicit, proxime adiacet Arx Regia, crassissimis muris, tectis, præcelsisq; pinnaculis, adeò in sublime fastigiata, vt ex mari multis miliaribus se conspicuam reddat. Quam præternauigantes nautæ more vestuto, sublimiora vela, Regis honorandi significatione quadam, delonginquo facta, demittere solent.

36. HAMBVRGVM, Stormariæ, quæ Holsatiæ pars, quondam Metropolis, Albis fluminis, Tacito meritò inclyti, aliorumque fluminum propinquitate, oportuno ad negotiationem loco sita, opidanos diuites reddit, cuius varios casus, & magna discrimina rerum, diuersis temporibus perpessa, Munsterus, ex Crantzio, late describit. Goropius Becanus in sua Saxonica, miram Hamburgi nominis originem nobis persuadere conatur; Pernis, inquit, salitis, & fumo siccatis, ob excellentiam maximè, frequentissimeque, nomen; Ham, est attributum. At nulla gens est, quam equidem noui, apud quam carnis porcinæ infumatæ plus absumitur, quàm in illa inferiore Saxoniæ parte, in qua Hamburgum, vbi olim celeberrimum salsamentorum, & carnis porcinæ fumo duratæ, emporium fuit. Atque hinc, omnes Saxones maritimꝰ, & insulares, & vicini etiam populi litorales, nauibus suis, quibus mare infestum plerumque habebant, commeatum, & cibaria ad diuturnas nauigationes necessaria petiuêre. Quæ, quod carne porcina infumata, quam huc vndique venalem finitimi portabant, maximè constarent, locum huius mercatus, Hamburg, nominarunt, id est, oppidum Pernarum, siue petasonum, & cæterarum porci partium, sale fumoque, ad longos vsus conseruatarum. Cæterum, ista fantasia Becani & auda suspicio, nunquam Hamburgenses induxerit, vt à Petasonum mercatu, qui in V Vestphalia multo frequentia, nomen sibi inditum, credant. Deinde, eadem etiam nominis ratio fuerit in Hamburgo Austriæ, quæ tamen dici non potest, cuius Lazius in sua Vienna meminit, opidum est, ad alterum lapidem à Carnuto distans, celebre fuit, vetus Principum Austriæ sedes, Sueuis potissimum cognitum, qui ibi merces Budam transferendas in Hungariã deponebant. Sed Pernis & Petasonibus Becani relictis, vnum de Hamburgo Holsatiæ adiiciam. Inuenio in choro maioris Hamburgensis Ecclesiæ inter varia Comitum Holsatiæ monumenta, etiam Benedictum eius nominis quintum Romtanum Pontificem ibidem sepultum; de quo Albertus Abbas Stadensis (autor est antiquus, ex quo Crantzius plurima desumpsit, & ex

& ex Bibliotheca Ranzouiana, anno 1587. editus,) Adalgadus, inquit Archiepiscopus Bremensis, duxit in Comitatu suo Benedictum Papam ordinatum, sed ab Ottone Imperatore depulsum, quem ille in Hamburch custodiæ mancipari præcepit. Archiepiscopus verò ipsum cum magno honore, vsque ad diem obitus sui detinuit.

Sepulturæ inscriptio Hamburgi sic habet: Benedictus Papa, qui de sede Apostolica per violentiam remotus, & postea, cũ reuocaretur, obiit Hamburgi quinto nonas Iulij, sepultus est hic.

HANSBVRGA.
17. HARLINGA Occidentalis Frisiæ, ad fauces Austrialis maris, opp.

29. HELSINGOBVRGVM Daniæ in Scania, qua Suetiæ proxima, opidum ad famosum illud fretum, Hollandis Zelandisque cùm alias tùm verò anno 1587. Aprili Mense notum, quod Or Sundt indigetant. Id nomen siquidem sinum propriè significat Danis, vt est maris sinus recessus. Et Danis quidem ea pars sinus illius, **Ørsundt**, appellatur, sinus autem totus, Mare orientale. Porrò freti seu angustiarum earum latitudo est vix vnius miliaris germanici, quo loco quæ sit Poli eleuatio, ex eo æstimari potest, quod fretum hoc, quinque tantum miliaribus germanicis versus Borcam ab Haffnia distat Regni Metropoli, cuius nota est tum latitudo, tum longitudo.

Forum habet Helsingeburgum nundinis frequentatum, in quod ruricolę vicini affatim conuehũt frumenti varia genera, boues, agnos, anseres & cętra id genꝰ, atq; adeò quicquid ad victũ videtur necessarium, ita quidem, vt & Helsingorensibꝰ transmarinis, aliisque emere volentibus eadem sufficiant. Nam Helsingorensibus mercimonia ciusmodi, tum propter Aulam Regiam, quæ frequenter Croneburgum commeat, tum propter hospitũ, Mercatorum potissimum exoticorum, ante omnia Belgarum, Anglorum, Suecorum, quotidianam ferè frequentiam, sunt peraccessaria, & in hac ciuitate libera.

Quod ad antiquitatem attinet opidi Helsingoburgensis, certo scire non potest, priusne Arx extiterit, an oppidum vel simul vtrumque. Illud certum inter vetustiores Scaniæ, imo & Daniæ totius ciuitates, vulgò numerari quatuor hasce; Treleoburgum Schaniæ, quod à tribus leonibus insigni Regni Daniæ nomen inuenit. Scanoram, Item cum Lundia, & de quo nunc agitur Helsingoburgum, quo longè recentiorem esse Helsingoram, vel ex Saxone constare videtur, qui historiæ suæ lib. XV. de Valdemaro I. loquens, & loci eius mentionem faciens, vbi nunc est Helsingora, littus tantum Sialandiæ nominat, quod ab Helsingo opido vocabulum tenet. Hæc enim sunt Saxonis verba. Qui paulo ante in eodem lib. paucis interiectis, per Helsingum opidum, quod idem sic nominat, Helsingoburgũ, solummodo intelligit. Quid autem opꝰ littus dicere, si eo tum tempore, vel arx ibi fuit vel oppidum.

6. HESDINVM nouum, vulgòHesdin fort, nomen habet à Sabaudiæ Duce, comparatione Hesdini veteris, ex cuius ruinis constructum est, vetus autem Hesdinum situm erat in ripa fluuij Canche, quatuor miliaribus dissitum ab opido S. Pauli eratque insigne castro, benè munito, & iurisdictionem habebat satis amplam: pagos, sylvas, possessiones & vias regias circum iacentes, cœlo verò tam salubri fruebatur, vt eo animi gratia, tanquam ad secessum Principis Flandriæ & Artesiæ Comites secedere solerent. Verùm, quia Castrum non erat exstructum, ad præsentis temporis formam, non poterat maioribus tormentis resistere, ità, vt sæpe præda fuerit fortioribus. Itaque accidit 1553. ducente exercitum Emanuele Philiberto Sabaudię Duce, vt magno cum Gallorum detrimento caperetur, qui inter alios Horatiũ Ducem Farnesium amiserunt. Post hanc captiuitatem Carolus Imperator mandauit, castrum hoc solo æquari, & noui Hesdini fundamenta poni, & anno sequenti perfectum est. Situm habet commodissimum ad ripam eiusdem fluminis Canche, vno miliario propius Galliam, distans quatuor miliaribus Menstrolio, & quinque à S. Paulo. Rigatur & altero fluuio, vulgò Blangis à loco, in quo oritur. Ita, vt propter loci commoditatem, munimentum habeatur validissimum, & propter translationem omnium iurium & priuilegiorum, quibus olim gaudebat Hesdinum vetus, breui tempore habitatoribus repletum est.

58. HIERVSALEM, Ciuitas Dei electa, sancta & gloriosa, fundata in montibus sanctis, loci eminentia, cœli, solique fœlicitate, cunctas mundi vrbes superans in totius Orbis, & Iudææ medio, seu centrum & vmbilicus terræ, sita est: & tanquam Regia inter omnes accolas, velut caput in corpore eminet, splendidisque ædificijs sicut Sol præ cæteris lucet. Tantaque gloria illustratur, vt singulari quodam priuilegio vnicus esset locus à Deo electus: ac non tantum fidelis cuiusque animæ, verùm etiam electæ Christi Ecclesiæ in terra militantis, deniq; & beatæ illius in cœlo triumphantis existeret figura. Vrbs, perfecti decoris gaudium & exultatio vniuersæ terræ. Hæc, circa annum à mundo creato, bis millesimum & vigesimum tertium, tempore Abrahami à Melchisidec Rege condita, & Hebraicè SALEM, Græcè verò SOLYMA, vocata est, atque ab eo quinquaginta annis possessa videtur. Deinde Iebusæi, à Iebusæo filio Chanaan prognati, ipsam occupauerunt: à quibus IEBVS, & IEBVSALEM dicta est, cuius Regem Iosue occidit. Tenuerunt autem eam Iebusæi, annos octingentos, & viginti quatuor, tantumque vrbis fidebant firmitati, vt, Dauide Rege ipsam oppugnaturo per contemptum cæcos, claudos, ac mutilos in mœnibus collocarunt, dictitantes hos, ad arcendum hostem sufficere.

At Dauid, expulsis Iebusæis, vrbem per circuitum reædificans, arce muniens & inhabitans, totius eam Iudææ prouinciæ Metropolim, ac Regni sedem fecit: atque deinceps IERVSALEM quasi IEBVSSALEM, b, elemento, euphoniæ gratia, in r, mutato, ræcè autem, inflexo vocabulo, HIEROSOLYMA appellat: ſt. Sunt tamen, qui scribunt, à templo, quod Solomon in ea magnificentissimum construxit, Hierosolymam nuncupatam. Nam Græci, **ἱερόν**, templum vocant, quasi Hieron Solomonis, hoc est ædem Solomonis. Quam deinde Salomon, aliique Reges Iuda multum ampliauerunt, ac validissimis portis, turribus, muris & fossis, item templo, palatijs, præclarissimisque ædificijs ita munierunt, atque exornauerunt, vt totius Orbis inter vrbes miraculum esset, ac silentio magis, quam infimo sermone, honoranda sit. Eoque ornatu ac splendore, annis quadringentis, & septuaginta septem, velut terrenus Paradysus floruit, habens circuitum quinquaginta stadiorum, & per gyrum vrbis fossam in lapide excisam, sexaginta pedum profunditate, latitudine verò ducentorum & quinquaginta in qua commorabantur hominũ circa centum & quinquaginta milia. Verùm cum principum populique impietas non modo templum idolorum abominationibus prophanasset, sed etiam sanguine innoxio crudeliter effuso vrbem ad os vsque impleuisset, diuina vltione per Nabuchodonosor Babylonia, regem (Dei autem flagellum) vnà cum templo, principibus, & populo ita funditus euersa, ac septuaginta annis desolata fuit, vt Syon quasi ager araretur, & Ierusalem quasi acervus lapidum esset, & mons templi quasi excelsa sylvarũm: vtque interea, teste Hieronymo, nec auis volauerit, nec bestia pertransierit per eam. Deinde à Iudæis, de Babylonica captiuitate reuersis, templo duntaxat ægrè extructo, portis, turribus & mœnibus carens, annos sexaginta tres inhabitata est. Cæterum à Neemia intra dies quinquaginta duos, ambitu triginta trium stadiorum, portis, turribus, validoque muro cincta, & postea à Machabęis Herode & aliis perquam magnificè publicis ac priuatis ædificijs ornata, pristino nomine ac statu annis quingentis & viginti quatuor gloriosa & populosa claruit: vicos, propter domorum frequentiã ac densitatẽ, habens multos & angustos. Quo tempore ibi, ceu in theatro Iesus Christus salutẽ nostrã operatus est: atq; inde velut à centro, Apostoli Euangelicam prædicationem in vniuersum terrarum Orbem diuulgauerunt.

Sed anno post Christum passum trigesimo octauo in occisionis Christi vindictam, Titus Cæsar Romanus eam muro triginta nouem stadiorum triduo circundedit, ac Iudæos ex omni tribu festum Paschę ibi celebrantes, vrbe velut in carcere conclusit. Vnde vrbs illa toti mundo admirabilis, facta est & spelunca latronũ, & sepulchrum mortuorum. Nam intestinis cędibus, fame, peste, & gladio, vndecies centena milia Iudæorum in ea perierunt, ipsamque vrbem Titus totam ita funditus eruit, vt, qui ad eam accessissent, habitatam aliquando esse vix crederent. Tres autem turres Herodianas, nempe Hippicum, Mariamme, & Phaselum, quæ tàm magnitudine, quàm pulchritudine præter alias eminebant, ciuitatisque eam muri partem, quæ eas ab occidenti cingebat, inconcussa reliquit: tum vt esset castrum Romanis militibus illic custodię causa relinquendis, tum vt posteris indicarent, qualem vrbem, quámue munitissimam, Romanorum virtus obtinuisset. Sed post annos sexaginta quinque, Iudæis rursum rebellantibus, Aelius Adrianus Imperator multa eorum milia deleuit, ac turres illas cum relicto muro penitus destruxit, iussitque ciuitatem aspergi sale, quo facto, iuxta Saluatoris oraculum, non est relictus vrbis lapis super lapidem. Ciuitatisque totius pomerijs plurimum contractis, denuo eam extruens, vniuersum montem Syon, vna cum Palatio Salomonis Reginæ, & domo Saltus Libani: item portam anguli, & castrum Assyriorum, totumque cum Borealem angulum, ad portam Ephraim vsque, vrbis ambitum excluſit, montem autem Caluariæ, & sepulchrum Domini, quæ prius extra mœnia fuerant, vrbis muro septentrionali incluſit, & in fronte eius portæ, qua Bethleem ibatur, fuem in marmore sculpsit, Iudæis eidem subiectis, hoc modo significans, eos Romanæ potestati subiacere: quibus & edicto interdixit, ne amplius vrbem illam introirent, aut ex loco euopiam excelsiore eminùs aspicerent, eamque à suo nomine AELIAM CAPITOLIAM nuncupari voluit. Quæ deinceps à Christianis inhabitata, & Patriarchali sede insignita, successu temporis recepto nomine IERVSALEM, annis quin-

gentis in Christiana Religione floruit.

Porro anno à Christo nato sexcentesimo trigesimo sexto, à Saracenis in Aegypto regnantibus capta, & annis quadringentis sexaginta tribus possessa fuit.

Deinde anno Christi, millesimo, nonagesimo nono, à Christianis, Duce Godefrido de Bullion, qui & primus vrbis murum transcendit, Idib. Iulij, magna fortitudine violenter expugnata est, feria sexta, hora nona, eadē scilicet die & hora, qua Christus mortuus est, tantaque per ciuitatis plateas, vicos, & angiportus, ac ipso in templo, tum ciuium, tum eorum, qui ex vicinis opidis & suburbanis in eam confluxerant, strages facta est, tantaque sanguinis effusio, vt nemini nisi per interemptorum funera transitus pateret, ac talos ten⁹ in occiforum sanguine graderentur, vrque ipsi victores à planta pedis vsque ad verticem cruore maderent. Qui vrbe potiti, armis ac fordibus depositis, loca venerabilia, Christi præsentia, passione, resurrectione, & ascensione sanctificata, à fidelibus qui in Ierusalem habitant, sibi ostensa, nudis vestigijs mira deuotione dieb⁹ septē circumierunt, & deosculati sunt. Octaua autē die vnanimiter Ducē Godefridū elegerūt, ac Regē Ierusalē creauerunt. At vir Deo plen⁹, humilitatis causa, corona aurea, Regū more, in sancta ciuitate noluit insigniri: ea content⁹, & illi reuerentiam exhibens, quam humani generis Imperator, in eodem loco vsque ad crucis patibulum pro nostra salute spineam deportauit. Sic itaque Ierusalem à Christianis recuperata, ab eisdē per octinginta octo annos retenta fuit. Postea dissidentibus inter se Christianorum Principibus, à Saladino Aegypti Sultano recepta, & annis trecentis triginta occupata fuit. Anno autem Domini millesimo quingentesimo & decimo septimo, à Selimo Turcarum Imperatore inuasa, eodem murorū ambitu à Turcis etiamnum possidetur: qui eam Curumobarech siue Codsbarich, hoc est, vrbem sacram nominant. A prima itaque eius fundatione, in præsentem vsque Christi annum millesimum quingentesimū octogesimum quartum, fluxerunt anni ter mille quingenti, viginti & vnus.

17. HINDELOPIA, marinis fluctibus in Frisia occidentali obiectum opidum.

2. HISPALIS, vulgo Seuilla, celebre & peruetustum, à Iulio Cæsare nobilitatum & amplificatum in Hispania Bæticæ prouinciæ in ripa Bætis fluminis emporium, quod Gaditani maris littus, amœnissimo situ illustrat. Post Maurorum ex Regno Granatensi eiectionem, constituitur Bæticæ Prouinciæ Metropolis in Concilio Elibertino, & sub Ioanne XXII. Pontifice: Cuius Metropolita, teste Vasæo, tempore Hormisdæ Papæ in Lusitania & Bætica, hoc est, tota vlteriore Hispania, vires habebat Romani pontificis, cui subsunt comprouinciales Viennensis & Gadicensis. Goti, qui Hispalim aliquando copiosa multitudine tenuerunt, Regiam ex ea Curiam Toletum transtulerunt.

38. HOLMIA, vide STOCKHOLMIA.

27. HVENA.

33. HVSEMVM.

18. ILSTA, Frisiæ occidentalis opidum.

30. ITZEHOA, lautum, ac elegans, Holsatiæ opidum, Storgaquis probè instructum, ac cinctum, de quo ex nobilissimi, strenui, ac doctissimi viri, D. Henrici Ranzouij Musæo, hæc, quę sequuntur, accepimus.

An. 1000. *Bellingo Duce Saxoniæ munita Ludero*
Sum, quando Cæsar tertius Otto fuit.

Sub Henric. 2. *Meq́, mei ciues defensauère potenter,*

An. 1012. *VVandalia Holsaticas, depopulante domos,*

An. 1201. *A VVoldemaro, porrò sum victa, secundo,*
Qui tenuit forti, Danica sceptra manu.

An. 1233. *Prata mihi & syluas, quartus donauit Adolphus,*
Et ius concessit municipale simul.
Quodq́, Monasterium cernis cum laude Gerhardus,
Filius ipsius, condidit ære graui.
In quo cum reliquis post vltima fata quiescit,
Exspectans reditum Christe benigne tuum.

Friderici 2. *Stora est, qui fluitans hic me circumdedit humor,*

An. 1584. *Me regit, ast Daniæ qui modò Sceptra tenet.*

Nō procul à ciuitate Itzoensi pagus est Nordoe, vbi mōs conspicu⁹, in quo olim Nymphas habitasse, vetustas credidit, in eo Pyramis ex candido lapide, cum hac inscriptione, erecta videtur. Ad ortum.

DEO TRINI ET VNI SACRVM.

D. Frederico I. Christiano III. Friderico II. auo, patri, ac filio Danorum Regibus pijs, victoriosis ac bene de se meritis.

Henricus Ranzouius duorum posteriorum in Holsatia Vicarius nec non Ioanni Ranzouio, Annæ VValstorpiæ parentibus gratitudinis ergò, tum sibi ac vxori suæ Christianæ ab Halle, filijsque ac filiabus Francisco, Bredoni, Frederico, Gerhardo, Theodorico, Caio, Ioanni Magdalenę, Catharinę, Elisabethę, Oligardę, Margaretę, & horū posteris posuit, ānno domini M.D.LXXVIII.

Ad meridiem, horologium solare est, quod præter horarum discrimina Zodiaci signum indicat, in quo sol annuatim versatur, eiusdemque ortum & occasum, additis his versibus:

Vmbra horas Phœbi designat climate nostro,
Nodus, quod signum Sol tenet, arte docet.
Num solitum mutet post plurima sæcula cursum
Phœbus, posteritas sera notare potest.

Ad Septentrionem.

Constructa tribus ex ordine Danorum Regibus sibi ac suis Henricus Ranzouius, hoc monumentum posteritas exoptatissima, & vt inuiolatum maneat, rogat, æternæque te diuinitati in omnia orbis ventura sæcula commendat.

Anno à principio mundi, 5540.
Anno à diluuio inchoato, 3884.
Anno à Christo nato 1578.
Anno à nato Pseudopropheta Mahomete, 985.

Ad occidentem,

Henricus Ranzouius hoc latus memoriæ fratris Pauli ac Magdalenæ sororis dedicauit.

Spes salutis ipsam fœuitiam doloris leuat.

29. LANDISCRONIA, vide tam in opere, quam in Indice CORONIA.

45. LAVGINGA, siue LAVBINGA, Sueuicū opidum apud eruditos, eo potissimum nomine, celebre, quod admirabilis doctrinæ virum, Albertum Magnum ediderit, professione Dominicanum, Episcopum Ratisponensem, quam dignitatem deinde vltro deponens, ad paupertatis professionem Coloniam redijt, & octogenarius moritur. Multorum auctor operū, quæ Gesnerus in sua Bibliotheca, complura vltra centena, commemorat. Ac præter, quā Philosophicis, & Theologicis scriptis præcipuè claruerit, abdita etiam, & præclara de lapidibus, gemmis, mineralibus, & Magia naturali edidit. Hinc Crispinianus, in vita Guilhelmi Cæsaris, nescio tamen, ex quàm probato auctore, scribit, hunc Cæsarem, postquam Aquisgrano coronatus, rediret Coloniā, lautissimum instituisse Principibus conuiuium, in quo, vt fertur, & quod admirandum, mirabili opera Alberti Magni Philosophi, arbores, media hyeme efflorurint, & herbæ germinarint (si verum est, quod scriptores eius ætatis, & qui se vidisse commemorant, tradunt) ob quod factum, frātribus sui ordinis in Traiecto, prædium ingens, cum redditibus dicitur donasse, atque monasterium construxisse.

20. LIPPIA.

50. LVCA, Romanorum in Tuscia Colonia, ad Auserim fluuium, qui & Aesarus, nunc, Serchio, teste Leandro, & iam se non, vt priscis temporibus, in Arnum iuxta Pisam exonerat, (quemadmodum Abrahamus Ortelius, tertio, eoque accuratissimo Theatri sui additamento, in antiquo Tusciæ typo, solerter expressit) sed à Luca, mare recta petit. Nec idem etiam est cum eo, quem Blondus à Liuio, Melam dici perhibet, cum perperam legat, quia in castigatis Curij exemplaribus Macra legitur, qui ab Auseri est diuersus. Refert Platina in vita Alexādri secundi, hunc Pontificem, Ecclesiam & vrbem Lucensem, multis priuilegijs, vt in eorum annalibus adparet, insigniorem reddidisse.

29. LVNDIA, Danicę elegans opidum, ab Anglis prima fundatione incertis ramen historijs, excitatum perhibetur. Fuisse enim olim inter Anglos & Danos frequentissima commercia, eosque frequentes in Daniam comeasse Anglos, vel illud argumento esse poterit, quod Angli fuerunt eorum nonnulli, qui & primi per Daniam semina iacebant Euangelij, & postea in hac gente religionem profirebantur, & propagabant Christianam. Ex Anglia certe in Daniam adduxisse scribitur S. Canutus Rex, Bernardum ilium, qui Olaum patrem Trugori filium Norwagiæ regem baptizauit, quem & Lundiæ (quæ haud dubiè ciuitas tum erat percelebris) sepultum scribit Saxo. Crantzius etiā Lundiæ Episcopum facit, quamuis id perperam. Et Anglus erat Gothebaldus, à Suenone primo, sub annum Christi circiter, 1000. in Daniam adductus, quem quidam Schaniæ Episcopum fuisse memorant, sed & id falso: Et VVilhelmus Episcopus Roschildensis Anglus erat natione. Egimus item, & Richvvaldus, primi apud Lundenses, quorum Saxo meminit Episcopi, Ailnothus quoque qui S. Canuti Regis, & filij huius Caroli, Flandriæ Comitis, passiones ac exitus perquam tristes scripto complexus est. Anglum se fatetur ipse & annos, 24. in Daniæ versatum scribit.

Ob hęc itaque quotidiana Anglorum cum Danis commercia, ob eandem istius opidi cum Londino Angliæ appellationem, plerique Anglos, primos eius fundatores existimant, quod Danicis periti historijs, rationibus etiam suis commoti, negant.

Peregregia collegiata Ecclesia Lundiam mirificè exornat. habet illa sub choro, quam latè is patet, Hypogeum, quemadmodum Saxo id nominat, Cryptam hodie vocant, vbi olim, non minus quàm in ipso templo sacra fiebant. In hoc (vt Saxo ait) Hypocaustum tamen hodie, qua Hypogæi parte. Birgerus, qui erat ex Archiepiscopis Lundensibus per Pontificem Rom. consecratis & confirmatis posterior, idemque inter Archiepiscopos numero, XXVI. anno altero ante mortem (obijt autem is anno domini, 1519.) horas B. Virginis in hac Crypta à se reparata, singulari diligentia instituit quotidie decantandas, additis ad sustentationem eorum, qui sacris illis operarentur, redditibus haud pœnitendis. Templo versus Austrum, adhærent Sacella duo, alterum orientalius B. Dionysio dicatū, & à Carolo Archiepiscopo XIIII. exstructum, anno domini, 1327. vel paulo antè: alterum magis ad occidentem D. Georgij vulgo dictum, quod à Petro Lyckio Archiepiscopo XXII. conditum. Erico VIII. Rege, non minus celebre est, quam Carolinum illud, seu Dionysianum. Eidem templo ad occasum iunguntur turres excelsæ duæ, similiter ex fecto lapide, quemadmodum & templum ipsum, constructæ. In harum altera campana olim erat Marialaura dicta, à Maria nimirum, & Laurentio, diuis præcipuis, quorum patricinio commendata erat Lundia. Hæc magnitudine sua longè excelluit Nolam eam, quæ Erfordiæ est, ob capacitatem celebris, quod testari possunt, qui vtranque viderunt, & mensi sunt. Verùm hæc Lundensis, incautius aliquandò pulsata, cum sui quadam parte finderetur, ac rimā duceret, vt sonum redderit & inconuenientiorem, nec vsui amplius esse hic posset. Comminui eam Rex Fredericus II. curauit, atque Croneburgum transferri, anno domini, 1577. Ex qua postea duæ aliæ non contemnendæ magnitudinis campanæ fusæ sunt, quę nunc Croneburgi visuntur suspensæ. Ad horologium venio Laurentianum, in quo est, quod obseruare fortè conueniat. Non distinguit quidem illud, sono peculiari ædito, horas singulas per tetradas, siue quadrantes, quod faciunt alia quædam per Daniam horologia, & idem hic fieri non magno negotio posset. Nec etiam (quod in Belgio passim vsitatum) præludia ostentat musica, quoties horæ seu mediæ seu peractæ dandum est indicium, quibus rebus affici solent, quasque mirantur plebei, ac vulgus hominum, aliud autem quiddam est in automate eo, quod magis mirentur, ac ament docti. Situm est horologium, in inferiori templi parte, qua in turrim ascenditur, Australem, vbi tabula parieti affixa visitur quadrata, oblonga, vt cunque magna, circulis aliquot variorum colorum distincta, quorum, qui maximus est, diametrum habet pedum circiter 8. In qua quidem tabula, per certos eius rei indices, & annus currens, & mensis, ac septimana, dies quoque singuli, ac horæ singulæ, in quibus agunt homines, monstrantur liquidissimè, eo etiam iudicato si festum celebretur, seu fixum, seu mobile. Docetur item, quis luminarium solis ac lunæ motus, quæque horum in Zodiaco loca diebus singulis, & ad se inuicem habitudines. Et foris quidem in dieta tabula hæc spectantur: intus autem, machinis quibusdam, ad id fabrefactis res agitur. Quibus illud additum est, velut παράγγελμα, sed & id arte factum, vt quoties publicè signum datur horæ elapsæ, supra tabulam ipsam, qua templum spectat, duo concurrant simulachra (equites dixeris Cathaphractos) quæ tot sese ictibus petunt, quod signa dat Nola maior, in turri suspensa, quæ horam indicat. In hac ipsa tabula, est id quoque magis forte mirandum, In medio velut in throno collocatum est Simulachrum Virginis Deiparæ sinu tenentis infantem. Ad latera huic ostia duo, ante pedes, velut Theatrum, semicirculi forma, arcu huius spectatoribꝰ obuerso. Intus machina cum simulachris trium Magorum, quorum singulis singuli sunt famuli additi. Machina mota, ad eius, cui hoc negotium datum est, arbitrium, prodeunt simulachra. Ante alios quidem veluti Caduceator minitabundus, gladio vibrato pulsat ostium, quod sinistrum est virgini, eo aperto, ordine proceditur. Buccinis simul duabus sonantibus, quas inflare videntur, quæ iuxta vtrinque collocata sunt, totidem buccinatorū simulachra. Qui primus est maiorum, magnifico & planè Regio prodit per theatrum incessu. Ad virginis simulachrum vbi ventum est, reuerenter ad hanc versus inclinat sese Magus, velut adorabundus, moxque conuersus progreditur, sequentibus aliis. Faciunt idem reliqui Magi, secundus & tertius. Famuli, quorum singuli singulos sequuntur dominos, immoti procedunt, nulla edita erga virginem reuerentiæ significatione. Horum postrem⁹, iterum intro receptus ad suas, ostium quod virgini dextrum est, post se claudit, ita quidem, vt & clarior quidam sonus, eo occluso ad aures spectantium perueniat, quibus id iucundum spectaculum est.

Quod ad horologium attinet, cum in eo ars eluceat præcipua, facile arguit, maiores rerum Mathematicarum fuisse haud inexpertos. Est enim id opus minimè nouum, quamuis certè non constat, quando, vel à quo, aut quibus auctoribꝰ id fuerit confectum.

Præter horologium, de quo iam dictum, altare quoque in ęde Laurentiana media spectatur perquam magnificum, recens tamē sub annum domini, 1577. exstructum, haud exiguis Ecclesiæ sumptibus procurante id, Nobilissimo viro Domino Hilario Grubbe, tutore, & Ecclesię præposito, eodem Regni Danici Cancellario, ac Senatore prudentissimo, non ita pridem anno, &c. 58. ad 19. Nouemb. diem Haffniæ extincto. Est autem Altare marmoreum totum peramplum & altum, ex marmore partim candido, partim nigro, versicolore etiam nonnullo, artificioseq́ admodum ordinato, atque polito expressis in eodem, præter alias quasdam effigies. Imaginibus quoque Regis Friderici II. & Sophiæ coniugis, horumque insignibus. Mediam tabulam occupat Simulachra Saluatoris, & discipulorum 12. mensę velut allidentiū, eo ritu, quo in prima sacrosanctæ cœnæ celebratione consedisse leguntur illi, subscriptis verbis institutionis cœnæ illius, prout apud Euangelistas leguntur, quorum omnium & Pauli similiter, ac Petri, Marię quoque matris Domini, & Laurentij Martyris effigies iuxta collocatæ visuntur.

11. LYRA, Brabantiæ ad Netam fluuium opidum elegans, D. Gummari corpore, boum nundinis, situsque forittudine præclarum. Appianus.

29. MALMOGIA, Scaniæ Danicæ opidum.

3. MARCHENA.

4. MATISCONA, fama celebris, ad Ararim fluuium, qui Saona nunc dicitur, inter Lugdunensem, & Cabillonensem vrbes. Ciuitas est Episcopalis, Prouincię Lugdunensis, nomen retinens, in Comitatu Matisconensi, & Francorum Regno sita, ad quam primus quidem Euangelium attulit D. Marcellus, primus Cabilloniorum Episcopus. Matisconiorum autem primus Episcopus, (vt quidem eorum ferē sententia, qui diligentius rem istā indagārunt) fuit Placidius, qui sub Childeberto primo, eius nominis Rege, concilijs interfuit Aurelianensibus Nicetius. Secundus, Diuus Iustus. Tertius & decimus quintus Brandoncius, cuius tempore à Lotharjo, Matiscon euersa est. Qui hodie id muneris gerit, Baptista Allemannius officium præstat boni & sedulj Pastoris. Matiscone olim Senatus fuit Prętorius, & Comitialis, vnus ex ijs, qui quattuor in Regno Gallico, præcipui habentur, iurisdictionem habens & in Cabillonios, & in Lugdunenses. Atque hodie quoque, ea ciuitas, Senatum habet Comitialem, & Prætorium, sed non tam amplum. Matisconiorum Comitum, primus fuit, Albericus Narbonensis, deinde Racolphus, Alberici socer, hinc, Leotaldus Racolphi filius. Post, Albericus Leotaldi, Guilhelmus deinde Comes, Alberici mortui duxit vxorem. Successit Otto, postea Guerinus eius nepos, hinc Godefridus, Guido, Renaldus, Guidonis filius, Stephanus, & ad extremum Guilielmus Alamanus, qui Cluniaco vastato, & expilatis Ecclesiasticorum prædijs, palam à Cacodemone, fublatus è medio fuit. Eius filius Regnardus, cum exitium patris vidisset miserabilem, atque horrendum, in monasticam se vitam conicit, relicto filio Guilielmo: eaque generis series, ad tempora S. Ludouici propagata est, cum Iohannes Matisconensium Comes, & Elisa, eius vxor, ei suum Comitatum vendiderunt. Quo cuenit, vt S. Ludouicus, in Comitum Pallatio, Dominicanorum cœnobium, ædificaret.

39. MINDA, Episcopalis Saxoniæ vrbs perhonesta, aucta ea dignitate, primęua VVidekindi fundatione, à Carolo Magno, qui hunc Episcopatum instituit, quemadmodum & alios, Verdensem, Paderbornensem, Bremensem, Osnaburgensem, Salingstadensem, Hildesemensem, & Halberstadensem, ad diuturnas populi seditiones compescēdas. Quod intelligeret infrenē Saxoniæ populū, ferocemq; eius gentis animū, posse religione contineri, atq; mollescere, armis verò placari non posse. Cum nullum omnino vinculum sit, quod politicas societates, arctius colligat, quàm vna, & sola orthodoxa religio, quam à religando, Lactantius, contra Ciceronē, deducit. Quod quidem, salutare vnitatis, & firmissimū Imperij monimentū ac vinculum, quando in Germania, & Belgio, infausto nostro æuo, ruptum, dissolutumque vidimus, quantis calamitatibus, florentissimæ politiæ implicatæ fuerint, nemo est, qui nesciat. Proinde Carolus Rex, subacta, & in Prouinciam redacta Saxonia, octo Episcopis, non Ducibus, eam distribuit. Henricus Imperator pater Ottonis, cum annus ageretur, post natum Christum, D. CCCC. XLVIII. deuicta Dania & Iutia, quæ veteribus Chersonesus Cimbrica dicebatur, armorum strępitu ac gladio, victos parēre coēgit, constituto apud Heidebam, quę nunc Slesuicum dicitur, Marchione. Verùm, quia nō est diuturna possessio, in quam gladio, nulla religio, iis habita consideratione, introducimur, Dani, sumpta audacia, Marchionem suum, cum omni militium præsidio, trucidant. Hinc Otto Imperator, nouis deductis in Iutiam copijs, cum hanc Danorum rebellionem vltus fuisset, obseruauit, robustissimam gentem melius mansuetudine, & religione, quàm ferro, sub iugo continēri posse, itaque, Marchionatus à patre institutum ius, passus est antiquari, & tres in Dania Episcopatus instituit, alterum Slesuici, alterum, in Ripa, tunc non contemnendo opido, tertium, in VVandalis Holsatiæ propinquis, in opido Oldenburgo.

43. MONACVM, Munchen, vrbs Bauariæ, ab Atterno condita, à Lodouico quarto ampliata est, iuxta Isarum (fluuium, qui non procul à Pleteingio se Istro associat) sita, reducta inde per Ernestum. Ptolomæus hanc Abadiacum vocat. Huius vrbis meminit Sigebertus. Tempore Ottonis primi per Henricum Bauariæ Ducem Monacum inceptum est, tempore verò Alberti Episcopi duo parochia habuit. Vrbs hæc sub Germaniæ ciuitatibus principibus subiectis, pulchritudine arcem sibi vendicat. Sunt tamen qui primitus salutis anno, 1175. numero hanc vrbem inuestitam fuisse ab Ottone Duce Bauariæ scribant. Xenodochium verò illius anno 1208. auspicatum fuisse ferunt.

Hæc Franciscus Irenicus.

23. NOVESIVM, insigne Diœceseos Colonien. opidū, non quidem in ipsa Rheni ripa, sed inter medijs aliquot pratis, inter opidum & fluuium positum, reliquijs S. Quirini, & longa Carolis audacis obsidione, nobile, multisque immunitatibus, & priuilegijs, ab Imperatoribus donatum, grauiter bello Colonienſi adfligitur, anno 1585. Neuvvenarius enim Comes, qui Truchſeſij profligati Episcopi partes defendebat, aliquot signa peditum, equitumq; turmas è Geldriæ opidis & Bercka, sub id tempus euocauit, ad Nouesium per insidias occupandum. Archiepiscop. Bauariæ Dux quia hostes plurimum huic opido insidiabantur, iam pridem præsidium Magistratui obtulerat, sed is, suis viribus, opidiq; fortitudine fretus, illud repudiabat. Præterea, partim muri iuxta Rhenenſem portam ciues, Senatus Imperio erant demoliti, vt vallum nouum ædificarent, sed & ciuium excubiæ, minus erant frequentes, negligentioresque, quàm esse solent. Non latuit hoc Neuvvenarium, quare copias suas Nouesium ducens 10. Maij, intempesta nocte, partem illarum per fluuium, quo mola voluitur tranare, & sub ipsis mœnibus tacitè ad Monasterium vsque, cui Mons Mariæ nomen est, adrepere iussit. Quibus hoc mandatum erat, admota scala, quendam, (vt aiunt) muros ascendere, & quid in vrbe ageretur, explorare præcipiunt. Is, tractum illum obambulans, neminem inuenit: eratque altum in opido silentium, dato igitur signo, socios vocat, qui plurimis admotis scalis, muros superant, & in opidum præcipites sese demittunt, portam consestim martulis, malleolisque, seris disiectis, aperientes. Neuvvenarius cum equitatu in suburbio portā obseruabat. Audito verò signo, & viam videns sibi patefactam, celerrimo cursu, in vrbem aduolauit. Ciues, equorum hinnitu atque strepitu, hostium que clamore excitati, arma quæque obuia rapientes, seminudos hostibus sese obijciebant. Equites, ad portam Honoris properantes, à collectis ciuibus, qui ex curribus vallum obiecerant, impediti, forum occupariunt. Ciues, diuersis locis extra ordinem pugnabant, quorum 14. circiter occiduntur, inter quos præcipui fuerunt Consul Stalius, Arnoldus Fratius, Henricus Schirmer, scholæ moderator, Melchior in Millēdonck, & Hospes in Duleken, alij multi è mœnibus sese demittentes, perque fossas natantes, euadunt, hostes vrbe potiuntur. Res verò proditionis suspicione, minimè carebat. Dispositis excubijs, mane iam facto, in ciuium ædes ruunt, ciues capiunt, preciosa quæque diripiunt, & in vtriusque sexus homines, nullo discrimine, inaudita truculentia, desæuiunt. præter aurum & argentum signatum & non signatum, factum atq; infectum, præter omnem supellectilem, annonam, & mercimonia quæ hostis capuit, insuper ciues suum, vxorum, & liberorum suorum corpora, intollerabili lytro redimere, armaq; omnia penes hostes ipsos deponere debuerunt. Nec id satis erat, sed singulis penè septimanis præsidia mutarūt; vt prioribus præda iam onustis abeuntibus, noua succederent, quę magis, magisque ciues depilarent. Opulentissima, & penè incredibilis erat præda, quā in hac vrbe Neuvvenarij milites inuenēre, omnes enim rusticorū opes, omnium nobiliū & monasteriorū thesauri, cimelia atq; ornamenta, imo, quorundam ciuium Colonienſiū diuitiæ, hīc erant apud amicos depositæ, quod nulli tutiori loco, quàm Nouesio hæc concredebant. Ex solo monasterio Regularium, præter annonæ magnam copiam, præter ornamenta preciosissima, præter argentea vasa plurima, etiam XIX. calices argenteos atque deauratos, rapuēre. Erat hoc monasteriū primis fundatoribus in agro suburbano quondam ædificatum, & anno 1583. initiò tumultus Truchſeſiani ab ipsis Nouesianis, ne quid ex eò ciuitas caperet detrimenti, dirutum; vt etiam campos suburbanos defenderent miseri, qui ne pomeria, ne mœnia, imo, ne forum quidam ipsum defenderunt.

3. ORSAO.

53. OSTIAE, portus. Vide Portus Romanus in Indice.

56. PANORMVS, maximè celebris, & vetustissima Siciliæ vrbs, quam vulgo, Palermo indigetant, Polybius in duas partes distinguit. Veterem, Palæopolin, Nouam, Neapolin nuncupat. Sed Thomas Fazellus, quatuor eius regiones, in sua descriptione constituit. Situ admodum iucundo, & agro vbete gaudet. Nam frumenti, vini, olei, segetis, & mellitarum arundinum, adeò fœcundus est, vt Liberum ac Cererem, omnesque humanę societatis conseruatores Planetas, in eo honestando, liberaliter inter se contendisse, existimentur.

51. PERVSIA, vel vt Appianus Alexandrinus, Perſia, mediterranea Tuscorū vrbs, de cuius initijs hęc Marius Podianus commemorat. Noe, ait, quem antiquitas Ianum vocauit, in Italiam post vniuersale diluuium profectus, & in læuam Tyberis egressus, colonijs XII. seu pagis, hoc situ, qui Vmbria vocantur, conditis, vicum dein his in collibus ædificauit ex tugurijs, vti illorum temporum ferebat ratio, nomine indicto, Turrenæ Augustalis, seu principalis, statutoque vt ad certum lunæ nouę diem huc ad se, tanquam caput & regem honorandum singularum coloniarum Lacumones, seu præsides accederent. Is est locus, quē nunc Burneam corruptè, pro Turnea seu Turrena, Perusini nominant. Vallis subiecta, quæ inter hunc collem, & aliium propinquum, in quo dein alia pars ciuitatis condita, vt dicemus, intererat, Vallis Iani dicta fuit, & nunc corruptè, Vallianum appellatur. Hæc tantæ vrbis initia fuēre CCLXI. post vniuersale diluuium anno. Dein centum quoque & vigintiannis elapsis, magno incremento loci altero in colle, qui contra erat, vbi nunc mons solis dicitur, ædificia quoque construxēre Armenij Ianigeni Gryphonij, cum filijs & nepotibus huc ex Armenia profecti, comiterque ab Armenio Ianigena recepti, à quo collem hunc incolendum sumpsēre, quem domicilijs exædificatum, Perusiam dixēre, seu Gryphoniam, idem enim lingua Schytica significat, ipsamq; gentem Perusinos, seu Gryphonios, ab insigni Gryphi, quod ei⁹ gentis Ianigenarū erat, & Perusini ad hunc vsq; diem, conseruarunt. Exin crescentibus indies ædificijs, CCCCL. post Gryphoniorum aduentū anno, qui ab vniuersali diluuio DCCCLX. fuit, ambo hi colles, vna cum interiecta valle, mœnibus à Tarconte cincti, iussuque Tyrrheni Mœonij in Tetrapolim redacti, vt Appianus Alexandrinus tradidit. Eam vrbem inde plurimum auxere Pelasgi, qui Crotonem ceperant, vt Dionysius Halicarnasseus scribit. Trogum cum his auctoribus ita conciliari posse puto, vt cum Perusiam ab Achæis conditam ait, refectam audēnve dicere censeamus, C. Vibio Duce: frequenter enim condendi verbum, scriptores pro instaurando vel ampliando solent vsurpare. Cæterum, vniuersam istius vrbis historiam dare, vt nec huius loci, ita nec nostri est instituti. Plura de eius magnificentia, statu etiam adfricto, præter Marium Podianum, quædam Iacobus Middendorpius, suis de Vniuersitatibus libris, & omnium accuratissimè, Albertus Leander recēset, qui præclarissima etiam hīc orta ingenia commemorat. Iureconsultos, & mitioribus literis comptos, item bellica claros virtute, summos statuarios, sculptores, atque pictores, qui temporibus exactis Perusiæ splendori fuerunt. Has & similes delitias, qui gustare, & pernoscere velit, iam cōmemoratos, præter antiquos classicos scriptores, consulat.

53. PORTVS ROMANVS, ac Ostium, veterem Latij ciuitatem à Claudio Imperatore factus est, vbi naues exonerare oportebat propter vada, quo merces deinde Romam nauigijs paruis vel remis, vel funibus aduerſo Tyberi subuehērentur. Hui⁹ autem portus stupenda & incredibilis magnificentia fuit, muris velut brachijs erat circumdatus (in quibus habitationes variæ) in arcus extructis, quo mare fluxu arenas expelleret, præter quos muris alij erant turriculis distincti, qui totum portum ambiebāt. Portas habuit, quarum primaria Romam ducebat, larga Cannam & palmos sex cum dimidio. Templum forma rotunda, Aquæductum, portam secundam, largam cannam vnam palmos tres cum dimidio. Viam circum interiorem murum minoris portus, murum interiorem cum annulis ferreis alligandis nauigijs, quanto & spatio eidem muro infixæ erant columellæ. Domus, in quas exponebantur merces, super columnas extructas, quæ columnæ distabant inter se cannas duas, palmum vnum cum dimidio. Porticum excipiendis minoribus nauigijs cannarum XXV. Os parui portus largum erat cannas LVIII. Canalis à fluuiolo portum vsque, largus cannas XVII. cum dimidia, in quo duo partes stuari erant. Os parui portus largum cannas V. Palatium erat ipso in portu Regium à Traiano Imperatore olim extructum. Maiori portui moles erat obiecta, quam, quo stabilius fundaret Claudius Cæsar nauem ante demersit, qua magnus obeliscus ex AEgypto fuerat aduectus, de qua naui Plinius, Abies, inquit, admirationis præcipuæ, visa est in naui, quæ ex Aegypto Caij Principis iussu, obeliscum in Vaticano circo statutum, quatuorque truncos lapidis eiusdem ad sustinendum eum adduxit. Qua naui nihil admirabilius visum in mari, certum est. CXX. M. modium lentis pro saburca ei fuēre. Longitudo spatium obtinuit magna ex parte Ostiensis portus, latere læuo: ibi namque demersa est à Claudio Principe. Arboris eius crassitudo quatuor hominum vlnas complectentium implebat. Os portus maioris orientem versus largum erat cannas L. Os autem occidentale latitudinis eiusdem. A porta Romam versus ad molem portus maioris longitudo, cannæ mille trecentæ septuaginta octo. Latitudo autem eiusdem portus, cannę quingente quinquaginta circiter. Hæc si descriptio cum priore, & pictura conferatur, dilucidior erit. Cannæ & palmi mensuræ sunt, quarum Architectis Romę vsus est. In hoc portu, fuit ædes Portumni, qui portubus præest, in cuius ædificatione portumnalia factæ sunt. Excitauitque idem Princeps marmoream in mari turrem, instar Alexandrinæ Phari, vbi nocturna lumina affixa, viam nautis portum subituris, aperirent, quæ hodie marinis fluctibus cessit, vna cū portu. Extant hodie in ambitu magnæ ruinæ ciuitatis Portuensis, cum templo S. Luciæ, quæ nunc est tertia dignitas post Ro. Quem locū hodie interfecat pars quota Tyberis, & riuus ipse vocatur Fluuiolus, huius vrbis nemo ex veteribus scriptoribus, quod sciam, meminit, sed portus tantum meminere Ostienſis, qui postea, vt videtur, auctus est vndique ædificijs, & rerum maritimarum Conditorijs, quorum adhuc extant vestigia circum stagnum, quod adhuc illic extat.

44. POSONIVM, VVLGO PRESBVRG.

35. REINOLDEBVRGA.

54-55. ROMA.

53. ROMANVS PORTVS, vide Portus Romanus in Indice.

13. ROTERODAMVM.

46. SERAVALLIS, Marchiæ Taruisinæ, nobilissimum opidum, annorum bellicorum celebris officina, pannorumque & vini, & frumenti negotiatione, inclytum. Est velut emporium, gentibus teutonicis, ædificatum optimè, lautoque populo, confertum. Percurritur Immesulo amne, aquis nitente: Plurimæ castellum ipsum officinæ, cingunt. Equidem & hoc quoque opidum, siue pulchritudinem, & diuitias, siue lautissimi populi frequentiam spectes, cum multis Italiæ ciuitatibus, certat. Agrum periucundum habet, vberemque, partim campestrem, partim collinum, fertque tum frumentum, & vinum, tum olcum suauissimum, aliosque fructus optimos. Inter colles hīc modicos, amœnissimæ conualles, & in ijs, lacusculi quidam aquæ clarissimæ, summa cum delectatione, spectantur. Hoc in opido peramœno, Ioannes Antonius Flammineus, Immolanus, vir, doctrinæ singularis, cum publico stipendio iuculento, vixit, cuius summæ vir tutes, iam vniuerso litteratorum gregi, notissimæ sunt. Hæc, Leander, in sua Italia.

31. SLESVICVM, vulgò **Schleſwick**/ præcipuum ducatus Slesvvicensis, quo ad Holsatiam pertinet, opidum. Germanicæ originis nuncupationem habet, ob situm, quem ad Sliam, in maris Balthici sinu, obtinet. **Wick**/enim, & opidum, & incuruū maris recessum, siue sinum, & Vicum, etiam priscis Saxonibus so nat. Quemadmodum Goropius Bekanus, in suis Gotodanicis observauit, vt, dum dicimus Brunsvvicum, Ostervvicum, VVesterviecum, & alia complura loca, quibus nulli sinus sunt vicini. Eadē etiam ratione, & ad mare, & ad terram refertur, cum vtrobique ille locus significetur, ad quem è periculis quisquam fecedere possit. Quemadmodum enim in mari, ad sinus incuruos, à procellis, & fluctibus declinamus: ita, in terrestri periculo, vnicuique ad vicinos suos, & cognatos est fecedendum, quorum iusta quædam ad defendendum sua multitudo, Vicus vocatur, à **Wic**/ quo cedo, & fecedo, à periculo, Saxonibus vocatur. Ita Dantiscum, Danorum, Slesuicum, Sliæ, siue vicum, siue sinum, exprimit. Ex anonyma etiam historia, de vita Caroli Magni, videre est, Slesuicum, quondam, **Sleßtorff** nuncupatum. Is quippe historicus refert, inter Carolum Magnum, & Daniæ Regem Gotfridum, quem alibi, Gotricum nominant, controuersias fuisse, de finibus inter Daniæ Regnum, atque Saxoniam, quam sibi Carolus vendicabat, conuentumque fuisse, vt vterque alteri, ad colloquium, sese obuium daret. Venisse itaque Carolum in Hodingstede, Regem verò, in **Sleßdorff**. Distuasum Regem à suis, detrectasse colloquium, remque per Consiliarios actam, & conuenisse, vt Eigdora regni Danici, & Saxoniæ limes esset. Præfectura etiam rustica, antiquæ Angliæ, in qua opidum Slesuicum situm est, **Sleßherde** nomen retinet. Est enim, **Gerde**/ districtus, siue Territorium vnius iuris ditionis. Inde **Sleßherde**/ præfectura territorij ad Sliam. Negotiatione quondam celebris Slesuicum fuit, quemadmodum & mercatus erat frequens in peninsula, quæ Stapelholmij nomen habet: Stapel enim Saxonibus, est emporium, quod mercimoniis & negotiationibus frequentatur, Holm, verò peninsulam designat. Inde duo pagi ad Eigdoram, in illa peninsula siti, Sudarstap, & Norderstapel. Extant adhuc eorum commerciorum vestigia, in Holdingstadio. Templum, nimirum quod ex Britannico cæmento extructum, Mercatoria domus ab initio fuit, postea verò mercatura deficiente, & incolis, ad Christi fidem conuersis, Deo dicatum fuit. Simile templum, ante paucos annos, videri poterat Slesuici, in opidi peninsula (Holm) nuncupata. Considerunt & Angli mercatores Slesuici, ad forum, templum S. Spiritus, cuius amœna turris adhuc supereſt, visunturque circum vestigia tabernarum extructarum, in vsum mercatus, quem Angli exercebant. Sed, quando Dani, Cimbrico Chersoneso vastitatem, assiduis incursionibus, & populationibus induxerunt, & ostium etiam Sliæ, in grauissimis, superiorum temporum bellis, obstructū fuit. Transitus etiam freti, quod Krageſſund dicitur, inter Scandiam, Selandiam, Iutiam, ac Norvvegiam compertus, frequentiores istæ negotiationes perierunt.

Confirmatis in Daniæ regno, locisque vicinis, Christi Ecclesijs, & vbiuis locorum, salutari Dei verbo, personante, Sclaui, acerrimè Christianos, Australis Iutiæ, persequuti sunt. Nam circa annum à Christo nato, M. LXIV. Slesuicense opidum, expugnant, atque diripiunt. Quō annō deuastata fuit Stormaria, atque Holsatia, castrum Hamburgh penitus excisum, incolis passim vel occisis, vel in captiuitatē abductis. Fecerant etiam Sclaui VVinuli, maximam impressionem in Australem Iutiam, quæ illis pessimè cessit. Nam, cum omnia populando, & deuastando ad ripam vsque processissent, à Magno Daniæ Rege, de Normandia Slesuigā redeunte, in campestribus Hedebui, hodie, **Die Kroppenheide**/ non longè à Slesuico 1500. in regressu cæsa sunt. Natum hinc vulgare prouerbium, **Du biſt Kroppe noch nicht vorbey**. Nam hīc nequaquam de vallo, cuius Slesuici initium, quod Isthmum Cimbrici Chersonesi munit, tacendum videtur. Opus Danorum, (vulgo, **Dennewerck**) nuncupant. Memorabile sanè opus, maximi laboris, & summa admiratione dignum, non minus, quàm in Peloponeso, & in Britannia, Seueri Imperatoris Romani vallum. Quod Anglo Saxonum vulgus, **Seuerßwahl**/ nominat, & Angliam à Scotia, interlabente etiam Ineda flumine dirimit. Incipit hoc vallum, à mari orientali, & desinit in paludes, apud Holdingstadium, quas æstus occidentalis Oceani, ad Threnam fluuium efficit. Primus hoc vallum, ad fines regni sui muniendos, efficit Gotofridus, vel, vt alij cum nominant, Grotricus, post pacta conuenta cum Carolo Magno Imperatore, de finibus Daniæ & Saxoniæ. Ità enim Annonius lib. 4. Historiæ Francorū, scribit: Gotefridus limitem regni sui, qui Saxoniam respicit, vallo munire constituit, eo modo, vt ab orientali maris sinu, quem illi **Oſterholm**/ appellant, vsque ad occidentalem Oceanum, totam Eigdoræ fluminis aquilonarem ripam; munimentum valli prætexeret, vna tantum porta dimissa, per quam carra, & equites emitti & recipi possent. Diuiso itaque opere, inter duces copiarū, domum reuersus est. Huc vsque Annonius. Verum hoc vallum, multis in locis concisum, & attritum, & post hoc, quod Caroli Magni ætate, constructum fuerat, reparauit. Thyra, Regina Danię, Gormonis Daniæ Regis, & Christianorum acerrimi persequutoris relicta vidua. Haraldi Regis mater, fœmina Christianæ fidei studiosissima, & prudentissima. Ne in posterum, Germanis Saxonibus irruptionum, ac impressionum in Regnum Daniæ faciendarum facultas, parensque via esset. Fuit is Haraldus, quem Otto primus Romanorum Imperator, Christi fidem profiteri, & baptismum suscipere, vna cum Stenone filio, bonis rationibus coēgit. Ex cuius nomine, etiam Episcopatus Fioniæ, Ottoniæ adpellationem adeptus est. Monstratur adhuc hodie ab incolis locus Arcis, & habitationis eius Thyræ, prope pagum, **Grote Dennewerck**. Sed, cum subsequentibus temporibus, Slaui, assiduis incursionibus, & depræda tionibus atque incendijs, Australem Iutiam, quę nunc est Ducatus Slesuicensis, vexarent. Ita, vt illa terra, fermè in solitudinem redigeretur. Et VVoldemarus Rex fortissimus & fœlicissimus, ductore Absolone Episcopo Roschildensi, bellum contra Sclauos susceptum, dextrè confecisset. De quo iusta Saxonis Grammatici historia extat. Margaritæ Regina Daniæ, cui Nigræ nomen inditum fuit, mater Canuti Regis hoc op⁹ Danorum tertio reparari, murisque & fossatis amplissimis illud firmari fecit, vti hodie adhuc cernere licet.

Porro, & illud silentio prætereundum non est, peninsulam illam, Angliam, inter duos maris sinus, quorum orientalior, Flesburgum. Alter verò occidentalior, Slesuicū opida, alluit, in hodiernum etiam diem, Angelen dici. Indeque testimonio Venerabilis Bedæ, Imperatoris Theodosij tempore, egressos, vna, cum Saxonibus & Vitis, Anglos, Britanniam occupasse, & simul nomen cum lingua, Insulæ intulisse. Cum verò, Reguli Vitarum & Saxonum, de summa rerum, cum Anglorum Regibus certarent, victi tandem à Saxones, & Vite, id est Iutiæ, in nomen & potestatem Anglorum, comessendæ, quod Anglici regni, in Britannia, primordium fuit.

Slesuicenses demùm insignia habent, quæ in Scuto turritam exhibent arcem aquis instructam, cum Semilunula, Stella, & clypeo paruo, cuius pars dextera rubri, sinistra verò, coloris est albi, qualia nobilissimæ Ranzouianæ familiæ sunt insignia. Vnde nō leuis suspicio solum Slesuicense, olim ad eam spectasse familiam, vel eiusdem auspicijs & intercessione, ciuibus priuilegijs donatum. Et ità, ad perpetuam rei memoriam, ad declarandam gratitudinem, integrum Ranzouiorum insigne vsurpent in Scuto, & cornua in galea.

18. SLOTENVM, septem salruum Frisiæ ditionis opidum.

18. SNECA, Vestergoyensis Frisicæ ditionis opidum.

8. S. OVDOMARI.

17. STAVRIA, in occidentali Frisia, ad littus maris Meridionalis sita, amplissimis quondam negotiationibus clara, & toto ferè orbe celebris, vt etiam ciuitas Regalis sit dicta, quæ imperij sui limites, Nouiomagum vsque extendebat. Vbi vetustissimo stylo, caracteribus ferè ignotis, longo & obliquo ordine, ad portas

tas Christi legitur inscriptum, HVC VSQVE IVS STAVRIAE. Et in alio loco. HIC FINITVR REGNVM STAVRIAE. Nunc, quamuis continenti adhæreat, magna tamen ex parte instar Amstelredami fluctibus cingitur, habens ad orientem vastum lacum, ad occidentem mare mediterraneũ, statio olim bene fida carinis. At nunc, temporum iniuria, frequentissimis marmis inundationibus, magna arenarum mole iecta, portus ita præclusus & obstructus est, vt nauigijs vix sit peruius, vnde ciuitas negotiationis commoditatibus destituta, ad extremam calamitatem redacta, miserandum pristinæ dignitatis cadauer exhibet. Vbi monasterium Ecclesiarum & amplissimarum ædium ruinæ, quarum columnæ & vestibula deaurata fuerunt, inter vepres desolata iacent. Atque huius quidem vrbis interitus Amstelredamensium salus & gloria extitit, quo omnis eius negotiatio est translata. Oriundus hinc fuit Ioachim⁹ Hopperus Iureconsultus & Theologus celeberrimi nominis scriptis, & Præsidis dignitate in Hispanijs apud Philippum regem clarissimus.

Iuxta Stauriam, propè monasterium S. Odolphi Guilielmus Comes Hollandiæ anno M. CCC.XLV. cum octuaginta millibus, à Frisijs infœlici Marte cæsus est, quorum ossa ad annum vsque, M. D. XLV. passim dissipata & inhumata iacuerunt, in quibus manifesta vulnerum & ictuum indicia apparebant. Quæ à Maria Regina Vngariæ anno iam dicto plaustris, curribusque imposita Stauriam deuecta & in domum mortuariam & cœmiterium sunt deposita. De quibus hæc, Gerardus Nouiomagus cecinit.

Egressum Sueca me excepit Stauria quondam
Postibus ex auro factis assueta domorum
Limina fulcire, ac modo vix vestigia prisci
Splendoris retinet, fluctus perpessa furentis
Vicini Oceani. licet hic tamen ossa videre
Congesta in tumulum, Hollandrum principe caso
A Frisijs, pulchro pro libertate parata
Mortis adire domos, patrio vel viuere iure.

41. STETINVM, fuit olim vicus piscarius oblongus eis Viadrum fluuium, qui hodie est Odera. Post susceptum verò Christianismum & destructam V Vinetam, translato illuc emporio, cœpit amplificari & extendi, estque iam Metropolis totius Pomeraniæ, & habet amœnissimum situm, qui ab imo decurrentis Oderæ in aduersum gliuum erigitur, propugnaculis ac mœnibus roboratur.

38. STOCKHOLMIA, vrbs elegans, regia, & emporium Suecorum munita natura & arte. Et sita est in paludibus instar Venetiarum, inde sortita nomen, quod sita in aquis, fundamenta sint palis stabilita. Mare eam ingreditur duobus ramis tam largis aquis, vt naues onerariæ extensis velis & toto onere inuchantur. Hæc vrbs anno post Christum natum, 1407. insigni affecta est clade de cœlo. Nam fulmine tacta, penè tota conflagrauit. Perierunt in ipso incendio ad mille sex centum homines. Fœmine quoque plures & sine numero puellæ, nauibus res suas inuexerunt cum paruulis. Aderant & viri non pauci. Prius quàm vero soluerent, ingruebat promiscuum vulgus incendia declinans, & opplerat naues tanta multitudine subsederunt, merserunt; omnem illam multitudinem.

32. SVLMO, Pub. Ouidij Nasonis, lepidissimi Poëtæ Italici patria.

26. SVNT, Danicum fretum.

21. SVSATVM.

9. TORNACVM, antiquissima Galliæ Flandricantis ciuitas, quos Cæsar Neruios vocat. Existimant nonnulli, hanc eam esse, quæ Ptolemæo, Baganum, dicebatur, de cuius origine, varias, & diuersas Auctorum sententias. Egidius Corrozetus, lib. primo, de vrbium origine, refert, quas nimis longum foret, hic omnes commemorare. Scaldis fluuius, eam intersecat. Fallitur Meierus, tomo primo rerum Flandricarũ, qui scribit, eam in totum quondam ciscaldanam, quæ nunc tantum orientali sui parte, Scaldem transit. Sed antiquissimi muri, & portæ ciuitatis, æquè adhuc visuntur vltra Schaldin, ac citra, & nouis muris, portisque, circa annum Domini, M. C C. II. auito nimium inhabitantium numero, prolata, & propagata fuit ab oriente, vltra Scaldim, vltra verò Scaldim, anno Domini, M. C C. L X X V II. Munitissima, ampla, variis mercimonijs florens, & opulenta est. Sanctissimos præstantissimosque viros Religionis Christianæ primos auctores habuit. Nam I. P I A T V S, siue Piato, primus Neruiorum, siue Tornacensium Apostolus fuit, natione Italus, ciuitate Beneuentanus, cuius sancta prædicatione, plurima multitudo populi, Tornaci, ad Deum est conuersa. Vbi etiam sub Diocletiano, & Maximiniano, circa annum Domini, 306. sacri martyrij lauream, morte cruenta, est adeptus. Quiescit Sichinij, prope Tornacum, vbi in honorem martyris, & primi Tornacensium Apostoli, fundatum est Canonicorum Collegium.

11. SVPERIOR, Cum multis alijs Galliæ Episcopis, Concilio Colonienſi interfuit, in quo Euphrata Arianus, ex Cathedra Episcopali amotus est, eidemq; S. Seuerinus Aquitanus successit.

III. THEODORVS, Martyr, vt quidam volunt.

IIII. CHRYSOLIVS, Armenus, Piati, in doctrina Christi, collega, & ipse martyrij laurea decoratus Cominij, ad Lisam, vbi & in collegiata Ecclesia quiescit.

V. ELEVTHERIVS.

VI. MEDARDVS, prius Veromanduorum & Nouiodunensium Episcopus, qui ad petitionem Cleri, populique Tornacensis, mortuo Eleutherio, auctoritate Hormisdæ Pontificis, & S. Remigij Rhemensis Archiepiscopi, anno salutis, D. XXIV. Episcopatũ Tornacensem, cum Nouiodunensi administrandum suscepit, quo exemplo, illius successores, Nouiodunenses Episcopi, obtinuerunt successionem & administrationem Episcopatus Tornacensis, dictique fuêre Nouiodunenses & Tornacenses Episcopi: non, quod Ecclesia Tornacensis fuerit suppressa & extincta, & Nouiodunensi subiecta, sed, quadam tacita, implicitaque vnione, vnus, idemque succesiue fuerit, vtriusque Ecclesiæ Episcopus, idque durauit à morte Eleutherij, anno nimirum D. XXIIII. vsque ad annum M. C. X L V I, quo ad intercessionem D. Bernardi, Eugenius Papa, ipsius ante discipulus, hosce Episcopatus seiungens, Tornacensibus proprium Episcopum restituit, Anselmum Monachum, Medardi successorem, pro tempore Abbatem S. Vincentij Landunensis, virum vitæ spectatæ, quem à se ordinatum, conseeratumque Episcopum Tornacensibus misit. Itaque, annis decem & sex, vltra sexcentos, instar viduatæ, Ecclesia Tornacensis fuit, non habens propriũ, sed communem, cum Nouiodunẽsi, Episcopum. Multi interim insignes, & clarissimi fuerunt vtriusque Ecclesiæ, Episcopi, quorum aliqui in Diuorum ordinem adscripti, vt D. Medardus, item D. Acharius, cuius consensu S. Amandus Episcopus Tongerensis, in ciuitate & Diœcesi Tornacensi, vices pontificis agens, Pabulenses & Gandenses, Christum docuit, sed Gandenses potissimum, à Mercurij, & aliorum idolorum cultu, auocauit. Ibiq; duo celeberrima construxit monasteria D. Petri Blandinense, & D. Bauonis Gandense, ipsique D. Bauoni, Hasbaniæ Principi, Deum syncerè colendi, leges dedit. Truncinij ad Lisam fluuium, Clericorum, siue Canonicorum societatem instituit, quæ multis post annis, in cœnobium, instituti Præmonstratensis est conuersa. Fuit & B. Eligius, vnitarum Ecclesiarum Nouiodunensis & Tornacensis Episcopus, qui Flandrenses, Andouerpenses, Frisones, Sueuos & Barbaros, circa maris littora degẽtes, quos velut in extremis remotos, nullus adhuc prædicationis vomer impresserat, ad euangelicam doctrinam conuertit. Huic S. Momolenus, miraculis clarus, successit, sed & tempore Crasinari, quarti, à B. Medardo Nouiodunensis & Tornacensis Episcopi, plurimum, bonis Ecclesiæ Tornacensis accreuit, largitione Hilperici Suessionum Regis, cui eo tempore, Tornacum subeiat, Theloneum, omnem, quem sua Regia Potestas in Tornaco habebat (ipsissima sunt donationis verba) cum iustitia de eodem, Domino Chrasinaro Episcopo, ad Ecclesiam ipsius, quæ est in honore B. Mariæ in Tornaco constructa, in stipendijs Canonicorum concessit, circà annum Domini D. L X X X V II. Illud quoq; non pœnitendum, ex hac vnione recepit Ecclesia Tornacensis beneficium, quod circa annum Domini, D. C C C. L X X X. sub Carolo Caluo Francorum Rege, Tornaco à Normannis vastata & incensa, fabrica Ecclesiæ euersa, & Emilione Episcopo, ante valuas, siue in portali Ecclesiæ occiso (ad cum modum, quo B. Nicasius, Archiepiscopus Rhemensis, à Vandalis cæsus fuit) Clerus, cum pignoribus, reliquijsq; sanctorum, ac Ecclesiæ ornamentis, Nouiodunum se conferens, ab Heidilone Episcopo, humaniter susceptus, triginta annis, continuò, ibidem mansit, quietusque resedit, & trigesimo demum anno, Tornacum rediit, affectus interim damnis, & detrimentis quamplurimis. Verùm præcipuum incrementum in diuitiis & potentia, Ecclesia Tornacensis cœpit habere, circa annum salutis, M. C. X L V I. quo peculiaris illi Episcopus restitutus fuit. Is erat Anselmus, Abbas Cœnobij Rhemẽsis, post quem, qui Tornaci sederunt Episcopi, à Meiero in Flandriæ historia commemorantur.

Porrò, Tornacum à tempore Iulij Cæsaris, sub Romanorum imperio fuit, vsque ad Clodionem Pharamundi filium Francorum Regem, qui Rheno, Mosaque superatis, ad Schaldin vsque flumen peruenit, ac cæsis, expulsisque Romanorum præsidiis, Tornacum, & Cameracum cepit, circa annum salutis, C C C C. X L V. vt auctor est Gaguinus, in historia Regum Franciæ. Sed, cum idem Clodio, à Vandalis, Alanis, Sueuis, & Burgundis, quos Stelicon Senator Romanus, Honorij Imperatoris Socer, ad id in Gallias inuitarat, coactus fuerit in patrium solum, abducto secum belgico populo, retrocedere: demum, à tempore Clodouei Francorum Regis primi, fidem Christianam professi, qui anno Domini C D L X X X I X. deuicto Gillonis filio, Suessionens. prouinciæ gubernatore, à Romanis constituto: quicquid in Belgio tunc parebat Imperio, suæ ditioni subdidit. Ita Tornacum, sub Gallorum

potestate

potestate manſit, vsque ad annum M. D. XIII. quo eam Henricus Anglorum Rex cepit, qui anno M. D. XVIII. ad Francisçum Francorum Regem, eã traduxit, Inde à Carolo V. bello domita, & superata, anno M. D. X X I. Hinc hæreditario iure Philippus Hispaniarum Rex, Flandriæ Comes, nunc eam tenet.

20. TREMONIA.

40. TVBINGA, opidum Sueuiæ sub Palatinis Tubingensibus, quorum plurimam orationem habuit Abbas Vrspergensis. Horum vltimi Gore, & Guilielmus Palatini Comites Tubingenses hoc vendiderunt Vdalrico Comiti VVirtenbergensi, anno Domini, 1342. vt Hermannus asserit. Nobile Gymnasium illic celebratur, quod doctissimos viros, qui scriptis claruerunt, Professores habuit, Gabrielem Byel, Ioannem à Lapide Theologos, Ioannem Nauclerum Præpositum & Cancellarium Tubingensem, historicum præcellentem, Ioannem Stoflerum, Mathematicum, cuius elegantem sphæram, & multa Mathematica instrumenta exusta, Munsterus in sua Cosmographia, deplorat.

Mansionem augustam Caracallæ in Germania ad Tubingam fuisse, Ioannes Herold, libello de Germaniæ primæ antiquitatib⁹ ex fragmento elogij ipsius, quod ibidem incisum videtur, demonstrat. Id Petrus Appianus, lib de Sacrosanctæ vetustatis inscriptionibus, ità exhibet.

MAX. IN
AVG. EM. GER. MAX.
DAC. MAX. ARM.
MAX. TRIB. P.
COS. ET

Verùm, Herold, hanc inscriptionem integram legit, quemadmodum eidem Imperatori Romæ posita fuit.

IMP. CAES. DIVI. L. SEPT. SEVER. P. PERT. AVG. PARTH. ARABAD. ADIAB. F. M. AVREL. ANTONIN. AVG. SARMAT. MAX. GERM. MAX. DAC. MAX. ARMEN. MAX. BRITAN. MAX. ARAB. MAX. ALEMAN. MAX. PARTH. MAX. P. E. PONT. MAX. TRIB. POTE. VI. COS. PROCOS. PERPET. LEG. VIII. ANT. AVG. P. E. EIVS. NVM. DEVOT. PRIN. OPT. FORTISS.

47. VICENTIAM, admodum copiosam, lautam, elegantemque vrbem in Marchia Tarusina, Venetorum ditionis, abs gente eleganter culta, & Christianæ religioni, pietatique admodũ dedita, habitari, sanctarum fundationum, & Ecclesiarum elegantissimarum multitudo, testantur. Loco tam propitio posita, vt, post varias offensæ fortunæ, iratique Vulcani clades, non modò, ad pristinam redierit formam, sed post primam etiam fundationem, vicẽza nominatur: Bitetia, alias Besetia Aeliano, variat enim: lectio Vicetia, pud Plinium est. Veicetia quoq; in lapidibus haberi, ostẽdit in sua orthographia, Aldus Manutius.

27. VRANIBVRGV[M], Arx.

52. V[R]BIN[V]M, à quo Vrbinates Metaurenses Plinio, Italiæ, in Marchia Anconitana, quam Picenũ veteres, opidum: Leandro, Suase Ptolomæi videtur. Situm in Appennini montibus, licet multis nominibus celebre atque famosum, eò tamen maximè obseruandum quod præcellentes nobilissimæ picturæ magistros ediderit. Quorum historiæ in ipso operis contextu recensentur.

24. VVESALIA superior, (ad differentiam VVesaliæ inferioris) ad sinistrum Rheni latus, inter Bachi aram, & S. Geari vicum, medium quasi occupat, quemadmodum is, qui Rheni tractum describit.

Mille quater passus, simul ac Traiana recedunt
Culmina, Bachracum gurgite lauta ferit.
Dicitur hæc Bachi sedes: fert montibus arcem:
Insidet oppiduli mœnibus ipsa sui.
Proxima contiguo diffunditur insula tractu;
Quam media Rhenus parte fatigat aquis.
Altera cornuto maior consurgit ab æstu
Insula: spumarum molibus acta fremit.
Illa Palatinæ generosum sustinet arcus
Nomen: & excelso mœnia colle leuat
Pagus, & arx dextro Coueanum margine surgit:
Verticis hæc apicem possidet: ille pedem.
Obuiat arx; celsi spectatur acumine montis:
Arx latus ad læuum condita propter aquas,
Altior ex templo Vesalia subiacet arci
Solis ad occasum flumine Rhenus abit.

Ioannes Herold, libello de antiquissimis primæ Germaniæ locis, Antonini inquit, Aliso, inter Bopardium, & Bingen, situm est opidum, quod (ni fallor) **Oberwesel** dicitur. Vnde hanc opinionem suam iam dictus Herold desumpserit, diuinare non possum.

19. VVESALIA inferior, ad Lippiæ ostium, vbi Rhenum ingreditur Cliuensis Ducatus ciuitas, negotiationis & diuersorum opificum inhabitatione, magis quàm religionis vnitate nobilis.

42. VVRATISLAVIA, vrbs elegantissima, lumen, oculꝰ, & totius Silesiæ Metropolis, de qua Ioachimus Cureus Friestadiensis, in suis Silesiæ annalibus plurima commemorat, quæ hic prolixius commemorare non libet, cùm sint, qui publicis scriptis, hosce annales, vt malæ fidei notant.

16. ZVTPHANNIVM, Geldriæ Ducatus nobile opidũ, nomen, à situs ratione sortitum. Si enim Goropio Becano, libro de Veneticis & Hyperboreis credendum, quæcumque vrbium nomina, in ven terminantur, vel ab ea vocula incipiant, aquis obnoxia, & paludosa occupant loca, vt, Venetiarum indicat situs. Item, Venlo vbi plurima stagna cernuntur, quæ omnia generatim, Venen, ab indigenis vocantur, & apud Hollandos, paludosa cœnosaque loca, è quibus cespites, ad ignes alendos, effodiuntur, non alio nomine frequentius appellitant

Huius patriæ, vicinique territorij populus, proauorum indolem, ac genium refert, fortis est, belloque vtplurimum aptus, Geldriam quippe, & Zutphanniæ potissimum comitatum, Sicambri multorum sententia, quondam obtinuerunt, quibus præcipuæ feritas, & bellandi, præ cæteris Germanis, studium inerat, vnde perpetuis incursionibus, Gallias molestabant. Qua de causa, pacato iam orbe terrarum, aliquamdiu portas Iani claudere non poterat Octauianus Augustus, quod intellexisset, Sicambros adhuc Gallijs infestos esse, mouit ea res Octauianum (auctore Suetonio) vt priuata expeditione, Sicambricum bellum adsumerer, quo breui confecto, quadraginta millia Sicambrorum transtulisse fertur, in citeriorem Rheni ripam, eisq; sedes ibidem constituisse.

FINIS.